Horae Sacrae.

PRECES ET EXERCITIA DEVOTIONIS PER DIEM,

ALIQUOTIESVE FACIENDAE,

ET

SPECULUM MEDITANTIS

SEU SACERDOS SANCTIFICATUS.

Ad Vitam Sacerdotalem Pie instituendam Tractatus.

"Talem scientiam discamus in terris, quae nobiscum perseveret in coelis."—*St. Jerome.*

"Vespere, et mane, et meridie narrabo et annunciabo, et exaudiet vocem meam."—*Ps.* liv.

"Quid prosunt lecta et intellecta, nisi temetipsum legas et intelligas? Da ergo operam internae lectioni, ut legas, inspicias et cognoscas te ipsum."—*S. Bernard.*

AUCTORE,

GEORGIO JOSEPHO GOWING, D.D. P.P.

KILDARENSIS ET LEIGHLENSIS, HIBERNIA.

LONDINI: BURNS ET OATES,

1878.

Nihil Obstat:

GULIELMUS T. GORDON, Cong. Orat.,

Censor deputatus.

Imprimatur:

HENRICUS EDUARDUS,

Card. Archiep. Westmonast.

Die 19 *Sept.*, 1878.

HORAE SACRAE

SEU

SACERDOS SANCTIFICATUS.

"Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?"—Luc. xv.

PIO LECTORI,

DE USU ET SCOPO HUJUS LIBELLI.

PREMONITIO.

PRAETER quaedam argumenta et modum, non novum opus vobis, dilectissimi, tradimus.

Hoc maxime nobis cordi fuit, et opere pretium duximus, colligere in unum opusculum omnia ea quae servire possunt ad ordinarios et diuturnos exercitus spirituales sacerdotibus et alumnis in collegiis communes, tum cleris qui aliquot dies a curarum strepitu secedentes; in orationem ac sacra exercitia obiunda sese destinant; ut munia et officia secum respicientes et severam a semetipsis rationem exigentes, commodiusque ad manum habere, et circumgestare possent, ut a quovis sacerdote vel alio facilius comparetur. Denique cum in seminariis ecclesiasticis crebre fieri solent spirituales instructiones, plura in

hoc libello necessaria et utilia ad hunc finem ex patribus et doctoribus Ecclesiae excerpta reperiuntur, quae fusius in multis libris sine labore et etiam difficillime, eaque maxime diversa, obtineri non possunt. Hic tanta rerum et materiae copia in breviculum aliquod per modum compendii, et apta utiliaque maxime quae ad praxim spectant, dignoscuntur.

Opus istud in partes distributum est.

Quarum prima preces matutinae et vespertinae.

Secunda, de praecipuis ecclesiasticorum, ac presertim sacerdotii functionibus per hebdomadam, "Vespere, mane et meridie."

Tertia, Speculum meditantis; omnia et singula praeter verba S. Scripturae et SS. Patrum sensa, argumenta et incitamenta, etiam optima norma, vitam traducendi ministro Christi dignam et laudabilem.

Quarta, Forma Cleri, de muneribus, officiis, tum de tentationibus quibusdam, et periculosis occasionibus adversus quas sacerdos vel ecclesiasticus peculiari studio premunire se debet. Juxta id St. Bernard, "Rege affectus tuos, dirige actus, corrige gressus."

Ita non inani nomine Horae Sacrae hoc opus est, et singulare sui generis. Vix itaque in hoc libro quod sit

meum, praeter seligendi studium et diligentia. Ex Scriptis Auctorum, cujus nomina infra notantur, percurrens, plura documenta et argumenta excerpsi. Faxit Deus ut ad majorem suam gloriam et fratrum utilitatem labor meus prodeat.

Hilariter et humile hoc opus nostrum, Horae Sacrae, Judicio matris Ecclesiae subjicitur.

Sequitur index Auctorum qui in hac editione citantur :—

Theologia Moralis et Praxis. Auctore, eruditissimo S. Ligurio.

Vade Mecum. Bruxellis.

Compendium Theologiae Moralis. S. P. Moullet.

Manuale Missionum. Kerckhove.

Decreta C. Trid.

Acta S. C. Borromeo.

Thesaurus Sacerdotum. Paris, 1828.

Praxis Confessarii. Le Noir.

De Perfectionibus Divinis. Leonard Lessius.

Mensis Eucharisticus.

Tractatus Asceticus. Card. Bona.

Fidelis Minister Christi. J. Hillegeer, S.J.

Scotti Meditatzioni.

Meditationes. Cuvelhier.

Meditationes a Sacerdote. Anglice. Dioce. Baltimore.

Examen, &c. P. S. Deharbe.

Meditationes. Anglice. Wiseman.

Exercitia Spiritualia per mensem obeunda. P. J. Petit-didier, S.J.

Summa Minor. Theologia S. Thomae Aquinatis. F. Lebrethon.

Hierolexicon Decretorum S. Rituum. Romae, 1862.

Triplex Expositio. A. Piconio.

Thesaurus Biblicus. Merz.

Sacerdos Christianus. L. Abelleg.

Jus Canonicum. Craisson.

&c. &c. &c.

AUCTOR.

HORAE SACRAE.

INSTRUCTIO PRO ORATIONE.

I. *Quid sit Oratio.*

VARIE a SS. Patribus describitur Oratio: a Joan. Damasc.: Oratio est ascensio mentis in Deum ac descentium a Deo petitio. A S. August. Serm. 230, de temp.: Est ascensio animae de terrestribus ad coelestia: inquisitio supernorum, invisibilium desiderium. A S. Chrysost. Hom. 30 in Gen.: Est colloquium cum Deo. Nam, quando legis (ait S. August. in Psalm. lxxxiii. cum S. Hieron.) Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris. Latius vero sic explicatur Oratio: Est pius mentis nostrae in Deum affectus, quo petimus fideliter, quaecumque sunt nobis aut aliis salutaria: quo divinam quoque gratiam et virtutem celebramus, aut qualicumque ratione coram summa et aeterna illa majestate nos devotos testamur: sic etiam adoratio, oblatio, sacrificium, invocatio, laudatio, gratiarum actio ad Orationem spectant. Juxta illa Davidis Psalm. cxl. 2: Dirigatur Oratio mea sicut incensum in conspecto tuo, elevatio manuum mearum sacrificium Vespertinum. Et Apostoli 1 Timoth. ii. 1: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Item Phil. iv. 6: In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum, &c.

II. *Quanta sit Orationis praestantia et dignitas.*

Nullum sane opus est magis in Scriptura commendatum; nullum piis sanctisque hominibus familiarius; nullum, quod saepius et diligentius magisque necessario in hac vita sit exercendum, quam precatio. Audi S. Chrysost. lib. i. de orando Deum: Quis non obstupescat et admiretur

tantam benevolentiam Dei erga nos, ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus? Per orationem Angelis copulamur et societatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur; Angelorum enim opus est deprecatio. Et circa finem, Precatio, inquit, ceu radix et basis omnibus ceteris virtutibus substernitur. Idem lib. ii. de orando Deum: Qui cum honestis et sapientibus crebro familiariterque agit, paulatim eorum mores induit et imbuitur sapientia: quid ergo fiet de illo, qui multum per orationem agit cum Deo? Moysis facies Exod. xxxiv. radiis circumfusa est ex Consortio Sermonis Domini.

III. *Quanta sit Orationis necessitas.*

S. Chrys. lib. i. de orando Deum: Quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est et vita carens, expersque sanae mentis: nam hoc ipsum evidentissimum est amentiae argumentum, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animae mors sit, non provolvi ad dei genua. Daniel maluit emori quam triduo dumtaxat arceri ab orando. Impossibile est absque precationis praesidio cum virtute vitam agere: Etenim qui fiet, ut quis virtutem exerceat nisi continenter, supplex ad genua accedat ei, qui virtutem omnem largitur hominibus. Idem lib. ii. de orando Deum: Quod si te ipsum destitueris deprecatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio.

IV. *Quanta vis et fructus Orationis sit.*

Oratio purgat animam a peccatis. Patet hoc in Publicano, qui per brevem hanc oratiunculam: Deus propitius esto mihi peccatori, descendit in domum suam justificatus. S. Chrys. lib. i. de orando Deum: Etiamsi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddet: Leprosus simul ac procidit ad pedes Christi mundatus est.

2. *Satisfacit pro poenis*, quas ob peccata subire deberemus. —2 Par. xxxiii.: Manasses oravit Deum intente et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum. S. August. Zach. xvii.: Quotidianis peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.

3. *Hostes visibiles et invisibiles corporis et animae per orationem vincuntur.*—S. August. Serm. 22: *Moyses* orabat in monte et Josuë Amalech devincebat. Per orationem

Jeremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Job in sterquilinio nudus triumphat: Susanna inter senes defenditur: Paradisum de cruce latro invenit. August. x. de Civ. cap. xxii.: Vera pietate homines Dei aëream potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, omnes tentationes ejus vincunt orando.

4. *Impetrat omnia subsidia et vitam animae et corporis.*—S. August. Serm. 2: Per orationem Ezechias sanatur et salutem animae et corporis adipiscitur: adjiciuntur ei (ut ait S. Hier. in Is. Comment.) post orationem cum lacrymis habitam 15 anni ad vitam, quos ille non postulaverat et insuper vivente eo regni securitas repromittitur.

5. *Coelos penetrat.* — Eccli. xxxv. 21: Oratio humiliantis se nubes penetrabit et non descendet, donec altissimus aspiciat. S. August. in Ps. xxix.: Clamavit de profundo Jonas de ventre Ceti, erat non solum sub fluctibus, verum etiam in visceribus belluae, nec tamen illud corpus, nec illi fluctus intercluserunt orationem ne perveniret ad Deum: penetravit omnia: pervenit ad aures Dei.

Oratio (ut ait Lud. Blos. iv. Can.) moerorem pellit, calamitates lenit, pacem conciliat, hominem Deo conjungit, conjunctum Deo ad aeternam gloriam sublevat.

V. *Quas Conditiones requirat Oratio.*

Audi monentem Siracidem Eccl. xviii. 23: Ante orationem praepara animam tuam et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Non solum oremus (inquit S. Chrys. in Ps. vii.) sed ita oremus, ut exaudiamur. Ad hoc autem requiruntur sequentes Conditiones.

1. *Fides viva et constans.*—Ita Christus apud Marcum cap. xi. 24: Quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis. Et quotquot in Evangelio exauditi sunt his Christus ait: Fides tua te salvum fecit. Jac. i.: Postulet in fide nihil haesitans, qui enim haesitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Domino.

2. *Spes et fiducia.*—Ps. xc. 14: Quoniam in me speravit, liberabo eum, invocabit me et ego exaudiam eum. S. Chrys. in Ps. iv.: Ante omnia oportet eum, qui precatur, habere fiduciam et postulatum omnino consequetur.

3. *Charitas.*—Joan. xv. 7: Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis.

4. *Humilitas.* — Qui orant non in sua fiducia, sed in Dei fidant misericordia, prout fecit Publicanus orans Luc. xviii. 14, Eccl. xxxv.: Oratio

humiliantis se penetrat nubes. Ad quem aspiciam (dicit Deus Is. lxvi.) nisi ad pauperculum et contritum spiritu et tenentem sermones? Quam Abraham humiliavit se, cum orare vellet! Gen. xviii. 17: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Et Daniel ix. 18: Neque enim in justificationibus nostris prosternimus nos ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis. Ps. ci.: Respexit in orationem humilium.

5. *Remissio injuriarum.*—Marc. xi.: Cum stabitis ad orandum, dimititte, si quid habetis adversus aliquem. Matth. v.: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

6. *Fervor.* — S. Chrys. in illa verba Ps. cxxix.: De profundis clamavi, &c. Ex corde profundissimo inquit, ex ipsis mentis penetralibus clamavit David: Tales enim preces magnam habent potentiam, ut quae neque subvertantur neque concutiantur, etsi eas diabolus magno impetu invadat.

7. *Salutaria postulata.* — Jac. iv.: Petitis et non accipitis eo quod male petatis. 3 Joan. v. 14: Haec est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. S. Hieron. Ep. ad Salvinam ait: Nebridiam sic semper orasse Deum, ut illi, quod optimum esset, eveniret. Suadet S. Aug. xi. 73, in Joan: Ut petamus nobis non dari quidquid ignorantes non bene petimus.

8. *Perseverantia.* — Quam Christus ipse exigit, Matth. vii., Luc. xi. S. Chrys. Hom. xxxv. in Joan: Socordiam nostram in (orando) deploremus, 38 annos paralyticus ad piscinam expectaverat, expectabatque ut sanaretur, neque ejus impletum est desiderium, neque negligentia sua non sanabatur, sed praeventus ab aliis, neque propterea desperavit. Nos autem si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus. Proinde audiamus S. Greg. in Ps. cxxix.: Esto sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum Coelorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas coelis. Quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? bona violentia, qua Deus non offenditur: sed placatur; proximus non laeditur, sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur.

VI. *Quae sint remedia contra distractiones.*

Difficile quidem est homini mentis evagationes omnes prorsus devitare, possunt tamen certis adhibitis remediis minui:

1. Si cor nostrum a curis

rerum temporalium abstrahamus, et utamur hoc mundo, tamquam non utamur, 1 Cor. vii.

2. Deinde si Deum nobis praesentem cogitemus, qui intima cordis nostri perspicit. Etenim (ait S. Basil.) si quis coram Principe aliquo stat, et ipsum alloquitur, magno cum metu stat et tam Corporis extrinsecus quam mentis intrinsecus attentos oculos tenet: quanto majore cum metu, trepidationeque censendum est oporteri nos stare in Conspectu Dei, tota mente in illum unum intenta.

3. Si assuescamus ad pia suspiria et oratiunculas jaculatorias, quibus animus ad Deum elevatur, eique affigitur.

4. Si post occupationes negotia, congressus cum hominibus, convivia, aliaque similia, quae valde solent distrahere, animum colligamus, factorumque omnium et verborum rationem exigamus.

5. Si oraturi nos ad orationem praeparemus.

6. Si a Deo (nam omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est) gratiam attentionis, negligentiarumque veniam post orationem postulemus.

VII. *Quo loco et tempore sit Orandum?*

Nullus quidem certus locus orationi praescriptus est: ait enim Apostolus 1 Tim. ii. 8. Volo viros orare in omni loco levantes puras manus. Jeremias (inquit S. Basil. Hom. xiii.) in luto oravit et Deum attraxit: Daniel in Leonum lacu Deum placavit: Tres Pueri in Camino Deum promeruere: Latro non est in Cruce prohibitus, quin Paradisum consequeretur: Job in stercore Deum ad misericordiam provocavit. Igitur ubicumque fueris, ora: Melius tamen est in Ecclesia vel Oratorio precibus dedicato orare. De quo ita S. Chrys. Hom. lxxix. ad Pop.: Licet in foro sis, sive in via, sive in mari, sive in diversorio, sive in officina positus, sive sis ubicumque, Deo poteris invocato petitionem obtinere.

Christus oraturos jussit ingredi cubiculum et claudere ostium, sic Christus vult, ut vanam fugiamus gloriam in oratione et ut collectis sensibus attenteque oremus.

De tempore orationis dicit Christus Luc. xi.: Quoniam oportet semper orare. Et Apost. 1 Thess. v.: Jubet semper orare. Beda ait in cap. xi. Luc.: Eum semper orare et non deficere, qui Canonicis horis quotidie juxta ritum Ecclesiasticae traditionis Psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit. Juxta illud Psalmistae: Benedicam Dominum in omni tempore, &c. Anselm. in Thess. v.: Sine intermissione orara: id

est nullo die intermittere certa tempora orandi : sed et continuum cordis desiderium continua oratio est. S. Clemens i. 8. Constit. Apost. cap. xl. : Preces vestras facite diluculo tertia hora, sexta, nona, vespere, &c.

BREVIS PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Non est dubitandum quin ex considerationis veritatum aeternarum defectu, mundus peccatis scateat, et infernus animabus repleatur, Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde, Jerem. xii. 11. Et contra, ait Spiritus sanctus, eum que saepe mortem, judicium, et aeternitatem memoratur, a peccatis liberari : Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis, Eccli. vii. 40. Quidam S. Ligorio dicit, quod si a damnatis sciscitaretur: Cur vos in inferno estis? major eorum pars responderet: Nos hic sumus, quia infernum non cogitavimus, Ait. S. Vincentius de Paula, quod si peccator missionem, aut exercitia spiritualia audiret, et non converteretur, miraculo id tribuendum esset.

Jam in oratione mentali Deus est qui loquitur; Ducam eum in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Ose ii. 14. Deus utique omni concionatore melius loquitur. Omnes Sancti per orationem mentalem sancti facti sunt. Et experientia scimus, quod, qui orationi mentali dant operam, difficulter in peccata mortalia decidant, et si casu aliquando in ea labuntur, orationi insistendo, statim resipiscunt, et ad Deum redeunt. Oratio mentalis, et peccatum, una simul consistere nequeunt. Ajebat quidam servus Dei, quod multi recitant rosarium, Officium Virginis Mariae, jejunant, et in peccatis vivere pergunt; sed qui orationem non intermittit, impossibile est, ut in Dei offensa vitam prosequatur ducere; aut enim orationem omittet, aut a peccatis cessabit. Sed si orationem non omittet, non solum peccata relinquet, sed a creaturis amorem suum removebit, et ad Deum convertet. In meditatione mea exardescet ignis. Ps. xxxviii. 4.

De loco, ubi oratio facienda sit, magis proprior est Ecclesia; sed qui illuc ire aut ibi morari nequeunt, quisque locus erit orationi aptus, sive sint domus, sive villae. Etiam iter, et labor orationi

non disconveniunt, cum etiam tunc possit mens in Deum elevari. Quot rusticulae, cum eis nihil temporis nec loci supersit laborando, et iter agendo, suam faciunt orationem? Quaerenti enim Deum in omni loco, et in omni tempore invenire ille se facit.

Quoad tempus, aptius erit tempus matutinum. Bonum non habebunt exitum, quae in die fiunt, cum mane orationem suam quisque facere neglexit. Oratione proprie bis in die vicari deberet, mane, et vesperi; sed cum vespere commoditas non est, fiat saltem mane. Ajebat V. Carolus Carafa piorum operariorum fundator, unum actum amoris cum animi fervore mane in oratione factum, sufficere ad retinendam animam in suo fervore per totum diem. Quoad autem tempus, quod in oratione insumendum erit, regula, aut proprius confessarius pro sua prudentia se dirigat.

Sed progrediamur ad modum practicum orationis, quem docere decet. Oratio tribus constat partibus, praeparatione, meditatione, et conclusione. In praeparatione tres continentur actus quibus se exercere debet, fidei nempe per praesentiam Dei, humilitatis, et supplicationis divini luminis. Dicendo, Deus meus, credo te mihi esse praesentem, et in mei nihili abysso demersus majestatem tuam adoro. Domine, propter peccata mea nunc ego in inferno cruciandusessem; me poenitet offendisse te, per pietatem tuam mihi parce. Pater aeterne, propter Jesum, et Mariam praebe mihi lucem tuam in hac oratione, ut ab ea fructum percipiam. Deinde dicatur semel salutatio Angelica Mariae SS. ut ipsa hanc impetret lucem, et semel Gloria Patri, S. Josepho, Angelo custodi, et S. Patrono. Hi actus fiant cum animi attentione, sed breviter, et statim progrediatur ad meditationem. Circa meditationem, juvat illum, sistendo ubi sentiat animum suum moveri. Ait S. Franciscus Salesius in hac re debere nos apes imitari, quae tamdiu immorantur uni flori, usquedum totum mel extraxerint, et postea ad alium meant. Novissima, Dei beneficia, et ante omnia vitam et passionem Jesu Christe; haec (ait S. Franciscus Salesius) nobis debet esse nostra meditatio ordinaria. Oh quam excellens liber est passio Christi animabus devotis! ibi melius quam in quolibet libro percipitur peccati malitia, et Dei amor erga hominem. Quaedam imago Redemptoris semel quondam allocuta est Vener. Fr. Bernardum a Corlione, qui ab illa scire petiit, an vellet, ut ipse legere disceret? et crucifixus respondit. Quid tua legere refert? Quid tibi libri? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit.

Opertet autem advertere

orationis mentalis profectum non solum nec tam consistere in mediatione, quam in affectibus faciendis, in supplicando, et in deliberandis agendis: et hi sunt tres meditationis fructus. Igitur postquam aliquam aeternam veritatem quis meditaverit, et postquam Deus cor ejus allocutus fuerit, oportet, ut ipse suo corde Deum alloquatur, eliciendo affectus, ut sunt actus fidei, aut actionis gratiarum, adorationis, laudis, humilitatis, et prae caeteris amoris, et contritionis, qui etiam est actus amoris. Amor est illa catena aurea, quae astringit animam cum Deo. Quilibet actus amoris est thesaurus, per quem certi efficimur de Dei amicitia: Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, Sap. vii. 14. Ego diligentes me diligo, Prov. viii. 17. Qui diligit me, diligetur a Patre meo, Jo. xiv. 21. Charitas operit multitudinem peccatorum, 1 Pet. iv. 8. Ven. sorori Mariae crucifixae visa fuit ingens quaedam flamma, in quam, cum projectae fuissent quaedam paleae, statim visae fuerunt consumi; et hac visione ei ostensum fuit, quod per unum actum amoris auferantur, atque consumantur in anima omnes culpae commissae. Accedit id, quod docet S. Thomas, nempe, quemlibet actum amoris mereri unum gradum gloriae aeternae. Quilibet actus charitatis meretur vitam aeternam. Actus autem charitatis sunt dicere: Deus meus, super omnia te aestimo. Te diligo ex toto corde. Cupio te ab omnibus diligi. Aut se totum divinae voluntati committere, dicendo: Domine, fac, ut cognoscam quod tibi de me placet fieri, nam promptus sum totum exequi. Aut se ita offerat Deo, quin sibi aliquid reservet, dicendo: Ecce me, de me, et de iis, quae ad me pertinent, dispone pro tua voluntate. Et hi actus oblationis sunt actus amoris, qui valde sunt Deo cordi, propterea S. Theresia quinquagies quolibet die se Deo offerebat. Sed inter alios praestantius erit dicere: Gaudeo Deus meus, quod es, qui es; quod es summum bonum nullius indigens, &c. Cum autem anima cognosceret se supernaturali sive infusa recollectione elevatam, tunc non debet ipsa niti ad alios actus faciendos, praeter illos, ad quos sentit se a Deo suaviter trahi; cum debeat tunc animo amabiliter intento attendere id quod Deus in se operatur. Alioquin obstaculo posset esse divinae operationi. In super notetur, ut advertit S. Franciscus Salesius, quod si unquam Spiritus sancti afflatu mens nostra ad aliquem bonum affectum ante considerationem concitata fuerit, tunc, posthabita consideratione, locus dandus est affectibus, nam consideratio ad id deservit, ut affectus

concitentur; quare, obtento fine, medium derelinquendum est.

Item summopere juvat petitiones in oratione repetere, cum humilitate, et fiducia exposcendo a Deo suum ipsius lumen; peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum, et in primis donum sui sancti amoris. Hortabatur S. Franciscus Salesius inter caeteras gratias postulandam esse cum animi vehementiori fervore divini amoris gratiam, quia (ajebat) obtento amore, omnes reliquae gratiae obtinentur. Igitur sufficiens erit animae, si propter spiritus desolationem in qua reperitur, aliud facere non posset, sufficiens ei erit, ut repetat hanc Davidis petitionem: Deus, in adjutorium meum intende; Domine, adjuva me, festina mihi auxiliari. Dicebat Ven. P. Paulus Segneri se experientia didicisse, nullum aliud exercitum esse animabus utilius in meditatione, quam iterum atque iterum petere, in nomine sive per merita Jesu Christi, qui nobis illam magnam jucundamque promissionem fecit: Amen, amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Item expedit, in oratione, saltem in ipsius fine aliquid deliberare, non solum in genere, ut evitare omnem culpam deliberatam etiam levem, et se totum Deo committere; sed etiam in particulari, ut est accuratius evitare aliquem defectum, in quem saepius offendit, aut vigilantius attendere ad aliquam virtutem, circa quam frequentiores habet occasiones se exercendi, ut tolerandi alicujus molestias, aut tali regulae diligentius obediendi, et majus studium adhibendi, ut in tali et tali re desideria sua cohibeat; et ab oratione non discedendum nisi aliquid in particulari deliberatum sit.

Demum conclusio orationis tribus actibus terminatur: Gratiae Deo agantur de omnibus illustrationibus quae in meditatione acceptae sunt. Proponatur omnes deliberationes factas fideliter observare. Oretur aeternus Pater, ut propter Jesum, et Mariam auxilium suum praebeat, ad fideliter exequendum quod ei sponsum est. Et in fine orans commendet Deo animas purgatorii, Praelatos Ecclesiae, peccatores, et omnes sibi conjunctos, amicos, benefactores, recitando semel Pater et Ave, quae sunt omnium precum, quas a Christo et Ecclesia docti sumus, utilissimae.

Antequam tamen ab oratione exeatur, oportet (ut ait S. Franciscus Salesius) colligere fasciculos florum, ut totum diem illi olfiant, nimirum seligere prae caeteris unam, vel alterem rem, in qua anima magis se moveri sensit, ut reliquum, diei illam recogitet. Oportet operam

dare, ut statim executioni mandet deliberationes factas, tam in parvi, quam magni momenti occasionibus, quae nobis occurrent, ex. gr. superet cum mansuetudine molestias, quae sibi inferuntur ab aliquo in se ira succenso; aut ut se mortificet in visu, auditu, in loquendo. Et praecipue refert, ut cum silentio, quantum possibile est, conservet illos animi pios motus affectuum, quos in oratione Deus ei communicavit, alioquin si statim ad actiones externas, et ad inutiles sermones divertet illico fervor ille devotionis in oratione conceptus, tepescet, et irritus reddetur.

Prae caeteris denique orationem nunquam intermittere, neque ab illa aliquid temporis detrahat, praecipue in ariditatis tempore, et nunquam turbetur, licet nimis et diu cognosceret animam in ariditate positam, ac omni devotionis fervore carentem. Quot aulici, ajebat S. Franciscus Salesius, eunt suum principem honoratum, et contenti sunt, si duntaxat ab eo aspecti sunt? Ad orationem nos pergimus ut obsequium praestemus Deo, et ei obsecundemus; si ipse lubet nos alloqui, et suis consolationibus nobis favere, de tanta gratia ei rependamus; sin minus, sufficiens erit nobis suae divinae praesentiae adesse aequo animo, eum adorando, et nostras necessitates ei exponendo; et si tunc Dominus nobiscum non loquetur, utique acceptabit nostram attentionem, et nostram fidelitatem, et pro nostra in eum fiducia nostras petitiones exaudiet.

MONITA IN GENERE PRO PERFECTIONE.

Collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis. Mascula determinatio se vincendi, et vim sibi in occasionibus inferendi. Ait S. Theresia: Si defectus non procedit a nobis, ne timeamus quod Deus se abstineat ab impertiendo nobis auxilia ad nostram sanctificationem.

Cavere a quocumque minimo defectu deliberatio, sive apertis oculis admisso, et peccato deliberato (inquit eadem Sancta), quantumvis parvo. Subditque: Daemon enim per opera minimarum rerum, aliqua facit foramina, per quae res magnae ingrediuntur. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare, et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis, et proposito, se in pace remittere; et ita sem-

per se gerere, etiamsi centies in die quis caderet. Et in hoc monet S. Theresia ne communicentur propriae tentationes animabus imperfectis, quia ita et sibi, et aliis damnum affertur. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus; aliter, inquit S. Theresia: Anima non recendo a voluptatibus mundanis, non post multum denuo recedet a via Dei. Effugere familiaritatem personarum diversi sexus, quantumcumque fuerint religiosae; saepe enim diabolus introducit cum illis quasdam affectiunculas non puras, eas obstrudendo pro spiritualibus. Oportet ante omnia renuntiare propriae aestimationi, et propriae voluntati, imo et rebus spiritualibus, ut orationi, communioni, et mortificationibus, quando haec convenientia rerum non permittit. Uno verbo opertet expellere a corde omne quod non est Deus, et quod non est secundum majus Dei beneplacitum. Laetari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, et omnium vilissum reputari. O quam pulchre orat anima illa quae vilipendia libenter amplectitur! praecipue in communitatibus in quibus haec virtus est omnium longe necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos, et persecutores, illis inserviendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, et commendando specialiter Deo. Quemadmodum Sancti facere consueverunt.

Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait S. Theresia: Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demendata. Sine hoc desiderio anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem Sancta ait: Ordinarie Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt ejus amorem. Ei desiderio oportet semper conjungere determinationem faciendi quantum possumus, ut Deo placeamus. Praefata Sancta inquit: Diabolus potissimum timet magnanimo corde. Et alibi: Nihil aliud a nobis exigit Dominus quam validam determinationem, et reliqua ipse inde perficit. Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quae est fornax in qua accenditur amor divinus. Omnes Sancti, quoniam unice Deum diligebant, unice quoque dilexerunt orationem. Est etiam necessarium, ut quis ardenter desideret paradisum; in coelo enim animae diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, et ideo vult Deus, ut ardentissime hoc regnum desideremus, quod Jesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

Habere magnam uniformi-

tatem divinae voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre, S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat: Non consistit progressus (iniquit Sancta) in sibi procuranda majore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate. Et alibi: Vera unio est unire nostram cum divina voluntate.

Praestare exactam obedientiam regulis, superioribus, et patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa: Obedientia est regina omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiae. Et S. Theresia; Deus ab anima, quae sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit quam obedientiam. Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter, et sine ullo judicio obediendo, nullam exquirendo rationem quoties res jussa non sit certe peccatum, ut inquiunt SS. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius Loyola, et omnes spiritualis vitae magistri; et in rebus dubiis eligere id quod praesumitur quod jussisset obedientia; et quando haec praesumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince te ipsum* toties inculcatum a S. Francisco Zaverio, et S. Ignatio, qui solitus erat dicere longe pluris proficere animam mortificationis amicam unico horae quadrante, quam alias non mortificates per plurimas horas.

Attendere semper divinae praesentiae. Inquit S. Theresia: *Omne malum provenit ex eo quod non consideremus Deum praesentem.* Qui vere amat, nunquam obliviscitur objecti amati. Ad conservandam vero memoriam hujus divinae praesentiae juvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere. Maxime vero oportet hanc presentiam fovere, saepius in die repetendo actus amoris in Deum, et petendo divinum amorem. Deus meus, et omnia. Diligam te ex toto corde meo. Totum me tibi do. Fac de me quod tibi placuerit. Nil aliud volo nisi te, et tuam voluntatem. Da mihi amorem tuum, et dives sum satis, &c. Advertendum tamen est quod actus isti faciendi sunt sine ulla vi, et nullam desiderando consolationem sensibilem; sed cum suavitate quadam et voluntate pura unice Deo placendi. Asserebat S. Theresia: Ne vereamur relinqui irremuneratam a Deo vel unicam elevationem oculorum ad ejus recordationem.

Dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo: Domine, hoc facio tantum, ut placeam tibi. Recta inintentio appellatur alchimia spiritualis, quae omnes ac-

tiones, etiam viliores, aureas facit.

Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo, vel consuetos dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, et officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devote celebrare novenas nativitatis Domini, Spiritus sancti, septem festivitatum Mariae, S. Josephi, Angeli sui custodis, et sancti tutelaris.

Habere devotionem specialem erga S. Josephum, Angelum suum custodem, Sanctum suum tutelarem, et praecipue erga S. Michaelem universalem cunctorum fidelium patronum; sed ante omnia erga beatissimam Virginem Mariam, que ab Ecclesia nostra vita, et nostra spes appellatur; est enim moraliter impossibile, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari et tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei Genitricem.

ORATIONES JACULATORIAE PER DIEM.

Speculator adstat desuper.
Qui nos diebus omnibus.
Actusque nostros prospicit.
A luce primâ in vesperum.

De signo Crucis.

Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. Hieronymus ad Eustochium.

Sic nempe invocamus opem Dei, opera illi nostra offerimus, contra hostes nostros munimur.

Ante quamlibet actionem.

Hoc faciam ad majorem Dei gloriam. Ex te enim, et in te, et pro te sunt omnia, Deus meus et omnia.

Nota jaculatoriam illam, Ex te, in te, et pro te sunt omnia, continere, 1. Per Ex te, sui humiliationem, qua ex Deo omnia esse fatemur. 2. Per In te, memoriam praesentiae Dei. 3. Per Pro te, puram intentionem et amoris Dei actum.

Ante quamlibet orationem.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cenis! Gen. xviii.

Dum evigilas.

Anima mea desideravit te in nocte. Isa. xxvi.

Dum surgis.

Hora est jam nos de somno surgere. Rom. xiii.

Ad aquam lustralem.

Rore suae gratiae inspergat nos Rex coelestis gloriae.

Dum mane gratias agis.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Ps. cii.

Dum studes.

Sapietiam amavi et quaesivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi assumere, et amator factus sum formae illius. Sap. viii.

Dum scribis.

O Jesu, qui manibus tuis in libro vitae, ut confido, descripsisti me, da mihi praemeditate, pie, et prudenter scribere semper ad gloriam tuam.

Cum domo egrederis.

Dirige, Domine, in conspectu tuo viam meam. Ps. v.

Transeundo ante templum.

Adoro te, sanctissima Trinitas, cum omni creatura, et pro omnibus qui te ignorant et blasphemant. Credo tibi, o Veritas aeterna; spero in te, et ex toto corde meo te amo, o Bonitas infinita.

Caemeterium pertransiens.

Fidelium animae, per misericordiam Dei, requiescant in pace.

Dum vides funus.

Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Luc. xii.

Ad effigiem Christi crucifixi vel patientis.

Qui passus es pro nobis, miserere nobis.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Isa. liii.

Ad imaginem Deiparae.

Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transivit.

O Mater Dei, memento mei.

Ad imaginem alicujus Sancti vel Sanctae.

Sancte N. vel Sancta N. ora pro nobis.

Egenis occurrens.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Ps. xi. Opta ipsis eleemosynam corporalem et spiritualem.

Dando eleemosynam.

Dixisti, bone Jesu, quod uni e minimis meis fecistis, mihi fecistis; tibi igitur in paupere reddo, quod accepi a te.

Eundo ad Sacrum.

Vadam, et videbo visionem hanc magnam. Exod. iii.

Dum mensae accumbis.

Hoc me docuisti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.

Dominus meus crucifixus est, et ego nunc oleum comedam? Dicebat eremicola quidam.

Ante colloquium.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Ps. cxl.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Jac. iii.

Dum ambulas.

Providebam Dominum in conspectu meo semper. Ps. xv.

Contra superbiam.

Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. xviii.

Non veniat mihi pes super-

biae; ibi enim ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Ps. xxv.

Contra avaritiam.

Divitiae si affluant, nolite cor opponere. Ps. lxi.

Beatius est magis dare, quam accipere. Act. xx.

Contra luxuriam.

Momentaneum, quod delectat; aeternum, quod cruciat.

Dominus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? S. Bernard.

Contra invidiam.

Qui non diligit proximum, manet in morte. Joan. iii.

Contra gulam.

Regnum Dei non est esca et potus. Rom. xiv.

In multis escis erit infirmitas. Eccl. xxvii.

Contra iram.

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Matt. xi.

Contra accediam.

Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Jer. xlviii.

Dum aliquid boni fecisti, vel laudati.

Omnia in nobis operatus es, Domine. Phil. ii.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal. cxxxi.

Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostrae. Ber.

Dum dubitas, an id quod agis placeat Deo.

Vide, Domine, si via iniquitatis in me est, et deduc me in via aeterna. Ps. cxxxviii.

Ad petendam Dei gratiam.

Da quod jubes, et jube quod vis. S. Aug.

Cum injuriam pateris.

Patiar, Domine, amore tui, qui in me, tibi toties injurium, tam bonus, tam benignus es.

Cum adversa accidunt.

Hic ure, Domine, hic seca, hic mihi non parcas, ut in aeternum parcas.

Cum fit aliquid contra tuam voluntatem.

Propter te mortificamur tota die; aestimati sumus sicut oves occisionis. Ps. xlix.

Cum vides aliquid mali fieri.

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; legem autem tuam dilexi. Ps. cxviii.

Dum facis aliquid humile vel poenale.

Vide, Domine, humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Ps. xxiv.

Pro humilitate acquirenda.

O quam excelsus es, Domine! Sed humiles corde sunt domus tui.

Pro modestia amplectanda.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim prope est. Phil. iv.

Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. 1 Cor. iv.

Ut excites te ad amorem Dei.

Minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. S. Aug.

Ut ames proximum.

Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. Joan. xv.

Ad praesentiam Dei excitandam in omni loco.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Gen. xxviii.

Ut semper facias voluntatem Dei.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ps. cxlii.

Ut sanctitatem vitae amplectaris.

O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Sed quid es amantibus, quid toto corde tibi servientibus? Thomas à Kempis.

PRECES MATUTINAE.

SURRECTIO MATUTINA.

1. Cum Deus sibi specialiter complaceat in oblatione primitiarum, gratissimae ipsi erunt primitiae nostrarum cogitationum, verborum, et actionum cujusque diei; quae etiam plurimis titulis ipsi debentur, et non sine ingenti injuria erga liberalissimum Creatorem et optimum Patrem, dari possunt ejus inimicis. Quapropter curabit diligenter sacerdos, ut primam cogitationem ad Deum dirigat, prima verba, primumque opus ipsi consecret: haec autem tria facili methodo praestabunt, si eo ipso quo evigilat, signet frontem, os et pectus signo crucis, dicendo ex toto corde: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; eadem actione omnes diei cogitationes, verba et opera Deo offerre et consecrare possunt. Cogitationes, dum signat frontem; verba, dum signat os; et actiones dum signat pectus. Sic tandem profitentur praecipua religionis nostrae mysteria, &c.

2. Deinde devote dicat: Jesu! Maria! Joseph! oculos conjiciendo in crucifixum.

Nota, quod, teste S. Vincentio a Paulo, permagni momenti sit propera et diligens surrectio, atque Deo maxime honorifica, cum sit prima actio diei; ac propterea adversarium nostrum diabolum tamquam leonem circuire lectum, ut nos in pigritia aliquantisper detineat, sicque primitias Deo nostro praeripiat. Asserit etiam Cardinalis Bona, et docet unumquemque experientia, quod a celeri et prompta surrectione matutina multum dependeat divina visitatio totiusque diei fervor, alacritas, et sanitas.

3. Dum e lecto surget, signo crucis se muniet, et in genua provolutus Deum adorat, eique gratias aget dicendo: Gloria Patri, qui creavit me; gloria Filio, qui redemit me; gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit me; gloria sanctae et individuae Trinitati, quae in Sacerdotem assumpsit me.

4. Se lavando dicat: Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Ps. l.

Asperges me hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Ibid.

Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Ps. xviii.

5. Dum se induit, variis as-

pirationibus corpus, animam, et sensus omnes Deo commendet dicendo v. g.: Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ps. l.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Psalm. cxl.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Ps. cxviii.

Sonet vox tua in auribus meis. Cant. ii.

Non extendam ad iniquitatem manus meas. Ps. cxxiv.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Psalm. cxviii.

Eripe pedes meos a lapsu. Ps. cxiv.

Ad togam talarem dicat: Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Ephes. iv.

Juxta praxim S. Francisci Salesii, omnia diei opera, conversationes, ac negotia, pericula et occasiones peccatorum praevideat, ac media opportuna apud se praeparet; quibus omnia sua ad majorem Dei gloriam perficiat, et omne malum declinet. Aspiret in hunc finem cum ipso: Notam fac mihi viam in qua ambulem.

EXERCITIUM MATUTINUM.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Pater noster, qui es in coelis; sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. Amen.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostrae. Amen.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere; meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Misereatur nostri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis nostris, perducat nos ad vitam aeternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dignare, Domine, die isto,
Sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine.
Miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

Quemadmodum speravimus in te.

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus Rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic, et in aeternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi: qui vivis et regnas in secula seculorum.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes.

Mentes nostras, quaesumas Domine, paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen. Litanae, &c.

Puncta Meditanda pro Opportunitate.

Voluntas Dei est salus et sanctificatio nostra, nec tantum qualiscumque sed certior sed abundantior. I Thes. iv.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Matt. xxi.

Domine Jesu, nolo vivere sine vulnere, cum videam te vulneratum S. Bonav.

Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum. Rom. xiii.

Piae aspirationes pro divinâ voluntate cognoscenda.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. I Reg. iii.

Domine, quid me vis facere? Act. ix.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi; et semitas tuas edoce me. Ps. xxiv.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; tantum

voca me, et sequar quocumque vocaveris. O utinam, amantissime Jesu, O utinam dirigantur viae meae, ad custodiendas justificationes tuas! Ps. cxviii.

Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Ps. cxviii.

Ecce me, Domine, ecce me paratum ad omne votum tuum.

Quid eligere ignoro, tuam expecto voluntatem. Est via non raro, quae videtur homini recta, et novissima; eheu! ducit ad mortem, mortem sempiternam. Ideo rogo te, Domine, ex intimo cordis affectu, dirigere me digneris in viam bonam, quâ scis me perventurum ad finem optatatum et portum peregrinationis hujus.

O benignissime Deus, ostendisti mihi viam in quâ ambulem; et quod non fecisti omni natione, judicia tua et leges manifestasti mihi. Ecce coram te, Domine, et curiâ tuâ coelesti, in viâ sacerdotale ambulare statui, ut tibi serviam omnibus diebus vitae meae. Concede mihi gratiam, per sanguinem Jesu Christi, quâ desideria ista, de tuâ inspiratione concepta, complere, tibique, et Filio tuo, et suavissimae Matri ejus servire valeam, et tecum in aeternum vivere. Amen.

Te patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum paraclitum, unum, omnipotentem, sempiternum, atque incommutabilem Deum, creatorem coeli et terrae, visibiliumque omnium et invisibilium, suppliciter adoro. Te veram et ineffabilem Trinitatem in personis, veram et inseparabilem Unitatem in substantia, confiteor. Te laudo fulgidam semperque tranquillam Trinitatem, unicam Deitatem, clementissimum Dominum meum, dulcissimam spem meam, clarissimum lumen meum, optatissimam requiem meam, gaudium meum, vitam meam, et omne bonum meum. Tuae benignissimae pietati animam pariter et corpus meum commendo; tuae sacratissimae majestati me totum subdo, tuaeque divinae voluntati in aeternum resigno ac trado. Tibi honor et gloria in saeculo saeculorum. Amen.

Benedic mihi, piissime Jesu, cum Patre almo Spiritu.

Benedic mihi, piissima Virgo Maria, cum Angelo Custode, Patronis, atque omnibus Angelis et Sanctis Dei. Amen.

Modus se recolligendi per diem. Duodecem puncta totum diem dirigentia.

1. Serio recordare te non alio consilio conditum, quam ut Deo servias et vitam obtineas sempiternam, Eccl. xvii. Sap. i.

2. Apprehende vivâ fide coelum non nisi vi et virtute acquiri, peccato amitti. Matt. xi. Apoc. xxi.

3. Nihil te eorum, quae possides, potest a morte comitari, nisi opera; siquidem bona, ut vivas, sin mala, ut pereas in aeternum. Apoc. xiv. 2 Cor. v.

4. Firmiter tibi persuade, meriti tempus solum esse hanc vitam. Hinc qualis discedis, talis totâ aeternitate mansurus es. Joan. ix. Eccl. xi.

5. Frequenter expende Deum omnia et singula intueri clarissime, eumque renum testem et cordis intimi scrutatorem. Eccl. xxiii. Sap. 1.

6. Praeveni occasiones, quibus pravi motus concitantur, ac tentatione invitanti fortis resiste. Jac. iv. Eccl. xviii.

7. Apud temetipsum omnino constitue potius quidvis perpeti, quam animam culpâ foedare lethali. Dan. xiii. Rom. viii.

8. Si forte lapsus es, alacrior exsurge; curre ad medelam, praesertim contritionis et confessionis. Eccl. xvii. Jerem. iii.

9. Erga proximum misericordiam, erga teipsum severitatem exerce. Luc. vi. 1 Cor. ix.

10. Selige fidelem melioris vitae ac salutis ducem, cui intimos animi recessus aperias, cujus consiliis penitus acquiescas. Eccl. vi. Colos. ii.

11. Dirige quaecumque tibi agenda vel perferenda sunt, ut Deo potissimum placeas. 1 Cor. x. Colos. iii.

12. Ut in bono perseveres, cogita hanc primam esse boni operis horam, et audi: Dixi, nunc coepi (Ps. lxxvi.) aut certe cogita esse postremam, et audi: Novissima hora est. 1 Joan. ii.

Forma II.

In nomine Patris, &c.
Pater, Ave, Credo.
Deus, in adjutorium meum.
Gloria Patri.

Adoratio.

O Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, ego te hic vere praesentem supplex adoro et invoco, de vivae carnis et sanguinis, corporisque et animae veritate nihil omnino dubitans. Utinam vero eo te modo contemplari et cognoscere, diligere, laudare, et glorificare queam, quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, te perfecte cognoscunt, te diligunt, laudant, et glorificant, absque ullâ prorsus in tuo obsequio molestiâ vel taedio. Omnes tibi merito creaturae laudes et gratiarum actiones concinunt; et quod ardentissimo amore ad nos de coelo descendens, innocens ac nobile tuum corpus pro nobis in orâ crucis obtuleris; quodque nobis hoc ipsum vivum ac immortale, in monumentum discessus tui, in pignus erga nos summi amoris, tam amice, benevole,

et affectuose in Sacramentum reliqueris.

Tu igitur, O Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, et dona nobis pacem; et animam nostram gratia tua hodie robora, ut nimirum, nec in vitâ nec in morte, abs te et immensâ tuâ misericordiâ unquam separemur: qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Actus fidei, spei, charitatis, resignationis, &c.

O Sapientia infinita, quae falli non potes, bonitas immensa, quae fallere non potes, prima aeterna veritas, Deus meus, credo, in te, et credo tibi in omnibus quae revelasti et per Ecclesiam sponsam tuam mihi credere da proponis, et pro hac sanctâ fide per tuam gratiam, mori sum paratus.

Spero in te, O aeterna beatitudo nostra, teque per infinitam misericordiam tuam et pretiossima merita tua, veniam, gratiam, et gloriam cum omnibus necessariis mediis mihi promissam, daturum confido; et me totum a te pendere, et nihil sine te, omnia vero per te posse agnosco et profiteor.

Amo et amabo te, et omnia quae tu amas, propter te, O fons infinitus omnis boni, quia bonus es in te, et infinite amabilis.

Gaudeo de infinitâ perfectione, beatitudine, et amabilitate, tuâ; et de omni obsequio, laude, honore, et gloria tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquam redditâ, reddendâ, ac possibili reddi.

Haec omnia tibi intime cupio, praebeo, et offero, cum omni affectu, obsequio, et vita mea.

Te tuumque in omnibus bene placitum brachiis dilectionis et resignationis arctissime complector, omnique possibili reverentiae, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor; ac complecti, venerari, et osculari, cupio in aeternum, licet me velles beatâ visione carere, modo gratiâ et amore tuo nunquam destituar.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transferatur. Quidquid egero in omnem aeternitatem, aut passus fuero, cedat ad gloriam tuam. Tuus sum ego; fac de me quidquid vis, nunc et in aeternum.

Commendatio sui.

O bone Jesu, sim ego totus tuus, et tu meus in aeternum. In te vivam, in te moriar, in te permaneam, misericordias tuas decantans, et cum Cherubim et Saraphim incessabili voce tibi proclamans, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. O Jesu, Deus cordis mei infiniti amabilis, totus desiderabilis, esto mihi benignus, nunc et in horâ mortis meae. Intra melliflu-

um cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Te fruar, atque utinam omnes mecum! Te fruar in vitâ, solatio, in morte, viatico; post mortem, praemio; per lacrymas, sudorem, et sanguinem tuum. Amen.

Pia desideria.

O Dulcissima virgo Maria, mater Dei, da mihi Jesum Christum dilectissimum Filium tuum. Intercede apud eum pro me, Virgo sanctissima, ut me suscipere dignetur. O dulcis Jesu, vis me in filium tuum suscipere? O Jesu praeter te nihil aliud desidero.

Pro tui amore, Jesu, amor meus, omnibus hujus mundi pompis et vanitatibus, mihi quoque ipsi in animâ et corpore, abrenuntio, et te solum in me meque in te vivere cupio.

Te, Jesu, in dominum meum, in patrem, in sponsum, in fratrem, in amicum eligo.

O benignissime Domine adjuva et defende me, servum et mancipium tuum, contra visibilium et invisibilium inimicorum meorum impetus.

O amantissime pater, auxiliare mihi indignissimo filio tuo in omnibus actionibus meis.

O venustissime sponse, animam meam, sponsam tuam, virtutum margaritis et pretioso charitatis vestimento exorna.

O charissime frater, recordare, obsecro, inopiae meae; meque divitiarum tuarum participem effice.

O fidelissime amice, succurre mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus et angustiis meis.

O Jesu, totus, corpore et animâ, tuus esse cupio.

Quando dicere potero: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus? Gal. ii.

Jubila, anima mea, et dic: Vivat Jesus. Exulta, anima mea, et dic: Sit benedictus Jesus.

Lauda, anima mea, Jesum. Invita, anima mea, creaturas omnes ad praedicandum et laudandum sponsum tuum Jesum.

O anima mea, nihil tibi vivat, nisi solus Jesus.

O Jesu dulcis, Jesu suavis, Jesu amor, Jesu omne bonum meum!

Moriar ego, et vivat Jesus.

Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui officium Sacerdotale suscepimus, digne ac devote in omni puritate et conscientia bona tibi famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversare ut debemus, concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus, et in spiritu humilitatis, ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius de cetero deservire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Puncta.

Magna dignitas animarum ut unusquisque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. St. Hier.

De obligationibus sacerdotis, erga populos. St. Ber. dicit, tria autem haec manent — verbum — exemplum — et oratio.

Pulvis sumus; homo tanquam flos agri sic efflorebit. Ps. cii.

Mors peccatorum pessima. Ps. xxxiii.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea.

Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a cornalibus desideriis, quae militant adversus animam. 1 Pet. xi.

Forma III.

Pater noster, &c.

Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.

Praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.

Et nos populus pascui ejus, et oves manus ejus. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Oratio.

Domine Deus Pater omnipotens, qui ad principium hujus diei me pervenire fecisti, tua me hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinem peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam mea procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super me misericordiam tuam, ut te Rectore, te Duce, sic transeam per bona temporalia, ut non amittam aeterna. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Adoro et veneror te, O sanctissima Trinitas, te glorifico, laudo, benedico, tibi gratias ago pro universis beneficiis creationis, conversationis, redemptionis, aliisque, ac nominatim pro hac nocte feliciter transactâ. Et quot, eheu! jam e suo cubili ad tuum tribunal et inferos rapti! Vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie, Isaiae xxxviii.

Opus dispone futurum.

Ecce, amantissime Jesu, te adspirante, firmiter statuo

ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, Sacerdotale officium exemplere, mea pietatis munia mea obire, universa denique et singula in nomine tuo et facere et pati. Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas. Ps. cxviii.

Oratio S. Thomae Aquinatis. Ad recte vivendi firmum propositum.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfecte adimplere. Ad laudem et gloriam nominis sui ordina statum meum, et quod a me requiris, ut faciam, tribue ut sciam; et da exequi, sicut oportet, et expedit animae meae. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere; ut in illis non extollar, in istis non deprimar; de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat a te; nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia tua propter te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te, et tediosa mihi sit omnis quies, quae est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corrigere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem; tuis poenis configi per poenitentiam; tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus vivis et regnas in secula seculorum.

Tuere, Domine, populum tuum, et ab omnibus peccatis clementer emunda; quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas.

Da, quaesumus, Domine, populo tuo salutem mentis et corporis; ut bonis operibus inhaerendo, tuâ semper mereatur protectione defendi.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra; ut videre possimus quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus: Per.

Amen.

Puncta.

Gloria magna est sequi Dominum. Eccl. xxiii.

Illi qui divinis ministeriis applicantur perfecti in virtute esse debent. St. Thos. 4 Dist.

Plerumque, quod in laicis culpa non est hoc crimen est constitutis sacro ordine. St. Greg.

In conversatione cum laicis ita se habeant clerici, ut neque ex nimia familiaritate aut conversatione equali, reddatur. Conc. Pari.

Cernitur in non nullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exeguus. St. Ber.

Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite. Coloss. iii.

FORMA IV.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Pater noster, &c.

Veni, sancte Spiritus.
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni, Pater pauperum.
Veni, dator munerum.
Veni, lumen cordium.
Consolator optime.
Dulcis hospes animae.
Dulce refrigerium.
In labore requies.
In aestu temperies.
In flectu solatium.
O Lux beatissima.
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo Nomine
Nihil est in homine.
Nihil est innoxium.
Lava quod est sordidum.
Riga quod est aridum.
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum.
Fove quod est frigidum.
Rege quod est devium.
Da tuis fidelibus
In te confitentibus,
Sacrum Septenarium.
Da virtutis meritum.
Da salutis exitum.
Da perenne gaudium.
Amen.

Actus Fidei.

Credo, Deus meus, tota convictione intellectus, totaque latitudine affectus, omnia et singula quae Apostolorum Symboli continent; caeteraque omnia quae mihi Sancta, Romana, Catholica, et Apostolica Ecclesia credenda proponit: Quia tu, qui suprema Veritas es, ea revelasti et dixisti. Adjuva me, Deus meus, ut nihil desit fidei meae, neque unquam in credendo deficiam.

Actus Spei.

Spero, Deus meus, toto cordis affectu, ut a te obtineam salutem aeternam, et quidquid mihi necessarium est ad eam assequendam.

Actus Charitatis.

Amo te, Deus meus, et cupio amare toto corde, tota anima, tota mente, atque omnibus viribus meis; decrevi obedire tibi, et placere tibi super omnia in omnibus: Propter summam illam bonitatem tuam, qua dignus es ut ameris super omnia, et ut ab omnibus obediatur tibi. Adjuva me, Deus, ut non deficiam in amore, quem debeo infinitae bonitati excellentiae tuae.

Actus Contritionis.

Deus meus, doleo ex toto corde de omnibus peccatis, quibus immensam Majestatem tuam offendi; detestor ea omnia et singula; quae displicent supremae bonitati tuae. Ideoque toto cordis affectu propono non peccare de caetero. Tu, Deus meus, adjuva infirmitatem meum, ut deinceps non displiceam tibi peccatis meis.

Actus Oblationis.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam omnem. • Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id totum tibi restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et divis sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Omnipotens sempiterne Deus, ex quo sancta emanant consilia, quoque adjuvante justa perficiuntur opera; rege, quaesumus, propitius omnes cogitationes cordis nostri, hodie menti occurrentes, omnia verba dicenda et opera nostra toto vitae curriculo ac praesertim hac ipsa die facienda, ut Spiritus S. beneplacito fiant, omnesque tribulationes, quas Divina Providentia Tua vel in favorem vel in probationem nostram nobis perferendas injungit, aequo animo et Christiana patientia perferamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum.

Deo Patri.

O clemenissime Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! En ego vilissimus terrae vermiculus, qui non sum dignus vocari filius tuus, solus unigeniti Filii tui Redemptoris mei Jesu Christi infinitis meritis confisus, sisto me divinae Majestati tuae Creatori ac Domino meo: corpus et animam meam, et quidquid in me est (quae omnia tua dona agnosco) lubens tibi in sacrificium sempiternum trado et consecro. Suscipe hanc qualemcumque oblationem in unione sacrosancti istius Sacrificii, quod dilectus Filius tuus in ara Crucis tibi obtulit. Respice in faciem Christi tui: et imaginem tuam, ad hujus

ideam factam, in me agnosce. Hujus dignitas meam excuset vilitatem, hujus sanctitas meam compenset malitiam, faciatque ut perpetua charitate tibi cunjunctus vivam ac moriar. Amen.

Commendatio sui ad B. Virginem.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei animam meam tibi commendo; vitam et finem vitae meae tibi committo; ut per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Petitio Benedictionis.

Benedicat mihi indignissimae creaturae suae, Deus Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Omnipotentia Patris conservet me.

Sapientia Filii erudiat me.

Charitas Spiritus sancti accendat me.

Ut te Deum meum, unum in substantia, et trinum in Personis, hic in terris agnoscam, amem, et praedicem ; in coelis aeternum intuear et amplectar. Amen.

Puncta.

Mens Christo dedita aeque in majoribus et in minoribus intenta est. St Hier.

Qui timet Deum, nihil neglegit. Sap.

Quoties inter homines fui, minor homo redii. Inst. Christi.

In cella invenies, quod deforis saepius amittes. Ibid.

Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat; et omnia consilia tua in ipso permaneant, Tobias admon. ad filium.

Fac benigne in bona voluntate tua, ut aedificentur, Domine, muri Jerusalem. In medio Ecclesiae aperuit os ejus, et implevit illum Dominus spiritu sapientiae et intellectus, et stolam gloriae induit eum. Eccl. xv.

EXERCITIA PIETATIS ANTE CUBITUM.

In praxi virtutum modestiae et religionis.

I. Modestia exigit, **1.** ut Sacerdos vestes exuendo summam honestatem servet: si enim sanctus Ephrem de omnibus fidelibus dixerit: Christianus, etiam cum solus est, dum induit aut exuit, seipsum reveretur, sciens quod fas non est illi proprium corpus inspicere, quidni, et potiori jure, id de Ecclesiasticis dicatur?

2. Exigit etiam modestia, ut in strato honeste se componat, junctis manibus in modum crucis ante pectus, memorem Christi in cruce pendentis, et propter angelicae puritatis studium quod aemulari oportet. Ita Card. Bona.

II. Virtus religionis exigit sequentia: **1.** Ut vestes exuendo crebris orationibus jaculatoriis utatur et praesentiam Dei conservet, nec non Angeli sui Custodis fideliter sibi adstantis; cogitet, e. g. denudationem Christi ante flagellationem et ante crucifixionem, vel nuditatem animae suae ob virtutum et meritorum inopiam, vel expoliationem ad omnibus rebus in hora mortis, &c.: hisque considerationibus conformes affectus eliciat, et oret pro defunctis. Orationes jaculatoriae poterunt esse hae et similes:

Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis. Coloss. iii.

Quid proderit universa vanitas, cum veneris sicut fur in nocte?

Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti, cujus erunt? Luc. xii.

O Domine! vanitas vanitatum et omnia vanitas, praeter amare te et tibi soli servire!

2. Exigit virtus religionis, ut antequam lectum conscendat, in genua provoluti benedictionem a SS. Trinitate petat, reverentiam imagini Crucifixi exhibeat, atque, juxta consilium S. Vincentii de Paulo, B. M. Virginem Salutatione angelica honoret, et Angelum suum Custodem invocet, ut eorum patrocinio evigilare et alacriter surgere valeat.

Lectum aperiens meditetur suum sepulchrum: vel etiam quod lectulus Salvatoris fuerit praesepe, et durum lignum crucis.

3. Dum decumbat, exigit religio, ut se toto Deo commendet dicendo: In manus tuas, Domine, commendo psi-

ritum meum. Tunc signet frontem, os et pectus signo crucis, dicens: In nomine Patris, &c., ut ita ultima cogitatio, verbum, et opus sint Deo sacra. Deinde aliquoties repetat Jesu! Maria!

4. Exigit quoque religio, ut dum somnum exspectat, sanctam aliquam cogitationem assumat, in qua suaviter quiescat; eaque, in quantum possibile, desumatur ex meditatione postero die instituenda; alias servire poterit unum aut aliud punctum passionis Christi, ejus vitae vel doctrinae, e. g. Sudor sanguineus, aut agonia in horto vel in cruce, crucis bajulatio, Jesus in praesepio, pernoctans in monte, jacens in sepulchro, &c. Ita inutiles cogitationes sponte evanescunt, et in tentationibus promptum asylum reperiet. Haec autem praxis semper virtualiter meditandi, necessaria est, ut quispiam stabilem pietatem acquirat, seu deliciosum solidae devotionis spiritum induat. Si cubanti negetur somnus, cum S. Joanne Evangelista supra pectus Domini se recumbere finget, ibique per vices attrahens halitum, pronuntiabit continuo SS. Nomen Jesu, Maria, Joseph; atque ita suaviter inter brachia Salvatoris sui obdormiet.

5. Tandem si nocte expergiscatur, mentem protinus ad Deum elevet, oculos versus imaginem Crucifixi conjiciat; suspiret etiam cum Psalmista: Memor fui nocte nominis tui, Domine. Ps. cxviii. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Ps. vi. Juxta praxim S. Francisci Salesii, cogitet haec et similia auribus ejus insonare: Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit. Matt. xxv. Item: In noctibus extollite manus vestras in Sancta, et benedicite Dominum. Ps. cxxxiii. Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Ps. iv. &c. Atque his aspirationibus conformes affectus eliciat.

PRECES VESPERTINAE.

FORMA I.

In nomine Patris, &c.
Pater noster, &c.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita saecula seculorum. Amen.

Sancta et individua Trinitas, ante thronum misericordiae tuae prostratus, omnibus animae meae potentiis adoro divinam Majestatem tuam; et agnosco tibi soli deberi omnem amorem, laudem, et gratiarum actionem, propter infinitam tuam bonitatem.

Firmiter credo, et paratus sum profiteri, quicquid revelasti Ecclesiae tuae sanctae. Spero in misericordiis tuis; amo inexplicabilem bonitatem tuam. Doleo ex animo quod unquam te offenderim; et ex amore tui omnia peccata mea detestor, et statuo mori potius quam te offendere.

Gratias tibi ago, suprema Deitas, pro omnibus et singulis beneficiis tuis, generalibus et particularibus, notis et ignotis; nominatim vero pro creatione, redemptione, et vocatione meâ pro aliisque beneficiis in me omnesque collatis aut conferendis in aeternum.

Gratias deinde ago, quod hac die a multis malis animae et corporis me custodiens.

Deus meus, in gratiarum actionem offero tibi corpus meum, animam meam, intellectum et voluntatem meam, omnes affectiones meas, singulos gressus et motus corporis et animae meae, tam vitae praeteritae et praesentis quam futurae; et peto ut ejusmodi sint, ut sisti mereantur apud te.

Gratiarum actio, oblatio, petitio.

Deus honorande, tremende, adorande, quia me creasti ad imaginem et similitudinem tuam debeo me amori tuo totum; quia me redemisti pretioso sanguine tuo, debeo me amori tuo totum; quia me sanctificasti per lavacrum regenerationis in sanguine tuo, debeo me amori tuo totum; quia me vocasti ad dignitatem sacerdotalem, debeo me amori tuo totum; denique quia me hodie beneficiis cumulasti, et ad omnibus malis corporis et animi, liberasti, debeo me amori tuo to-

tum. Pro his igitur beneficiis, Pater amantissime, gratias divinae bonitate tuae ago, non quas debeo, sed quam possum maximas, ideoque coram sacratissimâ Virgine Mariâ, et curiâ tuâ coelesti universâ, divinae Majestati tuae offero me ipsum totum, una cum Domini mei Jesu Christi ac Filii tui dilectissimi passione et morte, ad laudem et gloriam nominis tui.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum.

Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Conserva in me, benignissime Deus, contra omnium inimicorum insidias, sanctam imaginem et similitudinem tuam, ad quam me formasti. Largire intellectui meo, ut in verâ tui cognitione incrementum accipiat; voluntati meae, ut terrena omnia despiciat, teque solum, in omnibus et prae omnibus, purâ intentione quaerat et diligat; memoriae etiam meae da, ut assiduâ meditatione sanctissimae voluntatis tuae et beneficiorum tuorum recordatione impleatur. Concede omnibus viribus et potentiis animae meae, ut tibi perfecte in omnibus subjiciantur; et corpus hoc terrenum, quod aggravat animam, cum omnibus sensibus et membris, tanquam arma justitiae et sanctimoniae, in conspectu tuo semper exhibeam; atque adeo purâ verâque fide, spe, charitate, et rerum omnium despicientia, eo contendam totus, ad quod conditus sum, et redemptus pretioso Christi sanguine. Amen.

Instituatur examen conscientiae.

1. Petitur lumen ad cognoscendum beneficia accepta et peccata admissa.

2. Aguntur gratiae pro beneficiis hac die acceptis.

3. Expenduntur omnes actiones diei, verba, cogitationes, omissiones, &c.; percurruntur conversationes, studia, loca, negotia, et examinatur, an et quid in illis delictum sit contra Deum, nos ipsos, aut proximos.

4. Vivus excitatur dolor in corde de peccatis admissis.

5. Eliciuntur bona proposita non amplius delinquendi, occasiones et pericula vitandi, &c. Media eliguntur ad hoc opportuna, &c.—*Vide* p. 37, nota; p. 42, examen; p. 47.

Actus Contritionis.

Domine Deus, doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te summum bonum super omnia dilectum offendi; et detestor ea, quia tibi displicent. Propono fir-

miter non peccare de aeterno: et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum; potius vitam et omnia amittere, quam peccatum committere: statuo etiam peccata mea quam primum confiteri; et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores, et onera.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

O Deus meus, omne bonum meum, doleo pure propter te, quod unquam offenderim te, infinito honore, amore, obsequio dignissimum. Ex momento hoc, omnium Sanctorum possibili affectu, te tuumque bene placitum amplector, amplectarque in aeternum. Da quod jubes, et jube quod vis.

O Jesu cordis mei, quam bonus fuisti semper erga nos, quam ingrati nos semper erga te! Fiat in nobis, de nobis, a nobis, semper in omnibus, tuum sanctissimum beneplacitum, ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

Clementissime Pater, fac me dignum, ut offeram tibi merita vitae et mortis dilectissimi Filii tui. Ecce nunc ego, in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi, offero tibi intellectum, voluntatem, et memoriam meam, cogitationes, verba, opera, labores, gaudia, bona omnia, vitam denique, et quidquid possideo aut possidere possum, per omnem aeternitatem.

Memento pro Vivis.

Memento, clementissime Pater, per passionem et mortem dilectissimi Filii tui, Ecclesiae tuae sanctae, illamque seu sponsam Filii tui, protege, sanctifica et exalta; ejusque ministros Spiritu Sancto reple, ut te totâ virtute, sicut scis et vis, per se suosque subditos glorificent.

Memento etiam, Domine, parentum meorum, fratrum, consanguineorum, amicorum istorum N. N. et istarum N. N. &c. omniumquae, pro quibus me vis orare, et eos peculiari gratiâ tuâ dirige, protege, et in viâ salutis promove.

Memento pro defunctis.

Per eundum dilectum Filium tuum miserere, misericordissime Pater, animarum Fidelium Defuntorum, maxime horum N. N. omniumque pro quibus me vis praecipue orare; veniam et requiem aeternam illis clementer indulgendo, ut te aeternum benedicant, laudent, et glorificent, cui debetur omnis laus, honor, et gloria. Amen.

Psalm, De Profundis.

Forma II.

In Nomine Patri, Filii, &c.
Pater noster, Ave, Credo, &c.

V. Cor mundum crea in me, Deus.
R. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
V. Ne projicias me a facie tua.
R. Et Spiritum sanctum tuum ne auferis a me.
V. Redde mihi laetitiam salutaris tui.
R. Et spiritu principali confirma me.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Deus, innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum; ut Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.

`. Illo nos igne, quaesumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram et voluit vehementer accendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanae fragilitatis infirmitatem agnoscis: respice, quaesumus, super nos famulos tuos, et tuae benedictionis abundantia infirmitatem nostram robora; ut vota nostra, quae praeveniendo adspiras, per auxilium gratiae tuae renovari facias, et sancte vivendo fidelius observari tribuas. Per Dominum nostrum, &c.

Aufer igitur primum a me, cor lapideum, saxeum, adamantinum; et da mihi cor vivum, sentiens, obediens, humile. Etiam rebellem compelle voluntatem meam.

Dele, destrue in corde meo, omnes falsos amores, vanos terrores, noxios errores, ut, his omnibus deletis et destructis, vere dicam: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

In eo scribe veritatem, imprime castum timorem, infunde sincerum tui amoris affectum; te super omnia, pure et unice diligam.

Domine, adauge nobis fidem. Da nobis illuminatos cordis oculos, quibus temporalium, et visibilium omnium vanitatem et nihilum videamus, aeternorum et invisibilium veritatem jugiter intueamur.

Viso et attento temporalium nihilo, ab eis oculos sic avertemus, ut nec aspiciamus.

Perspecta aeternorum solida et constanti veritate; ad haec anhelabimus; ad haec, inter mundanas varietates, nostra fixa semper erunt corda; ad haec, ut ad scopum nostrum, omnia nostra dirigemus et opera et passiones: propter haec, temporalium jacturam, corporis ipsius destructionem libenter patiemur. Quia momentum cum aeterno, leve et

modicum cum infinito et immenso commutabimus.

O Clementissime Deus, Creator, Protector, ac Redemptor meus! Te benedico, laudo, et glorifico cum omnibus Angelis et Electis Dei: gratiasque ago pro animi et corporis donis ac beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus, quae dedisti mihi? Suscipe, O Pater aeterne, oblationem meam: utinam majori affectu nunc, et in aeternum cum omnibus spiritibus te laudare et glorificare possem! Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

Examen—Pete lumen, et discute mentem.

Veni, sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radios: illumina mentis meae tenebras, ut peccata hodie commissa, negligentiasque meas videam, agnoscam, et detester.

Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super omnia dilectum, unquam offenderim! Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Erravi, sicut ovis, quae periit. Respice in me, et miserere mei. Ignosce, O Deus, ignosce per gemitus, lacrymas, Passionem et Mortem dilectissimi Filii tui Domini mei Jesu Christi. Ecce, mi Jesu, in te posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia scelera et delicta mea sacratissimo Sanguine tuo, tuisque infinitis meritis compenses, quidquid meae satisfactioni deest: tu enim es propitatio pro peccatis nostris. *Vide* p. 42.

Nota.—Cave, ne unquam, licet occupatissimus, Examen hoc vespertinum omnino negligas. Si otium non habeas orationes hic praescriptas recitare, age vel unico suspirio Deo tuo gratias pro acceptis isto die totaque vita beneficiis. Pete similiter lumen, inspice conscientiam et vide, qua in re Deum isto die graviter offenderis. Contritionem elice cum proposito emendationis. Potes hac ratione aeterne damnationis periculum evadere; adeoque etiam sine Confessione (si contingeret te subito mori ista nocte) salvari.

Actus Contritionis.

Deus bonus, totus clemens et misericors, qui non aspernis peccatores miserrimos; millies te coegi a me recedere et quasi violenter ab animae meae habitaculo propulsavi. Ah, quantum doleo, quod te offenderim, tam male responderim gratiis infinitis, quas indies percipio de liberali dextera tua. Domine et Redemptor mi! miserere mei per merita pretiosi Sanguinis tui, ignosce mihi omnes praeteritas infidelitates meas. Praebe mihi osculum pacis, qui sincere coram te protestor, quod mihi deinceps tam exacte invigilare velim, ut gratiae tuae subsidio minimas etiam occasiones, quae me in

peccatum praecipitem agere possent, sim declinaturus.

V. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

V. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus.

R. Populos quem elegit in haereditatem sibi.

V. Manda, Deus, virtuti tuae.

R. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

V. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.

R. Et rege eos et extolle illos usque in aeternum.

V. Unam petii a Domino, hanc requiram.

R. Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Salva, nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ps. cxxix, De Profundis.

Benedicat et custodiat nos, omnipotens et misericors Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Forma III.

In Nomine Patris, Filii.
Pater Noster, Ave.

Benedictus es, Domine.
Deus patrum nostrorum.
Et laudabilis et gloriosus in saecula. Et benedictum nomen gloriae tuae, quod est sanctum. Et laudabile et gloriosum in saecula.

Benedictus es in templo sancto gloriae tuae. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es super thronum sanctum regni tui. Et laudibilis, et gloriosus in saecula.

Benedictus es super sceptrum Divinitatis tuae. Et laudibilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es, qui sedes super Cherubim, intuens abyssos. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum, et super undas maris. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedicant te omnes Angeli, et Sancti tui. Et laudent te et glorificent in saecula.

Benedicant te coela, terra, mare et omnia, quae in eis sunt. Et laudent te et glorificent in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Familiam tuum, quaesumus, Domine, continua pietate custodi: ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera: et in bonis actibus tuo nomine sit devota.

Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: tribue, quaesumus, nobis ut ad promissiones tuas sine offensione curramus.

Pro papa.

Deus, omnium fidelium pastor, et rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice, da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere; ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Dominum nostrum.

Actus Fidei.

Credo Domine Deus, quidquid per Scripturam, unigenitumque Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et SS. Apostolos revelasti, mihique per Ecclesiam, quae columna est, et fermamentum veritatis, credendum proposuisti. In hac Catholica Fide per tuam gratiam vivere et mori statuo. Amen.

Actus Spei.

In te, benignissime Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, omnem spem meam ac fiduciam repono. Magna quidem et multa sunt delicta mea; tua tamen infinite major est bonitas, quae non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: hac tua immensa bonitate fretus, remissionem omnium meorum peccatorum et vitam aeternam me consecuturum plane confido.

Actus Charitatis.

Quis te non amet, amantissime Deus, qui in charitate perpetua dilexisti nos; Filiumque tuum unigenitum dedisti pro nobis? Quando mi Deus, veniam et apparebo ante faciem tuam.

Examen Conscientiae. Puncta Quinque Complectens.

1. Domino nostro Deo, pro beneficiis acceptis gratiae agendae sunt.

2. Ab eodem, pro cognitione et expulsione peccatorum, gratia efflagitanda est.

3. De admissis praesentis diei peccatis ratio ab animâ nostrâ exigenda est, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando; et primo quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam atque operationem.

4. Expetenda est venia de delictis.

5. Proponenda est, cum Dei gratiâ, emendatio.

Actus Contritionis.

O Christi Jesu! doleo ex intimo corde, me divinam majestatem tuam peccatis meis toties offendisse, quia tu es Deus infinite potens, sapiens, sanctus, et bonus cui haec admodum displicent. Proinde firmiter statuo, nunquam amplius te offendere, omnes peccandi illecebras fugere, rite confiteri, poenitentiam implere, damna ac detrimenta, si quae alicui intuli, rescarcire. Quinimo, ut plenius satisfaciam, remitto ex animo, si quis me unquam offenderit; meque totum tibi offero, omnia quae mihi toleranda vel agenda praevideris. Suppliciter peto veniam delictorum omnium, per merita pretiossimi sanguinis tui; tuaque gratia comite, vitam corrigam et ad mortem usque perseverem.

O Jesu, doleo, ex amore tui, quod offenderim te! Peccavi! O quam doleo; idque ex solo in te amore. Te aestimo, te unum amo super omnia, propter te ipsum qui hoc amore meo omnique alio sine fine dignus es.

Oratio pro felici morte obtinenda.

Domine Jesu Christe, vitae et necis Princeps, per sacrosanctam et amantissimam in cruce mortem tuam, precor, ut adventus in morte tuus me, non uti dormientem, imparatum et inertem, sed vigilantem et paratum invenies, ne permittas, quaeso, me impoenitentem ex hac migrare vita, et improvida morte praeoccupari; sed moriturum mature confirmes, ac munias Catholica fide, vera poenetentia, pura confessione, digna satisfactione, et sanctissimo Eucharistiae Viatico, oleique sancti perceptione. Cum caetera omnia me deserent, quae caduca et fluxa in hoc mundo possidentur, tu, qui cum electis tuis perpetuo manes, me non deseras, praesertim in extremo illo vitae agone, quando cum infestissimo Satana maxime luctandum est. Assistant mihi tum in morte Angeli tui, et migraturum adversus tentationes omnes protegant, tum in doloribus consolentur atque confirment. Vigeant in me tunc, fides, spes, charitas, et patientia, atque in pace sancta obdormiam, ut in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparasti, secure transire possim. Amen.

Oratio ad Sanctissimam Trinitatem in eundem finem, pro opportunitate.

Pater aeterne, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, per omnem bonitatem tuam, te rogo, concede mihi, ut in

bono perseverem et moriar in gratiâ tuâ.

Bone Jesu, per charitatem aeterni Patris, et ultima in cruce verba, quibus Patri Spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitae meae.

O Domina mea, Sancta Maria, sicut Deus Pater, per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, ita mihi, quaeso adsis in hora mortis, expellendo a me omnem contrariam potestatem.

Accende, O Jesu, igne amoris tui cor meum (quod tibi in holocaustum offero) omnesque terreni amoris flammas extingue; ut nihil in mundo mihi placeat praeter te. In amore tuo vivere cupio, et mori exopto.

Praecipitur mihi ne appaream in conspectu tuo vacuus. Sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae bonitatis dona, animae meae facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim, nihil praeter te amem, nec in ulla re mea, sed tua sola voluntas fiat. Amen.

Dignare Domine, nocte ista sine peccato me custodire.

Miserere mei Domine, miserere mei.

Fiat misericordia tua super me quemadmodum speravi in te.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Visita, quaeso, Domine, habitationem istam et omnes inimici insidias ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui me in pace custodiant, et benedictio tua sit super me semper. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ezechiae Regi te lacrymabiliter deprecanti vitae spatium protendisti, concede mihi famulo tuo, ante diem mortis meae tantum vitae spatium, ut omnia peccata mea valeam deplorare, et veniam ac gratiam, te miserante, merear impetrare. Amen.

De profundis, vel, Miserere.

Dominus det nobis suam pacem hac nocte.

Fidelium animae. Amen.

Forma IV.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Venite, extollamus manus nostras in sancta, et glorificemus Dominum, qui fecit nobiscum misericordiam suam. Amen.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio.

Omnipotens, aeterne Deus, gratias tibi ago, quod me ad

imaginem tuam creare, pretioso Sanguine et morte Filii tui redimere, atque ad hanc usque horam paterna tua providentia conservare dignatus es. Ah, quantas gratias tibi debeo, quod mihi coelum et aeterna gaudia, dummodo te super omnia amare velim, promiseris; quod mihi unum ex Angelis Custodem attribueris, quod ad veram fidem et ad statum sacerdotalem vocaveris, quod me a multis peccatis custodieris, et licet antea in ea saepius lapsus fuerim, tamen hactenus poenam debitam a me averteris. Quid de hodierna die dicam, quo iterum singularia beneficia mihi exhibuisti? Propter illa et reliqua omnia laudo et amo te, benignissime Deus, ex toto corde meo, ex tota mente mea et ex omnibus viribus meis; gratias tibi ago, quas possum maximas, o misericordissime Creator, a quo omnia bona proveniunt, pro omnibus beneficiis mihi indigno collatis, et pro illo amore tuo, quo me semper amplexus es, offero tibi merita dilectissimi Filii tui, ejusque Matris et omnium Sanctorum. Illi pro me laudent et revereantur te, tibique debitum reddant honorem. Hoc unicum rogo, ut in posterum semper in gratiarum actione permaneam.

Petitio gratiae.

Oro, amantissime Deus, ut innumeris beneficiis mihi jam collatis hoc quoque addas, ut intellectum meum ita illustres et voluntatem meam ita inflammes, ut agnoscam omnes cogitationes et omnia verba et opera, quibus te hodie offendi, utque de illis toto corde dolere et firmiter statuere possim, me nullum in posterum peccatum, ne levissimum quidem, deliberate admissurum, omnemque diligentiam me adhibiturum, ut illud vitium . . . . vitare, aut illam virtutem . . . . exercere valeam, sicut statim ab initio hujus diei in animo meo constitueram.

Examen.

An recollectionem mentis servare studuisti?

An jam in lecto decumbens materiam meditationis tibi in memoriam revocasti?

An usque ad somnum, et cum in nocte evigilares pias cogitationes conservare, aut preces recitare studuisti?

An mane statim, et diluculo surrexisti?

An sub induendo et lavando preces fudisti?

An de examinis particularis et meditationis materia cogitasti?

An preces matutinas devote recitasti?

An eundo ad ecclesiam et inde ad munera animi recollectioni studuisti?

An meditationem fideliter instituisti? lumina et proposita notasti?

An Missam attente et devote celebrasti?

An de te vanas et superbas, de proximo vero amaras, aut invidas cogitationes, aut vanas vel falsas suspiciones fovisti?

An vehementer iratus, indignatus vel valde impatiens fuisti?

An cogitationibus impuris et aliis tentationibus statim et fortiter restitisti?

An protulisti verba jactatoria, superba, minus pudica, irrisoria, aspera, maledica, detractoria, contumeliosa, mendacia?

An oculos conjecisti in personas alterius sexus, in imagines vel res inhonestas?

An in cibo et potu leges temperantiae transgressus es? an mortificationi et abstinentiae aliquantisper studuisti?

An ad studium attendisti?

An omne tempus bene impendisti?

An proposita mane concepta exsecutus es?

An bonam intentionem in operibus omnibus habere studuisti?

An leges urbanitatis et decori clericalis ubique, domi et foris, in mensa et in conversatione observasti?

An visitationes SS. Sacramenti devote instituisti?

An lectionem spiritualem rite instituisti?

An preces ad Salutationem Angelicam et ad campanae pulsus devote recitasti?

An Breviarium digne, attente et devote recitasti?

Doloris propositum.

Ante oculos tuos, Domine, Deus, prosternimur; rogare non audemus, quod impetrare non meremur. Tu scis, Domine, quae aguntur in nobis, erubescimus fateri, quod non timuimus admittere; verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine, confitentibus, ignosce precantibus, miserere te rogantibus. Tu enim, Domine misericors, clemens et pius. nullam relinquis, nullam respuis, nullum secludis a misericordia tua. Ad te confugimus, in te speramus; tibi seriam promittimus emendationem. Noli nos reprobare et non confundas nos ab exspectatione nostra. Miserere nostri, et de praeteritis delictis da veniam, de praesentibus emendationem, et de futuris largire custodiam, qui vivis et regnas in saecula seculorum. Amen.

Cor mundum crea in me, Deus.

Et spiritum rectum innova in viscerbus meis.

Oremus.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster, Jesus Christus, Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum.

R. Amen.

V. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

R. Amen.

V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi,

R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

V. Dignare, Domine, nocte ista,

R. Sine peccato nos custodire.

V. Miserere, nostri, Domine,

R. Miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Domine, exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Defende quaesumus, Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

V. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege et guberna.

R. Amen.

V. Noctem quietam et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.

R. Amen.

V. Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat aeternam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace;

R. Amen.

SENTENTIAE UTILLISSIMAE VEL MONITA A SACERDOTIBUS FREQUENTER PERLEGENDA.

Examinate saepius utrum exemplum sitis fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Quotidie saltem dimidiam horam mentali orationi ferventer impendite. Officium divinum recitate, 1 lente, 2 attente, 3 reverenter, 4 devote, corpore religiose composito et anima prius pie praeparata. Sanctissimum Missae sacrificium peragite 1 sine festinatione, 2 cum reverentia externa quae fideles aedificet, 3 cum attentione, 4 cum praevia praeparatione per quadrantem circiter horae. Post missam gratias agite, et cum Deo per quadrantem ad minus horae conversamini. Pro conversanda animi puritate confessionem ultra octo vel ad majus quindecim dies ne differatis. Pro confessario probum et doctum virum eligite. Quovis anno tempus pro spiritualibus exercitiis eligite. Examen particulare vel recollectionem cum lectione Novi Testamenti prandio praemittite. Societatem dissolutorum, tam laicorum quam clericorum, ubi nulla est probabilis spes eos ad meliora reducendi, fugite. Consortia, familiaritates et conversationes parum utiles, non necessarias, cum altero sexu vitate. Venationibus et aliis recreationibus quae scandalum vel vilipensionem clericorum ingenerant, sive murmur causant, renuntiate. Altaria, paramenta et sacram supplectilem curate mundissima esse. Visitate SS. Sacramentum tempore pomeridiano, ubi opportunitas sinet. Avaritiam ut pestem fugite, superflua vestra in causas pias impendentes. Instructiones catecheticas tam publicas in ecclesiis, quam privatas in scholis facite, promovete et juvate. Frequentes ad plebem exhorationes habete, utiles quidem, et quae magis ad compunctionem et emendationem quam ad *sterilem admirationem serviant.* Infirmis diligenter assistite, eos sacramentis, precibus, piis monitis et auxiliis temporalibus pro posse juvantes. Negotiis secularibus et

aliorum forensibus litibus ne immisceatis vos. Studiis solum clericalibus, praesertim Scripturae sacrae, impendite vos. In mensa, recreatione et somno, limites rationabiles ne excedatis. Sub actionibus diurnis mentem ad Deum levate. Mariam Dei Genitricem ferventer colite. Piam lectionem quotidie facere ne negligatis. In gravioris momenti deliberationibus non proprium judicium, sed, Deo invocate, confessarii vel alterius prudentis viri consilium sequimini.

Pro Quolibet Tempore.

Memor semper sis vocationis tuae, eoque nomine saepe Deo gratias agas, conerisque maxime vitam, ut ministrum Christi decet, instituere; cum tam multae utilitates ex boni, tot detrimenta ex mali vita sacerdotis proficiscantur. (S. Carolus.) Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum; et cave ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini Dei tui. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam exiguum libenter impertiri stude, quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias. Omni tempore benedic Deum; et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. (Tobias, in admon. ad filium, c. 4.) Quia, ut observant sancti Patres, et constans docet experientia, a minimis incipiunt qui in maxima prorunt; ideo nec parva peccata, nec parva officia unquam negligas; sed semper illa sedulo devita, et haec fideliter imple. Qui timet Deum, ait Scriptura, nihil negligit. Et S. Hieronymus: Mens Christo dedita aeque in majoribus et in minoribus intenta est. Quotidiana exercitia et solitas ac ordinarias actiones, etiam naturales, stude semper bene facere: 1. exemplo Christi, qui bene omnia fecit; 2. quia his continuo recurrentibus, facilius et citius assequeris perfectionem, et fies in Deum dives, si illa recte feceris; facies autem sic, si in statu gratiae, propter Dei gloriam et debita cum attentione ac fervore. Cum mundus totus in maligno positus sit, et longe facilius sit domi latere, quam foras se posse sufficienter custodire; ideo cellam tuam dilige, nec ab ea exeas, nisi necessitate compulsus et tui officii implendi causa. In cella invenies quod deforis saepius amittes. Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redii. Obsecro te et repetens iterumque

monebo, cave imprimis a sexu muliebri, qui (Eccles. vii. 27) consuetus est daemonum laqueus; et fuit innumeris, perdendae animae et famae causa.

Periculose tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus, aut vidua a te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Solus cum sola absque arbitro vel teste non sedeas. Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita. Crebra monuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes auro applicitas, ac degustatos cibos, blandasque et dulces litterulas sanctus amor non habet. Omnes delicias et lepores, et risu dignas urbanitates, et caeteras ineptias amatorum in comoediis erubescimus, in saeculi hominibus detestamur; quanto magis in clericis, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio.

In sacramentorum administratione, bonum et fidelem dispensatorem te semper praebe.

Ad praecipua quinque capita serio attende: ad Deum ut glorificetur; ad sacramentum, ut rite perficiatur; ad subjectum, ut sanctificetur; ad adstantes, ut pie excitentur; ad ministrum, ut crescat in gratia, utque, dum alios a peccati vinculo solvere intendit, seipsum peccati ligamine et catena non constringat.

Quidquid temporis divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habes, non in otio, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud contere; sed, cum in sortem domini vocatus sis, impende in operibus tuo ordini ac statui congruis. (S. Carol.)

Si in morbum incideris, cave ne simul cum corpore anima aegrotet. Non plus quam par est arti medicorum confidas, sed magis divinae voluntati obtempera. Cum infirmor, aiebat sanctus Paulus, tunc potens sum . . . . virtus in infirmitate perficitur. Custodi te a murmuratione, et exhibe te sicut Dei ministrum in multa patentia. Valetudine nova sese confirmante, ad tua implenda officia novos animos concipe. Quae retro sunt obliviscens, et quasi incipiens ad bravium assequendum, exemplo Apostoli *quotidie contende.*

De Examine particulari et Generali.

Animadvertere oportet, in quovis homine unum aut alterum vitium, sive peccatum esse solere *praecipuum, et quod in eo sit causa et radix* quod in eo sit causa et radix aliorum. Et licet in aliquo plura essent praecipua, expe-

dire tamen, ut unum deligatur, ad quod extirpandum toti incumbamus, ut eo superato ad aliud, et aliud deinceps, peculiarem hunc conatum et studium transferamus. Hunc igitur rei inserviet Examen particulare, cujus usus esse debet toto vitae tempore. Est autem multum commendandus hujus Examinis usus, propter magnam ejus utilitatem, praesertim ad consequendam animi puritatem, ut docet S. Bernardus.

Continet autem in se tria tempora ut loquitur S. Ignatius. Primum tempus est, quod mane statim ac e strato surgit homo, proponere debet cavere diligenter ab illo peccato (1) particulari, vel defectu a quo se vult corrigere, et emendare. Secundum tempus est pomeridianum, quo debet petere homo a Deo Domino nostro id quod cupit, scilicet, gratiam, ut recordetur, quoties lapsus sit in illud peccatum particulare vel defectum, et ut se emendet in postremum; et consequenter faciat primum examen, exigens rationem ab anima sua de illa re proposita et particulari, a qua se vult corrigere et emendare, discurrendo per horas singulas, vel per (1) tempora singula, incipiendo ab hora qua surrexit, usque ad horam et momentum examinis praesentis, et notet quoties in illud peccatum particulare seu defectum incurrerit, ac postea proponat denuo emendare se usque ad alterum examen, quod faciet. Tertium tempus, post caenam, quo fiet secundum examen eodem modo per horas singulas, incipendo a primo examine, usque ad secundum praesens, et notet quoties incurrerit in illud particulare peccatum seu defectum. Ab omnibus, qui in spiritu volunt proficere cum Examine particulari saltem semel quotidie conjungitur Examen generale. Modus faciendi Examen generale est sequens, et continet in se quinque puncta: Primum punctum est, gratias agere Deo Domino nostro pro acceptis beneficiis. Secundum, petere gratiam ad cognoscenda peccata, eaque expellenda. Tertium, exigere rationem ab anima, incipiendo ab hora qua surrexit quis, usque ad examen praesens, per horas singulas vel per singula tempora, ac primum de cogitatione, deinde de verbo, ac postea de opere, eodem ordine quo dictum est in Examine particulari. Quartum, petere veniam a Deo Domino nostro de defectibus seu culpis. Quintum, proponere emendationem cum ejus gratia.

Nota.—Hic notari juverit omnem examinis particularis materiam commode revocari posse ad haec tria, quae sacerdos sacrificium offerens quotidie commemorat, cum dicit, Hostiam offerens: "Suscipe, Sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo

vivo et vero pro *innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis,"* &c.

Peccata, i.e. culpae proprie sic dictae.

Offensiones, culpae minus proprie dictae, seu involuntariae, in quas scilicet offendere fragilitatem nostram in tot variis vitae hujus casibus pronum est, ferme ut per viam salebrosam incedenti frequenter offendere seu impingere vel nolenti accidit. Et tamen, cautius incedendo, offensiones hujusmodi minuere, Examinis particularis ope, Dei famulus potest et debet. Postulatur enim a nobis, ut solliciti ambulemus cum Domino Deo nostro. Mich. vi.

Negligentiae, eae quae ad rationem quidem peccati omissionis non pertingunt, sed in actiones nostras irrepere, easque tam imperfectas, minusque acceptas Deo reddere solent; suntque profecto innumerae, sive intentionis puritatem et intensionem spectes, sive modos omnes, quibus actiones nostras ornari ac perfici in Dei conspectu decet, pro mensura luminis et gratiae nobis a Domino communicatae.

Applicandum ergo Examen particulare, 1. ad tollenda peccata; 2. ad tollendas vel certe minuendas offensiones; 3. ad tollendas vel certe minuendas negligentias, per earum virtutum exercitia, quibus exornari actiones, singulas, omnemque vitam nostram oportet.

Oh! quot subita morte praeveniuntur!

Quo sani cubile ingressi sunt, et eadem nocte ad inferos descenderunt; quia in peccato mortali sine contritione obdormierunt! Oh! si non reformidares sic quiescere in statu in quo mori non auderes! Quis scit an somnus, quem in hoc mortifero statu caperes, non esset etiam tibi aeternae mortis initium? "Ego proficiebam sapientia, aetate et gratia, apud Patrem et homines." Tu quoque, sacerdos meus, alter Christus. Fili, debes de die in diem proficere: si non proficis, deficis: et quomodo proficies, si defectus tuos non observaveris, non consideraveris, non emendaveris? Redi igitur vespere ad cor tuum, et accurate disce teipsum. Considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid admittis; quantum quotidie proficis, vel deficis; quibus cogitationibus magis occuparis, quibus affectibus tangeris, quibus tentationibus a demone acrius impugnaris. Hoc sancti mei, dum in terra vivebant, crebro faciebant, et ideirco tantum in virtute proficiebant. Requirentes et observantes quotidie defectus suos, ipsos de die in diem corrigebant et minuebant. Quo frequentius, prae fragilitate, ceciderant, eo alacrius resurgebant; eo virilius se ad pugnam para-

bant, eo instantius meum petebant auxilium. Sic jam justi justificabantur adhuc, et jam sancti plus sanctificabantur; sicque leves eorum lapsus potius erant ipsis incitamenta virtutis quam impedimenta perfectionis. Fac similiter, fili; dum silent omnia, et a negotiorum tumultu vacuus est animus, scope spiritum tuum, Memoriale, c. xlii.

MEDIA SANCTITATIS SACERDOTALIS.

Orationes Variae.

Omnia possum in eo, qui me comfortat. Philip iv.

Orationes Variae per Diem Usurpandae.

Angelus.

V. Angelus Domini nuntiavit Mariae.

R. Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria, &c.

V. Ecce ancilla Domini.

R. Fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria, &c.

V. Et Verbum caro factum est.

R. Et habitavit in nobis. Ave Maria, &c.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nota (1) Benedictus XIII. concedit Indulgentias plenarias in uno die cujuslibet mensis lucrandas, omnibus illis qui mane aut meridie, seu vespere ad pulsum companae Angelus Domini, &c., cum tribus Ave Maria, flexis genibus devote recitaverint, atque ea omnia praestiterint quae pro plenariis Indulgentiis prestari debent. In reliquis vero anni diebus, idem Pontifex concedit Christi fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dierum Indulgentias.

(2) Postea declaravit Benedictus XIV. preces illas omnibus Dominicis per annum incipiendo a primis Vesperis, dicendas esse stando, tempore autem paschali semper stando earum loco dicendam esse antiphonam Regina coeli; ita tamen ut illi qui hanc memoria non tenent, lucruntur Indulgentias recitando Angelus.

FORMULA RENOVATIONIS VOTORUM CLERICALIUM, QUAE PRAESERTIM TEMPORE SACRI SECESSUS, IN COMMUNI AUT PRIVATIM RECITABITUR VALDE UTILITER.

O amantissime et amabilissime Deus, quam magna multitudo dulcedinis tuae! charitate etenim perpetua dilexisti me et attraxisti me ad te miserans mei: nam propter nimiam charitatem, qua dilexisti me, suscitasti a terra inopem, et de stercore erexisti me pauperem, ut collocares cum principibus populi tui.

Non ego quidem, sed tu prior elegisti me de mundo, nolens me conformari huic saeculo, ne princeps hujus mundi in me haberet quidquam, et non cum hoc mundo, qui totus in maligno positus est damnarer; at potius posuisti me in Clero tuo, ut illic irem de virtute in virtutem, ut fructum dignum bonorum operum afferrem, qui in æternum maneret, quo Teipsum mercedem magnam nimis mihi acquirerem, ac partem haereditatis meae perditam mihi recuperarem. Quapropter et ego quoque elegi te, ut sis Dominus meus et Deus meus, pars mea in æternum.

Sed eheu! haereditatem meam non satis attendi, substantiam meam dissipavi; retrorsum abii, mundum dilexi, vanitates et insanias falsas non exhorrui; inimicis tuis manum dedi, tunicam innocentiae commaculavi; superflua aut dilexi, aut quaesivi, aut retinui; lucernan boni exempli extinxi; fidelem cultum tibi et Ecclesiae tuae non exhibui, perfectionis studium et media ad eam non quaesivi, non satis admisi. Jugum tuum dulce et onus leve excussi, Spiritum Dei contristavi, eumque extinxi; sed tu, Domine, miserere mei et resuscita me.

Tibi ergo Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostrae, sicut est dies haec; et hoc solum mihi nunc superest, idque unice in votis, ut Spiritu principali confirmes me, et Spiritum rectum innoves in visceribus meis, iterumque vota priora admittas, et sic me deinceps vivere concedas, ut qui pars Domini sum et Dominum partem meam iterum eligo, talem me exhibeam, ut ipsum posideam Dominum, et a Domino ipse possidear, nec quidquam contra aut extra te Dominum meum cupiam.

Eligant itaque sibi alii partes, quibus fruantur, terrenas et temporales; portio mea Dominus est. Bibant alii mortiferas voluptates; pars calicis mei Dominus est. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

Te solo igitur contentus, Deus meus et omnia, agnosco iterum coram coelo et terra, quoniam funes mei ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi; quaestus magnus mihi est pietas cum humilitate et sobrietate; abjicio itaque denuo omnes mundi pompas, superfluas vanitates, et insanias falsas, et eligo abjectus esse in domo tua, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

De hoc multum sollicitus, ut tunicam sanctitatis, quam dimisi, aut defoedavi, iterum resumam in sanguine tuo dealbatam, nec unquam dimittam. Haec sunt vota, haec sunt sincera cordis nostri desideria, quae supplicamus tibi esse accepta, et per Spiritum sanctum in visceribus nostris dignanter innovata in mundi contemptum, et fidelioris ac constantioris cultus tui testimonia, denuo reiterata; ut ita suscipias me secundum eloquium tuum, et vivam et non confundas me ab expectatione mea. Itaque profiteor, quia tu Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Amen.

Oratio Presbyteri.

Domine Jesu, Apostole et Pontifex confessionis nostrae, semper vivens ad interpellandum pro nobis, qui cum essem parvulus in oculis meis, ex hominibus assumpsisti me, et pro hominibus constituisti me in iis quae sunt ad Deum, ut offeram dona et sacrificia pro peccatis, et condolere possim iis qui ignorant et errant; emenda, quaeso, per sanguinem tuum conscientiam meam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, et sanctifica me in veritate; ut sacrificia mea consumantur igne quotidie, et tibi confixus cruci immoler ipse supra sacrificium. Fac ut bonus dispensator multiformis gratiae Dei, in membra tua illam administrans, impendam et superimpendar ipse pro animabus fratrum meorum, servorum tuorum, et concede ut te clarificans super terram, et opus consummans quod dedisti mihi ut faciam, ubi es tu, et ego sim tecum, ut videam claritatem tuam quam dedit Pater, quia dilexit te ante constitutionem mundi. Qui vivis et regnas.

ORATIO UNIVERSALIS.

Ad omnia salutem spectantia.

Credo, Domine, sed credam firmius. Spero, Domine, sed sperem securius. Amo, Domine, sed amem ardentius. Doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te, ut primum principium; desidero, ut finem ultimum; laudo, ut benefactorem perpetuum, invoco, ut defensorem propitium.

Quâ me sapientiâ dirige, justitiâ contine, clementiâ solare, potentiâ protege.

Offero tibi, Deus meus, cogitanda, ut sint ad te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo vis, volo quamdiu vis.

Oro, Domine, intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in propositis firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Assidue invigilem naturae domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Discam a te, quam tenue sit, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam.

Paradisum obtineam. Per Christum, &c. Amen.

ORATIO AD PETENDAS VARIAS VIRTUTES.

QUAM SANCTUS THOMAS AQUINAS QUOTIDIE RECITASSE FERTUR.

Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt diligenter et ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte

adimplere. Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum; et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam possim, et velim, et da exequi, ut operat et expedit saluti animae meae. Via, quaeso, mihi ad te sit tuta, recta, et consummata, non deficiens inter prospera et adversa; ut in illis non extollar, et in istis non deprimar, in prosperis gratias tuas tibi referam, et in adversis servem patientiam. De nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod promovet ad te, vel quod abducit a te. Nulli placere cupiam, vel displicere timeam, nisi tibi. Omnia in charitate da facere, et quod ad cultum tuum non pertinet, pro nihilo reputare. Actiones meas da peragere, non ex consuetudine, sed ad te referre, cum devotione. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria propter te, et chara sint omnia tua, et tu, Deus meus, plusquam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te; et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te. Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam, cum emendationis proposito, dolendo pensare. Fac me, Deus meus, humilem, sine fictione; hilarem, sine dissolutione, tristem, sine dejectione; maturum, sine gravitate; agilem, sine levitate: veracem, sine duplicitate; te timentem, sine corruptione; obedientem, sine contradictione; patientem, sine murmuratione. Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla abs te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio. Da denique tuis hic poenis consumi per poenitentiam, tuis beneficiis uti per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patriâ frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto, vivas et regnas in saecula saeculorum.

Amen.

PRO TUENDA CASTITATE.

Ego (N.) coram castissimâ Virgine Mariâ, Angelo Custode, et totâ curiâ coelesti, tibi, Deus cordis mei, quem ubique praesentem agnosco, et veneror, me sisto; ac protestor me nolle consentire, non modo facinori committendo, sed ne cogitando quidem, quamtumvis adversarii vim inferant. Detestor et execror omnes istas foeditates ac scelera. Frustra agis, sordide tentator, daemon spurcissime; malo enim dehiscat terra, castoque mihi mille

reseret inferus, quam ut turpi delectationi, vel ad momentum, consentiam. Ita decretum, ita constitutum est. Adeste, O Maria, O Angele, O Patrone castitatis meae; tuque voluntatem hanc meam confirma, O bone Jesu, quod ut facias, per sanguinem tuum supplex rogo. Amen.

Oratio ad Sanctum Aloysium, qui ob animi et corporis puritatem dictus est Angelicus.

O Sancte Aloysi angelice, ego, humillimus cliens tuus, animi et corporis mei castitatem singulariter tibi commendo, et rogo te, angelicam per puritatem tuam, ut me Jesu Christo, Agno immaculato, ejusque Matri Virginum Virgini, commendare digneris, et ab omni foeditate custodire. Ne permittas me unquam ullâ impuritatis labe foedari, sed cum primum in tentatione et peccandi periculo constitutum me videris, abige procul a corde meo cogitationes et affectus omnes immundos, et injectâ memoriâ aeternitatis et Christi crucifixi, imprime mihi medullitus sensum timoris Domini, et divini amoris in me ignem accende.

Haec Oratio potest etiam dirigi ad Angelum Custodem, in hac verba. O Sancte Angele Dei qui Custos es mei, ego humillimus cliens, &c.

ORATIO IN QUAVIS AFFLICTIONE CORPORIS ET ANIMI.

O Clementissime Deus, memor esto quaeso, benigneque considera tuam esse, te vero Dominum et Creatorem meum. Ecce in manu tuâ sum; si vis, potes me, vel solo nutu, juvare, et sanctissimae voluntati tuae integre me resigno; paratus hanc, et aliam quamvis afflictionem, quamdiu tibi placuerit, sustinere, atque ipsam etiam mortem, si ita tibi visum fuerit, subire. Utere me sicut vis, in tempore et aeternitate; quidquid, tu Pater coelestis in me et de me facere decreveris, fac misericorditer. Nam ad omnia, quâ possum humilitate, me totum tibi offero, trado, et resigno. Libenter patior pro te, quidquid super me venire volueris, dummodo mihi tuam simul gratiam largiaris, quâ omnia patienter et constanter feram. Custodi me solum, O Deus, ab omni peccato, et non timebo mortem nec infernum. Haec summa, amantissime Pater, mihi crux est, quod te, quem amo super omnia, un-

quam offenderim. Cupio, Domine, hac meâ afflictione pro peccatis meis satisfieri, tuamque mihi gratiam reconciliari, pro quâ non patienter solum, verum etiam libenter, haec et quaevis alia mala sustinerem. O Domine, hoc ante omnia peto, ut dimittas peccata mea, tuamque mihi gratiam largiaris, ut te, Deum, summum bonum meum, cum omnibus Angelis et electis tuis digne amare et laudare merear, nunc et in aeternum. Amen.

ORATIO RECITANDA TEMPORE CUJUSCUMQUE PUBLICAE CALAMITATIS.

Omnipotens, aeterne Deus, refugium, virtus, et solus tuorum fidelium, non secundum pecata nostra, quae fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras, retribuas nobis; ea quae flagella justae indignationis tuae meremur et patimur, ea propter nominis tui gloriam a cervicibus nostris clementer averte. Bellum igitur, [vel famem, vel pestilentiam, vel morbos, vel aeris intemperiem, vel imbrium inundantiam, vel nimiam terrae siccitatem, aut sterilitatem, vel grandiem, vel fulgura et tempestates, vel quamcunque aliam calamitatem, &c.] pro tuâ ingenti bonitate depelle, aut certe bonâ ex parte nobis mitiga. Tuâ benedictione paternâ nitimur; a te opem, qui auxiliator es in tribulatione, petimus et speramus. Tantum ne memineris iniquitatem nostrarum antiquarum, sed cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Igitur adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, libera nos; et peccatis nostris esto propitius, ut corpore et animo salvi, tibi omnium fonti bonorum, et deinde proximo nostro, expeditius inserviamus, cum a praesentibus periculis et perniciosis vitae hujus aerumnis tua nos gratia liber avertit. Non enim delectaris in perditione nostrâ; quin et post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymas et fletum exultationem infundis. Benedic, Domine, populo tuo, nostraque tempora fidelibus tuis tranquilla et prospera esse concede. Per Christum Dominum nostrum.

ORATIO PRO AMICO SINGULARI.

Custodi, Domine, famulum tuum (N.), pro quo Majestati tuae supplicamus, et ut constans maneat, ac vitae hujus pericula illaesus pertranseat, nullisque tentationibus a te, summo bono, unquam separetur. Remittantur illi, quaeso, peccata, augeatur in eo justitia, tua simul tranquillitas animi et justa disideria. Vocationi suae, in quâ degit, probe satisfaciat, aeque in prosperis atque in adversis rebus sese moderate gerat, atque finem vitae felicem, te duce, consequatur. Illius animam et corpus, vitam et mortem, divinae tuae gratiae magnopere commendamus, ut benedictionis virtute, in viis omnibus dirigatur, et contra insidias hostium animae et corporis defendatur.

ORATIO PRO AEGROTO.

Deus, humanae infirmitatis praesidium ac restaurator, sub cujus nutibus cuncta vitae nostrae momenta decurrunt, aegroto ac infirmo famulo tuo (N.), cujus vitae metuimus, misericordiae tuae veraeque salutis opem supplices imploramus. Agnoscat ille se virgâ paternâ visitari et corripi. Tuae bonitati et Providentiae fidenter sese committat, nec minus animi quam corporis incolumitatem quaerat et amet. Eventum omnem de manibus tuis pendere cognoscat. Crucem hanc abs te impositam sciat, quae ut sit salutaris, auge illi patientiae donum, ut in morbo sine pusillanimitate, impatientiâ, murmuratione versetur. Quare infirmitas praesens ad tuam illi gloriam proficiat, eumque adferat fructum, ut virtutem tuam expertus, post hoc te magis metuat, colat, amet, ac laudet. Quod si expedit illum convalescere, tu media necessaria eidem providenter concede, ut sanitati restitutus, majores in justitiâ progressus facere velit et possit. Si vero illum de hoc mundo vocare statuisti, fiat, Pater, voluntas tua; simulque praesta virtutem, quae illum ad extremum vitae spatium rite disponat. Non ex timore, sed amore, tibi ac Ecclesiae reconcilietur, mature Sacramentis utatur, eorumque virtutem percipiat; patientiâ duce, dolores propter te superet, contra hostes ac tentationes omnes pugnet fortiter, tuum adventum excipiat vigilanter, et in pace sanctâ demum obdormiens, ad te summum aeternum que bonum recte proficiscatur. Amen.

PIA SUSPIRIA.

Ex sacra Scriptura deprompta, quorum usus quovis tempore esse poterit, vel Modus breviter Contemplandi magnas veritates.

I.—AD IMPETRANDAM REMISSIONEM PECCATORUM.

Peccavi, quid faciam tibi, O custos hominum?

Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis? Job. vii.

Dimittam adversum me eloquium meum; loquar in amaritudine animae meae, dicam Deo; noli me condemnare. Job. x.

Vide humilitatem meam; et laborem meum; et dimitte universa delicta mea. Psalm. xxiv.

Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris, Domine. Ps. xxiv.

Respice in me, et miserere mei. Ps. xxiv.

Miserere mei, Domine, sana me, quia peccavi tibi. Ps. xl.

Miserere mei, Deus secundum magnam misericordiam tuam. Ps. l.

Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Job. v.

Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. Psalm. lxviii.

Veniant mihi miserationes tuae, et vivam. Ps. cxviii.

Erravi sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum. Job. v.

Ne intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. clxii.

Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum : ne irascaris, Domine, satis; et ne ultra memineris iniquitatis nostrae. Isa. lxiv.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut fleam die ac nocte? Jerem. ix.

Surgam, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in coelum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. xv.

Jesu fili David, miserere mei. Luc. xviii.

II.—AD IMPETRANDAM HUMILITATEM.

Vilior fiam plus quam factus sum; et ero humilis in oculis meis. 2 Reg. vi.

Quantus ergo sum ego, et respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo. Job. ix.

Memoria mea comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices meae. Job. xiii.

Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea. Job. v.

Putredini dixi: Pater meus es, et soror mea vermibus. Job. xvii.

Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis. Ps. xxi.

Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum. Ps. viii.

Bonum mihi quia humiliasti me. Ps. cxviii.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Phil. ii. Et ego superbiam?

III.—AD VITAE HUJUS COGNITIONEM.

Peregrini sumus, Domine, coram te, et advenae, sicut omnes Patres nostri; Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1 Par. xxix.

Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Job. vii.

Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverum reduces me. Job. x.

Numquid not paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte me igitur, ut plangam paululum dolorem meum. Job. x.

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Ne revoces me in dimidio dierum meorum. Ps. ci.

Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et praecipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam vivere. Job.

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Num. xxiii.

IV.—IN AUGUSTIIS ET ANIMI MOERORE.

Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde. Ps. vi.

Aruit, tamquam testa, virtus mea: et lingua mea adhaesit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me. Ps. xxi.

Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Ps. xxx.

Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Ps. xxiv.

Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Ps. xxxvii.

Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo. Ps. xlii.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Ps. l.

Laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. Ps. lxxxv.

Velociter exaudi me, Domine, deficit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum. Ps. cxlii.

Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. Jer. xlv.

Domine, multi gemitus mei, et cor meum moerens. Th. i.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matt. xxvi.

Redde mihi laetitiam salutaris tui. Ps. l.

V.—AD EXERCENDAM MENTIS DEVOTIONEM.

Domine, quod bonum est in oculis suis, faciat. Reg. iii.

Si dixerit mihi: Non placet, praesto sum, faciat quod bonum est coram te. 2 Reg. xv.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Psalm. lvi.

Sicut fuerit voluntas in coelo, sic fiat. 1 Mach. iii.

Fiat voluntas tua. Matt. xxvi.

Domine, quid me vis facere? Act. ix.

VI.—AD PATIENTIAM IMPETRANDAM.

Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit Nomen Domini benedictum. Job. i.

Si bona suscepimus de manu

Domini, mala quare non suscipiamus? Job. ii.

Quis ego sum, ut contradicam Domino meo. Judith. xii.

Dominus praecepit, et quis audet rogare, quare sic fecerit. 2 Reg. xvi.

Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. Ps. xxxvii.

Calicem salutaris accipiam, et Nomen Domini invocabo. Ps. cxv.

VII.—ADVERSUS TENTATIONES.

Quo modo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum. Gen. xxxix.

Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem. 1 Reg. xxiv.

Confirma me, Domine Deus, in hac hora. Judith. xiii.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Ps. vi.

In te eripiar a tentatione. Ps. xvii.

Salvum me hac Deus; quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Ps. lxviii.

Eripe me de luto, ut non infigar. Ps. xvii.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi; et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Ps. lxxiii.

Nisi quia, tu Domine, adjuvisti me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Ps. xciii.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Psalm. cxviii.

Omne desiderium averte a me, aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiae; ne apprehendat me, et animae irreverenti et infrunitae ne tradas me. Eccli. xxiii.

Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum; quam peccare in conspectu Domini. Dan. xiii.

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Matt. vi.

VIII.—AD FIDUCIAM EXERCENDAM.

Etiam si occideret me, in ipso sperabo. Job. xviii.

Domine, pone me juxta te, cujusvis manus pugnet contra me. Job. xvii.

Deus meus in te confido, non erubescam. Ps. xxiv.

Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es, Ps. xxii.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Ps. xxx.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. Ps. lxxii.

Dominus mihi adjutor; non timebo, quid faciat mihi homo. Ps. cxvii.

Domine, fortitudo mea et robur meum in die tribulationis. Jer. xvi.

IX.—DE MORTE ET JUDICIO.

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat. Job. x.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei. Job. xiv.

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi. Job. xxxi.

Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum et pondus ejus ferre non potui. Ibid. v.

Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis. Psalm. xvii.

Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui. Ps. cxviii.

X.—AD CAUTELAM IN LOQUENDO.

Dixi: Custodiam vias meas; ut non delinquam in lingua mea, ponam ori meo custodiam. Ps. xxxviii.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Psalm. cxl.

Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non eadam ab ipsis, et lingua mea perdat me? Eccli. xxii.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Jacobi. iii.

XI.—AD COGNOSCENDAM DEI VOLUNTATEM IN REBUS DUBIIS, VEL MOMENTI.

Loquere, Domine; quia audit servus tuus. 1 Reg. iii.

Vias tuas Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me. Ps. xxiv.

Perfice gressus meos in se-

mitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Ps. xvi.

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Ps. xlii.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Ps. lvi.

Deus, misereatur nostri et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri. Ps. lxvi.

Deduc me Domine, in via tua et ingrediar in veritate tua. Ps. lxxxv.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum et non dominetur mei omnis injustitia. Ps. cxviii.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. Ps. cxlii.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ibid. v.

Domine, quid me vis facere. Act. ix.

XII.—POSTQUAM STATUIMUS DEO SERVIRE.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi. Ps. cxv.

Convertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Ps. cxiv.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ps. lxxxiii.

Amodo voca me: Pater meus tu es. Jer. iii.

XIII.—AD DIVINAE PRAESENTIAE RECORDATIONEM.

Dirige in conspectu tuo viam meam. Ps. v.

Quo ibo a spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, et enim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Ps. cxxxviii.

Oculi tui, Domine, multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi; et hominum corda intuentes in absconditas partes. Eccles. xxiii.

Oculi tui aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddes unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. Jer. xvi.

MODUS COLENDI.

BEATAM VIRGINEM MARIAM.

Praecipuus et potissimus Beatae Virginis cultus in virtutum ejus imitatione consistit. *Talis fuit Maria*, ait B. Ambrosius, *ut ejus unius vita omnium disciplina sit. Quicunque ergo sibi Mariae optat proemium*, (dico ego, *et beneficium*), *Mariae imitetur exemplum.* Quocirca, ut ejus virtutes ac integerrimae vitae exemplum exprimere in nobis, vel adumbrare saltem aliquo modo, possimus, lubet hic brevem catalogum virtutum ejus omnium praecipuarum subnectere, ex quo amplissima ad eam imitandam materies eruatur.

Vita Mariae vel brevis et succinctus amplissimarum Beatae Virginis virtutum Catalogus, ex B. Ambrosio decerptus.

Sit vobis, tanquam in imagine, descripta virginitas vitaque Beatae Mariae, de quâ, velut speculo, refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi, tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Quid castius eâ, quae corpus sine corporis contagione generavit?

1. *Puritas Mariae Virginis.*—Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente; quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret effectum.

2. *Humilitas et prudentia.*—Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem sed Deum quaerere.

3. *Lenitas et mansuetudo.*—Non laedere reos, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, aequalibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

4. *Modestia in conversatione.*—Quando ista vultu laesit parentes? Quando dissensit a propinquis? Quando fastidivit humilem? Quando derisit debilem? Quando vitavit inopem? Eos solos so-

lita coetus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque praeteriret verecundia.

5. *Modestia in verbis, gestu, incessu, actu.*—Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

6. *Sobrietas, et precationis assiduitas.* — Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? Alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturae defuisse; illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies; et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.

7. *Somni parcitas.* —Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, gerenda praenunciat.

8. *Modestia foras prodeundo.* — Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quam seipsa; quae incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat Virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem.

9. *Studii profectus.* — Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur; sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? Ut eam parentes dilexerint, extranei praedicaverint; quae digna fuit ex quâ Dei Filius nasceretur.

10. *Quies et solitudo non otiosa.*—Haec ad ipsos ingressus Angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites foeminas desiderabat; quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetae? Denique et Gabriel eam, ubi revisere solebat, invenit; et Angelum Maria quasi viri specie mota, trepida, quasi non incognitum, audito nomine, recognovit.

11. *Pietas ejus et charitas in alios.*—Quam vero religiosa in propinquos fuerit, Scriptura divina significat; nam et humilior facta est, ubi se a Deo agnovit electam, et statim ad cognatam suam in

montana processsit (non utique ut exemplo crederet, quae jam crediderat oraculo), et tribus cum eâ mensibus mansit. Tanto autem intervallo temporis, non fides quaeritur, sed pietas exhibetur.

12. *Studium ejus in praeceptis Dei cognoscendis.*—Quamvis esset Mater Domini, discere tamen praecepta Domini desiderabat; et quae Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

13. *Pudor et verecundia ejus in omnibus.*—Quid quod annis quoque omnibus ibat in Jerusalem, solemni die Paschae, et ibat cum Joseph. Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

Talis denique fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit.

Orationes Variae.

Ad Beatam Virginem. Oratio S. Augustini ad Beatam Virginem.

O Beata Maria, quis tibi digna valeat jure gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitâs humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe igitur quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; excusa quod timemus; quia tu es spes peccatorum; per te speramus veniam delictorum et in te. Beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis poscentium et repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidue orare pro populo Dei, quae meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi, qui vivit

et regnat in secula seculorum. Amen.

Oratio S. Bernardi ad Deiparam Virginem.

Per te accessum habeamus ad Filium, O benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua Deo tam grata nostrae veniam impetret vanitati ac superbiae. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos representa. Fac, O benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos beatitudinis et gloriae suae, Jesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

Praxis petendi varias virtutes a Beatâ Virgine.

Saluto te, humillima, laudo et glorifico, o Sancta Maria, Domina mea clementissima, purissima, sanctissima, felicissima, Regina angelorum potentissima, patriarcharum, prophetarum, et apostolorum gloriosissima, martyrum fortissima, confessorum sapientissima et fidelissima, virginum, viduarum, et omnium Sanctorum mundissima, Dei Mater verissima. Tu nosti miserias meas, infirmitatem, et vulnera, paupertatem et nuditatem. Ecce gemitus meus et languor desiderii mei coram te est; respice in me et miserere mei. Sicut ubicunque fuerit corpus, congregantur et aquilae. (Richardus a S. Victore), ita ubicunque fuerit miseria, tua et currit et succurrit misericordia; adeo pietate replentur ubera tua, ut tacta alicujus miseriae notitiâ, lac fundant misericordiae, nec potes miserias scire, et non subvenire.

Ecce pedibus tuis advolutus, o asylum miserorum, o mediatrix inter Deum et homines, humiliter te rogo et obtestor maternum pectus tuum, per eum amorem, quo Jesum Filium tuum diligis, per eam charitatem, quâ nos in servos, clientes, et indignissimos filios tuos ascivisti, impetra mihi plenam remissionem peccatorum meorum, verissimam eorum detestationem, et dignos in hac vitâ poenitentiae fructus; generosam item mortificationem sensuum et affectionum mearum, et plenissimam tentationum victoriam. Exora mihi

augmentum fidei, certam spem, perfectam charitatem, integram in voluntate Dei resignationem, puritatem intentionis, affectum devotionis erga Jesum crucifixum, venerabile Sacramentum, et erga te, Dominam et matrem meam. Impetra mihi obedientiam erga superiores, affabilitatem et mansuetudinem erga omnes, profundam humilitatem, magnanimitatem, et in adversis patientiam; ac denique perseverantiae donum, sanctam et felicem mortem. Eia, Advocata nostra, exhibe mihi in horâ mortis meae jucundissimam praesentiam tuam, et adversus ardores justitiae divinae umbrâ tuâ me contege. Ita eris mihi semper Domina et Regina colendissima, ac Mater amantissima; tuumque honorem et cultum, quibus potero obsequiis et officiis, tuo confirmatus favore promovere conabor.

Nota — Praxes praecedentes usui esse possunt visitantibus altare Beatae Virginis.

Memorare.

Memorare, O piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum, Mater, curro. Ad te venio; coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Praeclara custos Virginum.
Coelestis aulae janua,
Spes nostra, coeli gaudium.
Inter rubeta lilium.
Columba formosissima.
Virga e radice germinans.
Nostro medelam vulneri.
Turris draconi impervia.
Amica Stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute.
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter, deviis
Tutam reclude semitam.
Jesu, tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.
Amen.

LITANIAE VARIAE.

LITANIA DE SS. NOMINE JESU.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nostri.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nostri.
Spiritus sancte Deus, miserere nostri.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nostri.
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis aterneae,
Jesu, Rex gloriae,
Jesu, sol justitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri seculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu, armarium perfectiones,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitis et humilis corde,
Jesu, Pater pauperum,
Jesu, amator castitatis,

Miserere nostri.

Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, thesaure fidelium,
Jesu, consolatio afflictorum,
Jesu, Gemma pretiosa,
Jesu, bone Pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, Magister Apostolorum,
Jesu, Doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessrum,
Jesu, sponse Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium,

Miserere nostri.

Propitius esto: parce nobis Jesu.
Propitius esto: exaudi nos Jesu.
Ab omni peccato,
Ab omni malo,
Ab ira tua,
Ab insidiis Diaboli,

Libera nos Jesu.

A peste, fame, et bello,
A spiritu fornicationis,
A transgressione mandatorum tuorum,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per divinam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per flagella tua,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

Libera nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

V. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc, et usque in secula.

Oremus.

Deus, qui humano generi Salvatorem constituistit et Jesum vocare jussisti, concede propitius, ut qui hoc nomen sanctum ejus devote veneramur in terris, ejus quoque aspectu perenniter perfruamur in coelis. Per eundem Dominum nostrum J. C. filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia secula seculorum. Amen.

LITANIA VITAE ET PASSIONIS JESU CHRISTI.

Ant. Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Kyrie eleïson,
Christe eleïson.
Kyrie eleïson,
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nostri.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nostri.

Spiritus Sancte Deus, miserere nostri.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nostri.

Jesu, sapientia aeterna,
Jesu de Virgine Maria nate,
Jesu a tua Genitrice adorate,
Jesu panis involute,
Jesu in praesepio reclinate,
Jesu ubere virgineo lactate,
Jesu a pastoribus in praesepio cognite,
Jesu per circumcisionem sub lege facte,
Jesu a Magis adorate,
Jesu in Templo praesentate,
Jesu in Aegyptum delate,
Jesu ab Herode ad necem quaesite,
Jesu in Nazareth nutrite,
Jesu in Templo invente,
Jesu parentibus subdite,
Jesu a Joanne baptizate,
Jesu in deserto tentate,
Jesu cum hominibus conversate,
Jesu gratis odio habite,
Jesu contumeliis vexate,
Jesu in monte coram patribus transfigurate,
Jesu Rex mitis Jerusalem ingresse,
Jesu prae compassione lacrymate,
Jesu triginta argenteis vendite,
Jesu ad Discipulorum pedes inclinate,
Jesu in oratione prostrate,

Miserere nostri.

Jesu ab Angelo confortate,
Jesu in agonia sanguineo sudore perfuse,
Jesu osculo a Juda tradite,
Jesu a ministris ligate,
Jesu a Discipulis derelicte,
Jesu Annae et Caiphae praesentate,
Jesu a falsis testibus accusate,
Jesu reus mortis judicate,
Jesu in faciem conspute,
Jesu oculis velate,
Jesu colaphis caese,
Jesu a Petro ter negate,
Jesu vinctus Pilato tradite,
Jesu ab Herode sprete et illuse,
Jesu veste alba indute,
Jesu Barabbae postposite,
Jesu flagellis caese,
Jesu propter scelera nostra attrite,
Jesu quasi leprosus reputate,
Jesu veste purpurea indute,
Jesu spinis coronate,
Jesu arundine percusse,
Jesu a Judaeis ad Crucem postulate,
Jesu morte turpissima condemnate,
Jesu voluntati Judaeorum tradite,
Jesu Crucis pondere gravate,
Jesu tanquam ovis ad occisionem ducte,

Miserere nostri.

Jesu vestibus exute,
Jesu clavis in Cruce confixe,
Jesu propter iniquitates nostras vulnerate,
Jesu pro inimicis Patrem deprecate,
Jesu cum iniquis reputate,
Jesu in Cruce blasphemate et illuse,
Jesu a latrone conviciis lacessite,
Jesu latroni poenitenti Paradisum pollicite,
Jesu qui Joannem Matri tuae in filium commendasti,
Jesu te a Patre derelictum attestate,
Jesu felle et aceto in siti potate,
Jesu consummata omnia de te scripta testate,
Jesu Spiritum in manus Patris commendans,
Jesu usque ad mortem crucis obediens facte,
Jesu lancea transfixe,
Jesu propitiatio nobis facte,
Jesu de Cruce deposite,
Jesu gloriose a mortuis resurgens,
Jesu in Coelum elevate,
Miserere nostri.

Jesu noster apud Patrem Advocate,
Jesu Spiritum Paraclitum Discipulis elargite,
Jesu Matrem super choros Angelorum exaltans,
Jesu vivos et mortuos judicature,
Propitius esto, parce nobis Domine,
Propitius esto, exaudi nos Domine,
Ab omni malo, libera nos Domine.

Ab omni peccato,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A peste, fame et bello,
A cunctis mentis et corpis periculis,
A morte perpetua,
Per mundissimam Conceptionem tuam,
Per miraculosam Nativitatem tuam,
Per humilem Circumcisionem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,
Per Labores et Vigilias tuas,
Per dolorosam Flagellationem et Coronationem tuam,
Per Sitim, Lacrymas et Nuditatem tuam,
Per pretiosam Mortem et Crucem tuam,
Per gloriosam Resurrectionem et Ascensionem tuam,
Per Missionem Spiritus sancti Paracliti,
In die Judicii,
Libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut gratiam sancti spiritus cordibus nos-
Te rogamus audi nos.

tris clementer infundere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam defendere et propagare digneris,
Ut societates in tuo sancto Nomine congregatas conservare et amplificare digneris,
Ut nobis veram pacem, humilitatem et charitatem largiri digneris,
Ut in gratia et sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris,
Ut nos ab immundis cogitationibus et daemonum tentationibus et damnatione perpetua liberare digneris,
Ut nos collegio Sanctorum tuorum sociare digneris,
Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Pater noster, &c.

V. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per S. Crucem tuam redemisti mundum.

V. Reminiscere miserationum tuarum, Domine.

R. Et misericordiarum tuarum, quae a seculo sunt.

V. Vide humilitatem meam et laborem meum.

R. Et dimitte universa delicta mea.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Orationes sancti Gregorii de Passione Christi.

O Domine Jesu Christi, adoro te in Cruce pendentem, et Coronam spineam in Capite portantem: deprecor te, ut me tua Crux liberet ab Angelo percutiente. Amen.

Pater noster, &c.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce vulneratum, felle et aceto potatum: deprecor te, ut Vulnera tua sint remedium animae meae. Amen. Pater noster, &c.

O Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima Anima tua egressa est de benedicto Corpore tuo: deprecor te, miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen. Pater noster, &c.

O Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, et liberantem captivos: deprecor te, ne permittas me illuc introire. Amen. Pater noster, &c.

O Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem a mor-

tuis, ascendentem ad Coelos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, et tibi praesentari merear. Amen. Pater noster, &c.

O Domine Jesu Christe, Pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnium fidelium miserere, et propitius esto mihi maximo peccatori. Amen. Pater noster, &c.

O Domine Jesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen. Pater noster, &c.

LITANIA LAURETANAE.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, miserere nostri.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nostri.
Spiritus Sancte Deus, miserere nostri.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nostri.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christe,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
} *Ora pro nobis.*

Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarchorum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium.
} *Ora pro nobis.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri.

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Pater noster, Ave Maria, &c.

Ant. Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, intercessione tua, Virgo gloriosa et benedicta; Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante, Christi Fillii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem ad Ressurrectionis gloriam perducamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Ora pro nobis, beatissime Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet; ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

LITANIAE OMNIUM SANCTORUM.

Kyrie eleïson, &c,

Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
} *Miserere nostri.*

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michaël,
Sancte Gabriël,
Sancte Raphaël,
} *Ora pro nobis.*

Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes SS. Beatorum Spirituum Ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes SS. Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thadaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
} *Ora pro nobis.*

Omnes SS. Apostoli et Evangelistae,
Omnes SS. Discipuli Domini,
Omnes SS. Innocentes,
} *Orate pro nobis.*

Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
} *Ora pro nobis.*

Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes SS. Martyres,
} *Orate pro nobis.*

Sancte Silvester,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Gregori,
Sancte Hieronyme,
} *Ora pro nobis.*

Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Omnes SS. Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes SS. Doctores, orate pro nobis.

Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes SS. Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis,
Omnes SS. Monachi et Eremitae, orate pro nobis,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} *Ora pro nobis.*

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per Mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam,
} *Libra nos Domine.*

Per Mortem et Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Adscensionem tuam,
Per Adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die Judicii, *Libera nos Domine.*
Peccatores,
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut dominum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem, et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto Populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei, *Te rogamus audi nos.*
Agnus Dei, &c.
Kyrie eleïson, &c.
Pater noster, &c.

Psalmus lxix.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.
Confundantur et revereantur, qui quaerunt animam meam.
Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.
Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te: et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
Ego vero egenus et pauper sum: Deus, adjuva me.
Adjutor meus et liberator meus es tu: Domine ne moreris.
Gloria Patri, &c.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus, sperantes in te.

V. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Nihil proficiat inimicus in nobis.
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
V. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.
R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
V. Oremus pro Pontifice nostro N.
R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
V. Oremus pro benefactoribus nostris.
R. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter Nomen tuum, vitam aeternam. Amen.
V. Oremus pro fidelibus defunctis.
R. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.
V. Requiescant in pace.
R. Amen.
V. Pro fratribus nostris absentibus.
R. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.
V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.
R. Et de Sion tuere eos.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut, te donante, tibi placita cupiat et tota virtute perficiat. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, ani-

mabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris, simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens seculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum, &c.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.

V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

LITANIA PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (II. Mach. xii. v. 46).

Kyrie eleïson, &c.

Pater de coelis Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.

Fili, redemptor mundi, Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.

Spiritus sancte, Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.

Sancta Trinitas, unus Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.

Sancta Maria, ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Dei Genitrix, ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Virgo virginum, ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Michael, ora pro fidelibus defunctis.

Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Joannes Baptista, ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Joseph, ora pro fidelibus defunctis.

Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Petre, ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Paule, ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Joannes, ora pro fidelibus defunctis.

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Stephane, ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Laurenti, ora pro fidelibus defunctis.

Omnes sancti Martyres, orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Gregori, ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Ambrosi, ora pro fidelibus defunctis.

Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro fidelibus defunctis.

Sancta Maria Magdalena, ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Catharina, ora pro fidelibus defunctis.

Omnes sanctae virgines et viduae, orate pro fidelibus defunctis.

Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro fidelibus defunctis.

Propitius esto; parce eis, Domine.

Propitius esto; exaudi nos Domine.

Ab omni malo libera eos, Domine.

Ab ira tua, libera eos, Domine.

A flamma ignis, libera eos, Domine.

A regione umbrae mortis, libera eos, Domine.

Per immaculatam conceptionem tuam, libera eos, Domine.

Per nativitatem tuam, libera eos, Domine.

Per dulcissimum nomen tuum, libera eos, Domine.

Per multitudinem miserationum tuarum, libera eos, Domine.

Per acerbissimam passionem tuam, libera eos, Domine.

Per sanctissima vulnera tua, libera eos, Domine.

Per ignominiosam mortem, qua nostram moriendo destruxisti, libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos,

Qui peccatricem absolvisti et latronem exaudisti, te rogamus, audi nos.

Qui salvandos salvas gratis, te rogamus, audi nos.

Ut parentes, propinquos et benefactores nostros omnibus peccatis et poenis suis absolvas, te rogamus, audi nos.

Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis memoria in terris non habetur, meminisse et miserere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis, indulgeas, te rogamus, audi nos.

Ut luctum eorum in gaudium convertas, te rogamus, audi nos.

Ut desiderium ipsorum adimplere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut facias eos plenius benedicere te, et sacrificium tibi laudis tuae offerre.

Ut eos in tuorum societate

constituas electorum, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Fons pietatis, te rogamus, audi nos.
Qui claves habes mortis et inferni, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis req, &c.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleïson, &c.
Pater noster, &c.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. A porta inferi.
R. Erue animas eorum.
V. Requiescant in pace.
R. Amen.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes, famulos tuos, pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere; praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc seculo transierant, beata Maria semper virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur; qui vivis et regnas, Deus, in secula seculorum. Amen.

LITANIAE SANCTI JOSEPH, SPONSI B. MARIAE.

Ite ad Joseph (Gen. xli. 55). Constituit eam dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae (Ps. civ. 21).
Kyrie eleïson, &c.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis.
Spiritus asncte, Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, sponsa sancti Joseph, ora pro nobis.
Sancte Joseph, in sponsum Mariae prae omnibus electe, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ineffabilibus benedictionibus dotate, ora pro nobis
Sancte Joseph, Patriarcharum culmen, ora pro nobis.
Sancte Joseph, adjutorium Mariae simillimum, ora pro nobis.

Sancte Joseph, vir virgo Virginis matris, ora pro nobis.
Sancte Joseph, antesignane virginei conjugii, ora pro nobis.
Sancte Joseph, solatium Dei Genitricis, ora pro nobis.
Sancte Joseph, Fili David, ora pro nobis.
Sancte Joseph, cujus filius dici et putari dignatus est Filius Dei, ora pro nobis.
Sancte Joseph, cui Dominus universorum se subjecit, ora pro nobis.
Sancte Joseph, quem tanquam alterum David Jesus invenit secundum cor suum (S. Bern.), ora pro nobis.
Sancte Joseph, qui dignus habitus es cui tuto committerit Deus secretissimum atque sacratissimum cordis sui arcanum (idem), ora pro nobis.
Sancte Joseph, cui datum est non ignarum esse mysterii quod nemo principum hujus seculi agnovit (idem), ora pro nobis.
Sancte Joseph, qui quod multi reges et prophetae voluerunt videre ac audire, et non viderunt nec audierunt, meruisti non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire (idem), ora pro nobis.
Sancte Joseph, Christi pueri, post Virginem, adorator prime, ora pro nobis.
Sancte Joseph, moderator incarnate sapientiae, ora pro nobis.
Sancte Joseph, nutritie Pastoris universi, ora pro nobis.
Sancte Joseph, organum Verbi silentis, ora pro nobis.
Sancte Joseph, custos thesauri coelorum, ora pro nobis.
Sancte Joseph, redemptor Redemptoris oblati, ora pro nobis.
Sancte Joseph, salvator salvatoris mundi, ora pro nobis.
Sancte Joseph, dux Rectoris omnium, ora pro nobis.
Sancte Joseph, hospes Dei peregrinantis, ora pro nobis.
Sancte Joseph, coadjutor magni consilii, ora pro nobis.
Sancte Joseph, caput nobilissimae et sanctissimae familiae, ora pro nobis.
Sancte Joseph, cui rex et regina coelorum servierunt, ora pro nobis.
Sancte Joseph, Jesu et Mariae singulariter dilecte, ora pro nobis.
Sancte Joseph, cui par in terra non est natus (Eccl. xlix.), ora pro nobis.
Sancte Joseph, tanto melior angelis effecte, quanto differentius prae illis nomen haereditasti, ora pro nobis.
Sancte Joseph, cui gratiam Jesus et Maria vultu, voce, vita, et continua conversatione per tot annos afflarunt, ora pro nobis.
Sancte Joseph, in castitate mundissime (S. Bern.), ora pro nobis.
Sancte Joseph, in humilitate

profundissime (id.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, in charitate ardentissime (id.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, in contemplatione ultissime (id.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, vir juste atque perfecte (Eccl. xliv.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, pretiosissima inter brachia Christi et Mariae morte functe, ora pro nobis.

Sancte Joseph, qui cum Christe, inter alios, resurrexisti, ora pro nobis.

Sancte Joseph, cui corpore et animo peculiaribus gloriae donis fueris, ora pro nobis.

Sancte Joseph, qui solio Matris et Filii tam proxime assides, ora pro nobis.

Sancte Joseph, in salutem electorum Dei maxime (Eccl. xlvi.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, princeps fratrum (Eccl. xlix.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, firmentum gentis (ib.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, stabilimentum populi (ib.), ora pro nobis.

Sancte Joseph, protector morientium, ora pro nobis.

Sancte Joseph, praesidium nostrum, ora pro nobis.

Agnus Dei, &c.

Ant. Beatus ille servus quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum.

V. Ora pro nobis, sancte Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae genitricis tuae sponsi, quaesumus, Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet ejus nobis intercessione donetur; qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Alia Antiphona.

Fecit me Dominus quasi patrem regis, et Dominum universae terrae; venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona.

V. Sancte Joseph, noli despicere animam meam.

R. Et animas servorum tuorum.

LITANIAE SS. INFANTIS JESU.

Kyrie eleïson, &c.

Jesu infans, audi nos.

Jesu infans, exaudi nos.

Pater de coelis Deus, miserere nobis.

Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte, Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Infans, Jesu Christe, miserere nobis.

Jesu infans, Deus vere,
Jesu infans, fili Dei vivi,
Jesu infans, fili Mariae virginis,
Jesu infans, ante luciferum genite,
Jesu infans, Verbum caro factum,
Jesu infans, sapientia Patris,
Jesu infans, integritas Matris,
Jesu infans, imago Patris,
Jesu infans, origo Matris,
Jesu infans, Patris splendor,
Jesu infans, Matris honor,
Jesu infans, aequalis Patri,
Jesu infans, subdite Matri,
Jesu infans, Patris deliciae,
Jesu infans, Matris divitiae,
Jesu infans, donum Patris,
Jesu infans, munus Matris,
Jesu infans, partus Virginis,
Jesu infans, creator hominis,
Jesu infans, Deus noster,
Jesu infans, frater noster,
Jesu infans, viator in gloria,
Jesu infans, comprehensor in via,

Miserere nobis.

Jesu infans, Pater seculorum,
Jesu infans, aliquot dierum,
Jesu infans, vita lactens,
Jesu infans, Verbum silens,
Jesu infans, vagiens in humis,
Jesu infans, fulgurans in coelis,
Jesu infans, terror inferni,
Jesu infans, jubilum paradisi,
Jesu infans, tyrannis formidabilis,
Jesu infans, magis desiderabilis,
Jesu infans, exul a populo,
Jesu infans, rex in exsilio,
Jesu infans, idolorum eversor,
Jesu infans, gloriae Patris Zelator,
Jesu infans, fortis in debilitate,
Jesu infans, magnus in exilitate,
Jesu infans, thesaurus gratiae,
Jesu infans, lucerna gloriae,
Jesu infans, fons amoris,
Jesu infans, origo sanctitatis,
Jesu infans, instaurator coelestium,
Jesu infans, reparator terrestrium,
Jesu infans, caput Angelorum,

Miserere nobis.

Jesu infans, radix Patriarcharum,
Jesu infans, sermo Prophetarum,
Jesu infans, desiderium gentium,
Jesu infans, gaudium Pastorum,
Jesu infans, lumen Majorum,
Jesu infans, salus infantium,
Jesu infans, expectatio Justorum,
Jesu infans, doctor sapientium,
Jesu infans, primitiae sanctorum omnium,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, infans Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, infans Jesu.
A jugo servitutis filiorum Adae, libera nos, infans Jesu.
A captivitate diobolica, libera nos, infans Jesu.
A nequitia seculi,
A concupiscentia carnis,
A superbia vitae,
Ab inordinata sciendi cupiditate,
Ab caecitate mentis,
A mala voluntate,
A peccatis nostris,
Per purissimam conceptionem tuam,
Per humillimam nativitatem tuam,
Per lacrymas tuas,
Per durissimam circumcisionem tuam,
Per gloriosissimam manifestationem tuam,
Per devotissimam praesentationem tuam,
Per innocentissimam conversationem tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per paupertatem tuam,
Per passiones tuas,
Per peregrinationes et labores tuos,

Libera nos, Infans Jesu.

Agnus Dei, &c.
Jesu infans, audi nos.
Jesu infans, exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu, qui sublimitatem incarnatae divinitatis tuae et humanitatis tuae divinissimae usque ad humillissimum nativitatis et infantiae statum pro nobis exinanire dignatus es; da nobis ut divinam in infantia sapientiam, in debilitate potentiam, in exilitate majestatem agnoscentes, te parvulum adoremus in terris, te magnum intueamur in coelis; qui vivis et regnas Deus, per omnia secula seculorum.

R. Amen.

LITANIA IN HONOREM S. FRANCISCI SALESII.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.

Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, ora pro nobis.
Sancte Francisce Salesi, ora pro nobis.

Sancte Francisce,

Dignissime Pontifex, Deo et hominibus dilecte,
Amator Crucis Christi,
Virgini Deiparae devotissime,
Fidelis imitator et cultor Sanctorum,
Voluntati Dei jugiter te conformans,
In prosperis modestissime,
In adversis patientissime,
Victor daemonis,
Contemptor mundi,
Debellator carnis,
Sectator humilitatis,
Norma justitiae,
Exemplar mansuetudinis et charitatis in directione animarum,
Asylum verae poenitentiae,
Viduarum et orphanorum pater tenerrime,
Refugium pauperum,
Protector injuste oppressorum,
Veritatis evangelicae praedicator diligentissime,
Operarie indefesse in vinea Domini,
Propugnator Fidei Catholicae,
Divini cultus restitutor,
Speculum vitae apostolicae,
Sacerdos magne, qui placuisti Deo, et inventus es justus, et in tempore iracundiae factus es reconciliatio,
Qui praeditus eras scientia et fortitudine ad instruendum et corrigendum,
Qui directus es divinitus in poenitentiam gentis tibi creditae, et tulisti abominationes impietatis,
Qui scriptis tuis coelesti doctrina refertis Ecclesiam illustrasti,
Qui iisdem iter ad Christianam perfectionem tutum et planum demonstras,

Ora pro nobis.

Qui, Dei ope protectus, septuaginta duo millia haereticorum ad Catholicam fidem reduxisti,
Qui, sicut bonus Pastor, paratus eras animam tuam dare pro ovibus tuis,
Qui sanctissimo cordi Jesu peculiariter te devotum ostendens, ejus quoque virtutes imitari studebas,
Qui in corde Jesu jucundam tibi mansionem praeparaveras,
Qui ad cor Jesu, tamquam ad locum refugii, nos accedere docuisti,
Qui ad divini cultus augmentum novum Ordinem Sanctimonialium instituisti, a Visitatione beatae Virginis nuncupatum,
Qui eidem Ordini dedisti Constitutiones sapientia, discretione et suavitate mirabiles,
Qui, amore Dei succensus, gloriam et sanctificationem Nominis ejus vehementissime semper exoptasti,
Qui salutem proximi, omnibus omnia factus, mira sollicitudine et insuperabili constantia promovisti,
Qui zelo ecclesiasticae disciplinae, pacis studio, misericordia in pauperes, omnique virtute fuisti conspicuus,
Aemulator puritatis Angelicae,
Prophetiae dono decorate,
Sabaudiae Apostole,
Martyr desiderio,
Decus confessorum,
Amice Sponsi Virginum,
Consors gloriae Sanctorum omnium,
Multis miraculis insignis,
Auxiliator pie te invocantium,
Patrone noster,

Sancte Francisce, — *Ora pro nobis.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Antiphona.

Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.
R. Stolam gloriae induit eum.

Oremus.

Deus, qui ad animarum

salutem beatum Franciscum, Confessorem tuum atque Pontificem, omnibus omnia factum esse voluisti: concede propitius; ut charitatis tuae dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, ac suffragantibus me ritis, aeterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum.

Alia Antiphona.

Replevit sanctum Franciscum Dominus spiritu intelligentiae, et ipse fluenta doctrinae ministravit populo Dei.

V. Ora pro nobis, sancte Francisce.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Largire nobis, quaesumus, Domine, gratiam et dona Spiritus sancti, quibus beatum Franciscum, Confessorem tuum atque Pontificem, jugiter replere dignatus es; ut studeamus amare et facere quae docuit, ejusque virtutum imitatores effecti, ad sempiternam, qua fruitur, gloriam pervenire mereamur. Per Dominum . . . in unitate ejusdem.

LITANIA IN HONOREM S. CAROLI BORROMAEI.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserc nobis.
Sancte Carole, ora pro nobis.

Sancte Carole,
Pater amabilis,
Pater admirabilis,
Filii Dei imitator,
Mariae Virginis amator,
Angelus gratia et puritate,
Seraphim ardore,
Innocens ut Abel,
Justus ut Noe,
Fidelis ut Abraham,
Obediens ut Isaac,
Luctator ut Jacob,
Ora pro nobis.

Sancte Carole,

Castus ut Joseph,
Aemulator Patriarcharum,
Electus ut Moyses,
Vocatus ut Aaron,
Haeres gratiae Prophetarum,
Apostolus spiritu,
Martyr desiderio,
Doctor sapientia,
Confessor vitae innocentia,
Dux episcoporum,
Fax praelatorum,
Speculum sacerdotum,
Pastor pastorum,
Prodigium populorum,
Lucerna sanctuarii,
Columna Templi,
Antemurale domus Dei,
Currus Israel et auriga,
Sator aeternitatis,
Defensor veritatis,
Praeco magni Regis,
Malleus haeriticorum,
Sol et decus morum,
Cultor puritatis,
Protector castitatis,
Sectator humilitatis,
Norma perfectionis,
Exemplar virtutum,
Amator virginum,
Forma poenitentiae,
Solatium viduarum,
Refugium infirmorum,
Consolator peste infectorum,
Praeservator a peste,
Auxiliator miserorum,
Consors Sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Antiphona.

Sacerdos et Pontifex, ℣ et virtutum opifex, Pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

V. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

R. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oremus.

Ecclesiam tuam, Domine, sancti Caroli, Confessoris tui atque Pontificis, continua protectione custodire: ut sicut illum pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

LITANIA IN HONOREM S. THOMAE AQUINATIS,

Ecclesiae Doctoris, et Castitatis Patroni.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora pro nobis.

Sancte Thoma, — *Ora pro nobis.*

Doctor Angelice,
Nobilis genere, virtute nobilior,
Vanitates mundi generoso animo contemnens,
Voci Dei, in eligendo vitae statu, prompte obediens,
Nec minis nec promissis a sancto proposito avocate,
Persecutiones fratrum tuorum cum gaudio sustinens,
Dignissime fili sancti Patris Dominici,
Decus Ordinis Praedicatorum,
Speculum humilitatis,
Exemplar obedientiae,
Forma poenitentiae,
Orationi et contemplationi addictissime,
Magister perfectionis,
Castitatis amator exime,
Castitatis cingulo ab Angelis praecincte,
Castitatis Patronus ab Ecclesia constitute,
Zelo Fidei exardescens,
Praedicator veritatis,

Sancte Thoma, — *Ora pro nobis.*

Potens in opere et sermone,
Sal terrae,
Lux mundi fulgidissima,
Columen Ecclesiae firmissimum,
Sapiens, sicut habet sapientiam Angelus Dei,
Confutator irrefragabilis haereticorum,
Explanator doctissime mysteriorum,
Interpres divinae voluntatis,
SS. Eucharistiae defensor et cultor devotissime,
Spiritu intelligentiae replete,
Ad justitiam erudiens multos,
Tamquam imbres mittens eloquia sapientiae tuae,
De Deo sic loquens, quasi vidisses,
De Angelis sic disputans, quasi spiritus esses,
Ingenerans horrorem peccati, dum ostendis,
Amabiles faciens virtutes, dum describis,
Incarnatum Verbum sic explicans, quasi vox Verbi,
De veritate doctrinae tuae ore Crucifixi certior facte,
Bonum Christi odorem in omni loco diffundens,
In lecto mortis ad erudiendam Ecclesiam laborare non recusans,
Ad mortem sancte te disponens,
Ante et post obitum miraculis decorate,
Fulgens quasi stella in perpetuas aeternitates,
Ut non diligamus mundum, neque ea quae in mundo sunt,
Ut non quaeramus hominibus placere, sed Deo,
Ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus,
Ut nos ipsos castos custodiamus,
Ut in castitatis certamine constituti, non simus fidentes in nobis, sed in Deo,
Ut scuto fidei omnia tela nequissimi ignea extinguamus,
Ut vigilemus, omni tempore orantes,
Ut carnem nostram crucifigamus cum vitiis et cupiscentiis,
Ut simus humiles in oculis nostris, agnoscentes nos esse servos inutiles,
Ut alta non sapiamus, nec simus prudentes apud nos metipsos,
Ut doctrinis variis et peregrinis non sinamus nos abduci,
Ut ostendamus ex bona conversatione operationem nostram in mansuetudine sapientiae,

Sancte Thoma,

Ut nobis petentibus detur desursum sapientia modesta, suadibilis, plena misericordia, et fructibus bonis,
Ut efficiamur operarii inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis,
Ut in nobis non scientia inflans, sed charitas aedificans jugiter augeatur,
Ut sciamus Jesum Christum, et hunc crucifixum,
Ut, tuum exemplum sequentes, sanctissimi Sacramenti cultum ac venerationem verbo et opere promoveamus,
Ut Sacro Viatico in hora mortis refecti, fidei et devotionis tuae simus participes,
Ut Jesum, quem velatum aspicimus in via, revelata facie tecum cernamus in patria,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Antiphona.

O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Thoma, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

R. Et ostendit illi regnum Dei.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomae Confessoris tui mira eruditione clarificas, et sancta operatione foecundas: da nobis, quaesumus, et quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit, imitatione complere. Per Dominum nostrum.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, puritatis amator et custos, obsecramus immensam clementiam tuam, ut sicut ministerio Angelorum sanctum Thomam Aquinatem Cingulo castitatis cingere, atque a labe corporis et animae praeservari voluisti: ita nos, ejus meritis et intercessione, ab omni immunditia mentis et corporis purificari, atque in exitu nostro, per manus sanctorum Angelorum, tibi digne praesentari concedas. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

PROFESSIO FIDEI.

QUAE SAPIUS CUM LAUDE ET MERITO ITERARI POTEST.

Ego. N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo, in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumino, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine; Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locatus est per Prophetas. Et unum sanctum, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, constitutiones, firmissime admitto et amplector. Idem sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis (licet non omnia singulis) necessaria: scilicet, Baptis-

mum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine Sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia singula, quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deum verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, constanter teneo. Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Dei parae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco. Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus et Œcumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab Œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita, ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc vero Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adju-

vante, retinere et confiteri: atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ita ego N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelica.

Nota. — Dei professione fidei emittenda.—Juxta S. Tridentinae Synodi Decreta et Summorum Pontificum constitutiones (sess. xxiv. c. 1, et c. 12, De reform. Pius IV. in Bulla: In sacro sancta); praecipimus ut qui ad infra recensita munera designantur, professionem fidei a Pio IV., in bulla Injunctum Nobis anno 1564 editam, prompte et intra terminos praescriptos, emittant. Scilicet, episcopi in prima provinciali Synodo cui interfuerint; quod nos praestare non negleximus.

Vicarii generales.

Canonici post nominationem, in ipso capitulo, et infra bimestre in manibus episcopi.

Rectores Ecclesiarum, aliive curam animarum habentes.

SPECULUM MEDITANTIS.

MEDITATIONES PRO EXERCITIIS SPIRITULIBUS, PARS PRIMA,

PER OCTOS DIES CONTINUOS VEL ALITER JUXTA OPPORTUNITATEM, ETC.

Quid prosunt lecta et intellecta nisi temetipsum legas et intelligas. Da ergo operam internae lectioni, ut legas, inspecias, et cognoscas te ipsum. S. Bernard, Med. c. 17.

Compertum est, ad retinendam conservandamque sacerdotatis ordinis dignitatem et sanctimoniam maxime conducere, ut ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quicquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergetur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel confirmatur. Ex Epist. Encyclica S.C.C., Feb. 1710.

DE RATIONE REI DEBITA.

Nihil rei [vid sedulum studium pietatis, spiritus fervorem, morumque sanctitatem] tam desideratae assequendae opportunius esse, quam si e clero singuli, in secessu dierum aliquot, quotannis soli Deo sibique vacarent. Ita mens Ecclesiae omni tempore. Necessitas ab humanae mentis inconstantia et fragilitate desumitur : quotusquisque enim in ea, quam sibi proposuit, viae novitate et reformatione persistit, nisi saepe via considerationis intra se redeat, et subrepentem vetustatem expurget? Quis alioquin non experiatur, similem se fieri viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo? Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit. Quam facile mundanus pulvis obrepit, quo nisi identidem extergeatur, necesse est etiam religiosa corda sordescere? Utilitatem ejusdem rei, non ex nostra tantum, sed ex praecedentium saeculorum experientia, didi-

cimus. Jam eam olim per Prophetas innotescere Deus voluit, cum dixit: Ducam eam (animam fidelem) in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Nempe, ut Origenes observavit, in solitudine aer purior: coelum apertius: familiarior Deo. Quin considerationis et exercitiorum spiritualium originem, recte dixeris, in piis omnibus verisque Dei cultoribus, mundo ipsi fuisse coaevam. Solitudinem Christus ipse et frequentavit, et Apostolos orationis et quietis causa frequentare docuit. Haec eadem a primis Anachoretis, et Ægypti, Lybiae, Palestinae Monachis, ingenti Ecclesiae splendore, summoque fructu frequentata fuit. Hanc peccatoribus, ad poenitentiam adducendis, Patres injunxerunt; hanc caeteris identidem considerationis et renovationis gratia suscipiendam commendarunt. Hujus studium novissimis temporibus, incredibili animarum fructu, S. Ignatius de Loyola mirifice propagavit. Veritates Evangelicas, quarum, dum rite expenduntur, permovendis animis vis est maxima, miro artificio (quod non aliunde quam a Spiritu sancto haurire potuit) aptavit atque disposuit. Ab errore viae suae hominem revocat, reductum in viam sensim promovet, donec ad ipsum perfectae conversionis apicem suavissima manuductione perducat. Partes exercitiorum praecipuae sunt quatuor. In prima exhibetur, et altissime animo meditantis imprimitur finis creationis humanae, exhibentur obstacula, quae ab eo avertant, una cum infelici exitu eorum, quos aberrare contigerit et non reverti. In secunda, dux viae datur Jesus Christus, in vitae suae, tum privatae, tum publicae, mysteriis et exemplis. In tertia, animatur quisque ad labores fortiter ferendos doloresque aequanimiter tolerandos, Christi patientis exemplis. In quarta, spes excitatur ex mysteriis Christi gloriosis, charitasque inflammatur, considerando Dei erga nos beneficia et amorem, perfectionesque undequaque infinitas.

Haec exercitia, ut pietate et sanctitate plena, et ad aedificationem spiritualemque fidelium profectum valde utilia et salubria, per quae uberes in Ecclesia Dei fructus ubique gentium producantur, jam a ducentis fere annis fidelibus omnibus commendanda judicavit Sedes Apostolica.* Fructum admirandum experti, palamque testificati sunt viri summi, S. Franciscus Xaverius, S. Carolus Borromaeus, S. Franciscus Salesius, rerum asceti carum scriptor celeberrimus, quorum testificationes verissimas esse, luculenta, quae deinceps etiam subsecuta sunt, experimenta comprobarunt.

* Bulla Pauli iii., an. 1548.

Quinque vel octo exiguntur dies, quos annis singulis, in secessu mentis et corporis, in uno aliquo ex iis locis, quae Ordinarii designaverint, considerationi et pietatis exercitiis impendatis. Quantula ea res est, et quam facilis homini salutis suae studioso! Difficultatem, quae occurrere posset, inexpertis, tollet prudens consilium Directoris.

Grato animo excipite gratiam a Deo vobis oblatam: *quicumque ad extergendum mundanum pulverem, ad renovandum vocationis vestrae spiritum, ad suscitandum gratiam, quae vobis olim per impositionem manuum collata est, serio connitimini:* quicumque, quotidiano labore, et inevitabili distractione, inter occupationes etiam sanctissimas, exhaustos intimae pietatis sensus instaurare concupiscitis: quicumque tandem interiorem Dei vocem audire, voluntatemque cognoscere studetis, haec spiritus exercitia, in secessu annuo constanti sedulitate suscipite. Haec enim vox, Bernardo teste, non auditur in foro, non sonat in publico: secretum vult oculum, secretum quaerit auditum. Suscipite autem corde magno et animo volenti; sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes. Diffidentes de vobis ipsis, invictam fiduciam habete in Deum; huic tanti momenti negotium, sub beatae Mariae Virginis patrocinio, commendate. Vos corde parato, a curis et negotiis expediti, contra taedia et difficultates obfirmati, integrae reformationis et adipiscendae perfectionis Ecclesiasticae studio inflammati, accedite et illuminamini, vacate, gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. O quam salubre, quam jucundum et suave est, sedere in solitudine et tacere, et loqui cum Deo, ac frui solo summo bono, in quo sunt omnia bona! Quanta erit securitas homini morituro intra illius anni spatium, quo haec sancta exercitia pie, ferventerque obierit!

MONITA COMMUNIA

PRO EXERCITIIS BENE OBEUNDIS, ET ORDO DIEI.

1. Ab exordio secessus tui, Patronum tibi e Sanctis unum delige, cui omnia die opera committes, eumque impense pro felici spiritus tui renovatione precaberis.

2. Magno et alacri animo opus aggredere, magnamque

habe in divina bonitate fiduciam, quae, si errantes quaerat, et profugos prosequatur, quanto magis eos admittet, recipiet, et amplexabitur, qui toto corde exquisierint Dominum Deum suum, ut ipsi se totos dedant, et inviolabili amoris foedere conjungantur?

3. Spiritales gustus, dulcedinem, solatia, grato animo admitte, si dentur: ne requiras, si non dentur aut substrahuntur; id unum propositum habens, ut intelligas quae sit de te et rebus tuis voluntas Dei, bona, beneplacens, et perfecta.

4. Adfer animum indifferentem ad ea omnia, quae neque expressa Dei Lege, neque immutabili statûs susceptione, definita sunt, ut divinis supra te consiliis, nec limites statuas nec modum praescribas. Dilatandus est cordis nostri sinus, omnique modo optandum, ut quam arctissime Deo conjungamur.

5. Praeter hoc unum exercitiorum negotium, toto secessus tui tempore, aliud nullam age. Age quod agis. Caeteris nega aditum, et claude ostium, ut ne imaginatio alio distrahatur.

6. Omni diligentia sensus externos custodi, oculos, aures, et linguam. Abstine a colloquiis inutilibus: contine te in secessu et solitudine.

7. Directorem conscientiae habe quem consulas, quocum conferas, et interiores cordis motus animi sensa, dispositiones, lumina, proposita, resolutionesque communices, et cui vice Dei auscultes atque obtemperes. Sine hujus assensu, nullo te voto obstringas.

8. Meditandi methodum serva quam didiceris, cui jam assueveris, aut ad quam singulari ductu te Spiritus sanctus introduxerit.

9. Opportunum erit, ut quotidie aliquid corporalis mortificationis obeas, praesertim in cibo aut potu: non aeque in somno, ne caput toto die intendendum, occupationibus spiritus non sufficiat.

10. Meditationi junge lectionem, sed quae ipsi, quam feceris, meditationi congruat ut lectio et meditatio sibi mutuo sint adminiculo. Assignabilitur infra ad singulos dies ex Scriptura sacra, ex Thoma a Kempis, ex Rodericii Exercitio perfectionis, et ex Memoralia vitae Sacerdotalis.

11. Veritates quae te magis permoverint, sanctaque proposita, scripto breviter consigna, ut deinceps in promptu sint ubi opus est, germinentque et fructum ferant.

12. Si opportunitas suppetat, aliquoties per diem visitabis venerabile Sacramentum; ut Dominum Jesum adores, et aeterna luce illustreris.

13. Attende, ut hoc tempus summa, qua potes, animi puritate transigas, neque ul-

lum veniale peccatum deliberate ac scienter admittas.

Ordo Diei.

Hora 6. Surge e strato. Primas ad Deum cogitationes dirige, ut ipsum quaeras, invenias, et apprehendas. Dein Preces Matutinas recitabis.

Hora 7. Horaria Meditatio. Recollectio de successu Meditationis. Prima et Tertia.

8. Lectio. Praeparatio ad Sacrum.

Hora 8½. Sacri celebratio vel auditio. Oratio vocalis. Lectio. Annotatio.

Hora 10. Horaria Meditatio, seu repetitio prioris, expendendo praecipue punct.

Hora 11. Recollectio de successu. Lectio. Annotatio. Praeparatio ad Confessionem generalem, vel annuam, si adhuc facienda sit.

Hora 12. Sexta et Nona. Anglus.

Hora 1. Examen particulare. Conferentia.

Hora 3. Prandium. Deambulatio domestica, exercitium corporale, vel alia honesta animi relaxatio quae non pariat mentis distractionem.

Medio 5. Lectio. Matutinum et Laudes.

Vesperae et Completorium.

Oratio vocalis alia.

Hora 6. Horaria Meditatio.

Medio 7. Coena. Relaxatio usque ad medium 9.

Medio 9. Examen conscientiae : preces vespertinae. Praeparatio Meditationis postridie secuturae.

Ante medium 10, ad quietem.

Hic ordo servari poterit, nisi alius vel jam inde stabilitus sit, vel moderatoribus congruentior videatur. Caeteri vel hunc servabunt, vel alium quem sibi praestiterint; sed a statuto semel ordine meminerint non esse facile recedendum, nam, Augustino teste, ordo ad Deum ducit.

PRIDIE EXERCITIORUM MEDITATIO UNICA.

PRAEPARATIO AD EXERCITIA.

Sanctus Ignatius in annotationibus, quas Exercitiis suis praemittit, ita monet : Mirum in modum juvatur qui suscipit Exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat Creatori.

Quapropter praeibit haec Meditatio tanquam stimulus, ad hasce exercitationes sacras capessendas corde magno et animo volenti (II Machab. i. 3), sive deliberato consilio derivandi in nos omnem fructum, qui indidem hauriri potest. Opportunum erit in hanc rem perpendere quatuor

e Sacris Litteris deprromptas sententias, quae in hoc sancto otio mente continuè obversari debebunt: singulae singulis punctis, sive articulis, proponentur.

Punctum I.

Redite praevaricatores ad cor. Isa. xlvi. 8. Praevaricante Adamo magnum illud praeceptum de fructu vetito non edendi, pro se et posteritate sua sibi divinitus datum, omnes quoque nos praevaricatores facti sumus. Exinde anima ad exteriora dilapsa, sensibusque immersa, aegre secum commoratur et difficile assurgit ad spiritalia. Vagatur extra se, quaerit requiem et non invenit, donec in se reversa, surgat et vadat ad Patrem (Luc. xv. 18) a quo male recesserat in regionem longinquam perversarum cupiditatum.

Ut ad Patrem redeat, primum revocatur ad cor, ut revertatur in se ipsam, inde surgit et vadit ad Patrem. Nempe, teste S. Basilio, animus qui neque sit ad externa dispersus, neque per res sensibiles in mundana diffusus, redit in seipsum, et per seipsum ad Dei notionen ascendit.

Via igitur revertendi consideratio est, qua quis discat nosse et seipsum, et Deum suum. Nisi haec identidem adhibeatur ea qua oportet sedulitate et attentione (quod non fit nisi in secessu, terrenarum strepitu cessante curarum) fascinatio nugacitatis obscurat bona (Sap. iv. 12), tamque densis tenebris replet intellectum, ut saepe in exitialem sui ipsius Deique sui oblivionem infeliciter prolabatur.

Necesse igitur est, ut quisquis salutis negotium cordi habet, suumque profectum diligit, identidem ad cor redeat, seipsum nosse studeat, vocationem suam, ejusque obligationes et munia mature expendat, discatque in silentio, quid a se fieri velit Deus.

Cogita ad hunc secessum te hoc tempore divinitus invitari. Redi introrsum, sepone curas, claude ostium sensibus, et in hoc unum incumbe, ut cum Psalmista toto ad Deum corde suspires, et dicas: Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ps. cxlii. 124, 8.

Punctum II.

Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem. Ephes. iv. 33. Hic est finis, ob quem Exercitia suscipiuntur, ut renovemur spiritu, ut novum hominem induamus, sive, ut corrigamus errata, reformemus actiones et ad virtutem comparandam accendamur, juxta haec Do-

mini verba: Ecce constitui te, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes. Jer. i. 10.

Vitam itaque nostram serio inspiciamus, atque omnes conscientiae latebras excutiamus, ut detegamus quid adhuc desit nobis, quis in nobis Exercitiorum fructus desideretur.

Porro hac triplici animadversione studium nostrum ad tanti momenti negotium intendamus. 1. Quanta cum utilitate tot alii in exercitiis hisce versati sunt! Quam inopinae mutationes hinc prodiere! Quales de natura vitiis depravata et rebellante victoriae! Qualia ad pietatem animorum incendia! Qualis ad salutem et perfectionem cursus! 2. Quanto cum fructu in Exercitia ista incumberent defuncti, si in hunc mundum ad ea obeunda remitterentur! Qui in coela est, velletne eo reverti non auctus uberiore merito? Qui in purgatorio vel in inferno degit, velletne ea languide peragere, cum periculo in eadem tormenta relabendi? 3. Quomodo nos ipsi illis vacaremus, si jam vita exuti ad praesentem pietatis secessum revocaremur? Vacaret iis quispiam perfunctorie, an tota sedulitate? Contentus esset infimo, an collinearet ad summum? Ut tunc se gereret, gerat se nunc: ineat Exercitia, certus iis exire plane alius a se: Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus. Gal. ii. 20. Hinc sponte fluit sequentis puncti materia.

Punctum III.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2 Cor. vi. 2. Cogitemus itaque, hoc Exercitiorum tempus, esse tempus favoris et gratiae, esse opportunitatem insolitam, exquisitam Domini visitationem, non sine fructu dimittendam. Et quid si huic occasioni annexa forent efficacia auxilia, quae nobis Deus largiri decrevit? Si alligatum praedestinationis filum? Si hinc penderet nostra perseverantia? Si hoc ultimum esset ad perfectionem incitamentum?

Hic locum habet axioma: In dubiis tutior pars est eligenda: forte non, forte secus: alta sunt occultaque Dei judicia: et quid si secunda pars vera foret? ubi tanti momenti capita in controversia versantur, prudentia exigit, ut tutiori parti adhaereamus, atque huic exercitationi perinde demus operam, ac si hinc tota nostra penderet felicitas.

Refertur de quodam in Religione novitio, quod, cum in tyrocinio socordius ageret, repente in meditatione quadam ita exarserit, ut alius a se ipso ex illa redierit, nec deinceps per totam vitam refrixerit, animo flammis coelestibus tunc accenso. Quis vero novit, quid de ipsofuturum fuisset, si eam divinae gratiae

visitationem fideliter non fuisset complexus? Exemplum hoc nobis applicemus, et stemus intenti, ne Dei in nobis beneficia, nostra culpa vacua et sine fructu relinquantur: Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2 Cor. vi. 1.

Punctum IV.

Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Matt. xxvi. 41. Ad Exercitia se comparanti opus est vigilantia et oratione adversus tentatoris insidias, cui cum illorum efficacitas probe cognita sit, id omni ope aget, ut animi dissipationem inspiret atque fastidium. Duplex praecaeteris deceptio ab illorum seria et ferventi susceptione posset avertere.

Prima: forte nos alias spiritualibus hisce Exercitiis vacasse, ac proinde rem nobis novam non esse; et haec quidem fraus admodum speciosa est; novitatis enim defectus solet de rei aestimatione detrahere, et desiderium enervare. Contra hanc fallaciam muniemur, ita ingrediendo Exercitia, ac si ea numquam tractassemus, et inducendo in animum, quantumcumque veritates illic propositas perspectas habeamus, multo tamen plura circa illas nos ignorare quam scire; in Dei potestate esse, ostendere illic nobis veritates hactenus non perceptas; talia lumina inspirationesque infundere, quae fateri cogant, ita nobiscum actum esse, ac si prima jam vice haec Exercitia pietatis obivissemus.

Altera deceptio: secuturis annis ad illa obeunda nobis otium rediturum, et propterea seriam eorum tractationem in aliam occasionem differri posse. Hunc laqueum eludemus, ordiendo Exercitia ea cura et studio, quasi forent postrema; postrema enim esse posse quis dubitet? Qui hoc anno ante Exercitia mortui sunt, praeterito decurrebant ultima; qui hoc anno his vacant, nec supervivent futuro, jam vacant ultimis: quis me securum hic praestet? Redit axioma: In dubiis tutior pars est eligenda! forte non, forte secus; quid si secus futurum sit?

Ob expositas rationes aggrediatur unusquisque Exercitia, decernens apud se, ut in pari causa solebat vir egregie pius Vincentius Carafa: Deus et ego, aliud nihil. Vita lib. 2, cap. 11. Imitemur mentis excessum, quo sanctus Ignatius Manrezae diebus octo gavisus est, ab unius scilicet ad alterius sabbati completorium; quem exercitatio nostra egregie adumbrabit, si intra hanc ita omnes sensus colligamus, ut nec oculi, nec aures, nec lingua ad res externas elabantur, sed universae animi facultates Deo divinisque rebus constanter inhaereant.

Lectio Spiritualis.

Ad Ephes. cap. vi. 10 ad 18.

Thomas a Kemp. l. i. c. 20.
Rodriguez Part 1, Tract 5, cap. 25, 26, et 27.
Memoriale, cap. 79.

MEDITATIO I.

DE FINE CREATIONIS.

Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat; reliqua vero super terram sita creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum, juvent. Haec verba, desumpta ex fundamento Exercitiorum spiritualium S. Ignatii, suggerent puncta praesentis Meditationis: nos ipsos scilicet intuebimur primo comparate ad Deum, tum ad nos ipsos, dein ad res temporales.

Punctum I.

Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet et revereatur. Considera, habito ad Deum respectu, venisse te in hunc mundum, ut Deo servias, eique te debere servire omnino, quia Dominus Deus tuus est; quibus voculis duplex titulus meritumve exprimitur; ratione cujus ad ei serviendum obstringere; nempe, propter id quod Deus est in se, et propter id quod est erga te.

Quid est Deus in se? Dominus Deus, seu talis majestas, in quam concurrunt omnes plane perfectiones in gradu infinito; quo nihil melius aut esse aut concipi potest; cui comparata universitas creaturarum minor est minima atomo, imo est quasi non esset. Tanquam nihilum ante te. Ps. xxxviii. 6.

Quid est Deus erga te? Dominus Deus tuus, habens in te totale dominium, absolutum, independens, non modo jurisdictionis tamquam in subditum; sed et proprietatis tamquam in creaturam suam.

Adverte, servum erga herum officio suo deesse posse duplici modo: vel otiando, negligendoque heri servitium, vel injuriam inferendo. At qualis tu servus fuisti erga Dominum Deum tuum? Si otiosus, pudore obrui debes: et quid tandem in hoc mundo egisti, si non servisti Deo, tanti meriti Domino, et Domino tuo in omni juris rigore? Sin autem fuisti servus injurius et contumelosus, abutens in Dei offensam hisce ipsis facultatibus sensibusque,

que in ejus obsequium et honorem conferre debueras, totus exhorrescere debes, et sepulchri latebras anhelare, ut tam abominabile monstrum mortalium oculis subducatur.

Hei mihi quod Deum ipsum lacessivi, quod Dominum ac Creatorem meum injuria et contumelia affeci! Praeter actus confusionis et doloris in tanti criminis detestationem, offeres te ad qualemcumque injuriae reparationem, protestando cum Thoma Apostolo: Dominus meus et Deus meus (Joan. xx. 28.)! Acceptabis mandatum omni ex parte justissimum: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Matt. iv. 10.

Punctum II.

Considera, si te ipsum spectes, famulatum tuum non modo deberi Deo ob ineffabilem ejus magnitudinem ac dominium, sed et tibi ipsi quam maxime convenire, ob ingens, quod inde in te redundat emolumentum, tam in hac vita, quam in altera.

Pietas (sive cum S. Augustino epist. 52. verax veri Dei cultus) ad omnia utilis est, promissionem habens, vitae, quae nunc est, et futurae. 1 Tim. iv. 8. Differendo ad tertium Punctum ea, quae concernunt vitam futuram, recogita hic, veram vitae praesentis felicitatem homini non aliunde provenire, quam ab obsequio Deo impenso, et arcta cum eo conjunctione per gratiam. Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo (Ecclesiast. xii. 13): id est, in eo sita est tota felicitas hominis in hac vita. O Dei sapientiam et bonitatem, creantis me ad finem, qui simul bonum meum est, unde juxta eum vivens felix sum!

Nota.—Bruta animantia, dum servitium homini praestant, quod est creationis eorum finis, bonum suum amittunt: amittunt libertatem, caveis specubusque inclusa; amittunt quietem, jugis et sarcinis subjecta; vitam ipsam amittunt, occisa in operimentum hominis et nutrimentum: homo e contrario Deo serviens bonum suum adipiscitur, lucrando divinam amicitiam et adoptionem, pacem conscientiae, gaudium spiritus, jus ad aeternam beatitudinem.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est (Psal. lxxii. 28). Quod quidem adeo verum est, ut, simul atque a Deo disjungeris, in miseriam incidas: Malum et malarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum. Jerem. ii. 19.

Elementum intra sphaeram suam quietum est, extra eam vim patitur et tumultuatur: pisci intra aquam bene est, extra eam languescit et moritur: puerulus in sinu matris exultat et ridet, extra eum turbatur et plorat: ita homo

Deo conjunctus bene habet; pessime, a Deo divisus.

Fateamur verum: dies illi, quos cum virtute et pietate transigimus, nonne sereni nobis fluunt et laeti? Ii vero, quos vitiis inquinamus, nonne tristes nobis eunt, et turbidi? Ah vanitas vanitatum et omnia vanitas, praeter amare Deum et illi soli servire. Thomas a Kemp. lib. i. cap. 1!

Excita duos affectus: primum respectu praeteriti. O me improvidum, qui non noverim hactenus vivere, qui potuerim esse felix, et voluerim esse miser! Alterum respectu futuri: Volo imposterum sapere, totusque Deo conjungi, cum in eo solo mihi bene sit.

Punctum III.

Considera, spectando denuo te ipsum, sed prout ad aeternam vitam es conditus; tua maximopere interesse ut Deo servias; siquidem ei serviens aeternam salutem, finem creationis tuae, consequeris, juxta verba S. Ignatii: Eique serviens tandem salvus fiat: atque hinc triplicem affectum promovere conaberis:

Primum, Laudis Dei et gratiarum actionis: Benedic anima mea Domino; et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Psalm cii. 2. Amantissime Domine, poteras me cogere ut tibi gratis servirem, et ecce in praemium servitii tibi debiti, vis me salvum facere: in praemium honoris tibi in hac vita exhibiti, vis ut te semper in coelo possideam!

Alterum affectum excita gratulationis erga te, quod tanti boni capax sis. Longe felicior sors est, capacem nasci regni coelistis, quam nasci in spem terreni principatus. Et quae tandem sors amabilior, excelsor vel utilior fingi potest? Gaudeamus et exultemus. Apocal. xix. 7.

Tertium elice affectum firmi propositi, usurpando verba adolescentis Dosithei: Volo salvari, siquidem sic aeternum beatus ero, alioquin aeternum arsurus.

Examina, an negotium salutis tuae, quod sane negotiorum omnium maximum est, curae tibi fuerit prout merebatur. Si comperias, te in re tanti momenti somnolentum fuisse cum salutis tuae periculo, inhorresces: timorem et sollicitudinem concipies, qua ita in negotium salutis tuae incumbas, ut possis jure dicere quemadmodum olim Cardinalis Bellarminus: Hoc unum mae refert, ut salvem animam meam. Vita, cap. 17.

Punctum IV.

Reliqua vero super terram sita creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum juvent. Res omnes tempo-

rales circumspice et considera, has finem tuum non esse, cum ob eas creatus non: sis non propter opes, honores aut delicias; non ut nobilis, potens litteratus aut doctus sis; non ut diu vivas sanus et felix; cum e contrario res ipsae temporariae factae sint propter te, ut tanquam instrumenta consecutionem finis tui promoveant, finis proximi, qui Dei obsequium est; remoti, qui salus tua est.

Unde sequitur, hujus mundi rebus eatenus tibi utendum esse, quatenus promovent; eatenus vero abstinendum, quatenus adeptionem finis tui impediunt: oportet itaque ut circa eas indiscriminatim te habeas, adeo ut non praeferas divitias paupertati, honorem ignominiae, commodum incommodo, quietem labori, sanitatem morbo, vitam longam brevi, sed id solum velis, quod te juvat, nec ob aliud, quam quia juvat ad finis tui consecutionem, quae sola tibi cordi esse debet.

Ut te in hoc rerum temporalium neglectu et indifferentia stabilas, expendes duas veritates, quae ex duobus punctis praecedentibus, secundo et tertio, profluunt.

Prima, quae ex secundo sequitur: quandoquidem res temporales finis tuus non sunt, quietem et tranquillitatem animi conferre nequeunt; sed Deus solus, unicus finis tuus praestare id potest, juxta notissima S. Augustini verba: Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Conf. lib. i. cap. 1.

Altera veritas, que ex tertio puncto deducitur: cum nihil ita tua intersit, quam ut salveris, stulte profecto ageres, si ob hujus mundi commoda et solatia salutem tuam in discrimen adduceres: Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Matt. xvi. 26. An de re tua est, pro creatura Creatorem, pro terra coelum, pro caduco immortale, aeternum pro temporali amittere? Ah! parum refert, sisne felix in terra, an miser juxta mundi aestimationem; id sane refert, ut salves te.

Et vero tot apud inferos damnatis, qui hujus mundi felicitate gavisi sunt, quid profuit elapsa felicitas, utpote praecipitatis in barathrum aeternae miseriae? E contrario tot Beatis, temporaliter quondam miseris, quid obfuit aerumna praeterita, cum jam ad aeternam gloriam evecti sunt?

Ex dictis sequitur, te finem tuum firmater apprehendere debere, et eniti ad arctissimam cum Deo conjunctionem, cujus in terra obsequium et in coelo fruitio, primo per gratiam, deinde per gloriam, finis tuus est totaque felicitas.

Lectio Spiritualis.

Eccles. cap. i. Matt. cap. xvi.

Thomas a Kemp. lib. iii. cap. 26, 27.

Rodriguez, part i., Tract 8, cap. 5.

MEDITATIO II.

DE FINE VOCATIONIS ECCLESIASTICAE.

Uno fundamento posito, ponendum alterum, sive uno fine expenso, expendendus est alius. Finis vocationis ecclesiasticae est 1. non modo saluti, sed etiam perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, ut sancta Ecclesiae ministeria sancte tractentur. 2. Salutem et perfectionem proximorum, quantum Deus dederit, et functiones unicuique propriae sinent, promovere.

Punctum I.

Considera, eligi virum ecclesiasticum a Deo tanquam singularem amicum et traduci a mundo ad Ecclesiam, ut in hac Deo ministrans fructum faciat tam in se, quam in proximo, juxta illud Christi. Joannis, cap. xv. 14: Vos amici mei estis, et v. 16: Ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat. Denique, v. 19: De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. Quales autem esse debeant Ministri Ecclesiae, indicat Joannes cap. xii. 26: Qui mihi ministrat, me sequatur. Adde S. Hieronymum Epist. 2. Ad Nepot. de Clericis universim ita disserentem: Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est: qui autem vel ipse pars Domini vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. De Sacerdotibus audi Thomam a Kempis, lib. iv. c. 11: Sacerdotibus specialiter in lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.

Itaque sicut Christianorum omnium finis est, saluti propriae vacare, ita Ministrorum Ecclesiae, ac praesertim Sacerdotum est, etiam in Christianam perfectionem et sanctitatem incumbere.

Cave igitur, alio fine vel in statu Ecclesiastico vivas vel ad eum accedas: nam qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro. Joann. x. 1. Tales sunt, qui non

accensi studio divinae gloriae, sed amore divitiarum, honoris aut commodae vitae, vel impulsu amicorum potius quam perfectionis suae, ad hunc statum advolant, et quandoque beneficia cumulant, Ecclesiam aliis ministris idoneis fraudant, et aut ventri serviunt, aut amicos ditant. Quanta perversitas est in tam sublimi Christianae vitae conditione tantam corruptionem inveniri, unde ingentia in universam Ecclesiam scandala et damna promanant!

Expende, obsecro, si quam animae tuae curam habeas, quorum e numero sis aut deinceps esse cogites. Detestare eorum vitam, de quibus Paulus: Omnes . . . quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi. Philipp. ii. 21. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei! haec fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es. I Tim. vi. 10, et seq.

En vocationem et munus tuum: vae si defeceris! Melius tibi esset, si natus et vocatus ad haec non fuisses. Si aberrasti, pedem revoca, ministerium tuum imple. II Tim. iv. 5. Atque in hanc rem operae pretium erit recogitare, quanti nobis steterit susceptio status Ecclesiastici Fecimus perinde ac mercator Evangelicus, qui vendidit omnia quae habuit, ut pretiosam margaritam sibi compararet: renuntiavimus scilicet mundanis illecebris, commodis, honoribus, imo et propriae libertati, ut institutum laboriosum, et humanis oculis triste, capesseremus, ut animae nostrae perfectioni vacaremus. At quam turpiter erraremus, si adepta tanto pretio professione Ecclesiastico vitam ducere negligeremus! Fere, ut erraret ille, qui coemptam omnibus suis facultatibus pretiosam gemmam, postmodum in mare projiceret; unde duplex in nos miseria redundaret, cum hinc deficerent bona vitae saecularis, inde fructus Ecclesiasticae: facessat procul adeo damnosus error; quaeramus totis viribus, quod nos a mundo ad Ecclesiae ministerium pertraxit.

Punctum II.

Considera, quemadmodum in praecedenti Meditatione vidimus, Deum solum hominis finem esse, res vero temporales esse media, quibus juvetur homo ad finis sui consecutionem: ita solam Christianae vitae perfectionem finem esse, ob quem militiae Ecclesiasticae nomen damus; res vero caeteras, quae cum

comitantur, utva rios gradus, diversa officia, functiones, honorum titulos, esse mera ad sanctitatem adipiscendam instrumenta, propter quae neutram in partem moveri debemus. Unde sublimem gradum non praeferamus infimo, nec officium splendidum obscuriori, nec occupationem, quae naturae arridet, alteri quae repugnat; sed universim id tantummodo curemus, ut a nobis et in nobis Dei voluntas impleatur, cum uberiori perfectionis nostrae incremento.

Ad hanc animi indifferentiam stabiliendam juvat perpendere, nos ob nullam earum rerum, quarum mentio facta est, mundo renuntiasse et spes saeculi dimisisse; illarum quippe nulla tanti erat; sed tantummodo ob adipiscendam perfectionem; quae sola tali pretio comparari merebatur. Hinc sapienter advertit S. Ephrem: Turpe est, eos, qui sibi maxima subjecerunt, a vilioribus vinci (in illud, Attende tibi). Dedecet siquidem de carne et sanguine, de caeteris saeculi blandimentis imo et de ipsa libertate, que Episcopi et aliorum Superiorum Ecclesiasticorum obedientiae addicitur, triumphasse, ac dein vilissimarum rerum vinculis irretiri. Atqui si saecularis reprehensione non vacat, qui finis sui, ob quem creatus est, immemor, magno studio consectatur opes, honores et voluptates; quid fiet Ecclesiastico, qui similiter finis sui, ob quem ad statum Ecclesiasticum vocatus est, oblitus, istiusmodi nugas toto corde prosequitur? Quid hoc tandem aliud est, quam mundum cultu corporis reliquisse, retinere affectu; dimisisse in specie, fovere re ipsa?

Punctum III.

Considera, in quo situs sit conatus ille ad perfectionem, quae viri Ecclesiastici propria est. Situs est in accurata eorum omnium observatione, quae de vita et honestate Clericorum, ac maxime Sacerdotum, in Jure Canonico, variisque Conciliis constituta sunt, et quorum hic quasi nucleum damus, ex Tridentina Synodo sess. 22 de Reformat. cap. 1: "Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei et utilitate, et ornamento haec sunt, ita itiam diligentius sint observan a; statuit sancta Synodus, ut, quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita, ho-

hestate, cultu, doctrinaque retinenda ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lucibus, ac quibuscumque, criminibus, nec non saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur," &c.

Libellus de Imitat. Christi, lib. iv. cap. 11, speciatim Sacerdotes ita admonet: "O quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est, Dominum Majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere et caeteris ministrare! O quam mundae debent esse manus illae, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem toties ingreditut auctor puritatis! Ex ore Sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam saepe Christi accipit Sacramentum. Oculi ejus simplices et pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus purae et in coelum elevatae, que Creatorem coeli et terrae solent contrectare," &c.

Videbimus hic aliisque locis (quorum copiosa citatio est in margine Tridentini capite indicato), videbimus, inquam, quasi in speculo imperfectum nostrum. Videbimus, quae et quam multa in nobis reformanda sint, qualis Exercitiorum fructus esse debeat, juxta id quod in 2 primae Meditationis puncto notatum est. Videbimus denique qualis esse debeat, qui consentaneam Ministro Ecclesiae ac praesertim Sacerdoti vitam agere desiderat; et pro stimulo nobis erit tot aliorum Ecclesiasticorum exemplum, qui jam inde a principio Ecclesiae attenderunt, hodieque etiam status sui perfectioni attendunt, non modica sui jucunditate in hoc mundo, et grandi gloriae accessu in coelis.

Utinam omnes ita viveremus! Et quid ni? An forte nobis sors aliqua optabilior est tum in hac vita, tum in alia, quam inter ferventes spiritu locum habere, viris perfectis annumerari? Et nonne in hunc finem omnia opera nostra utiliter collocata censebimus, et lucro apponetur quodcumque incommodum? Praeterea si filii Sanctorum sumus (Tob. ii.), qui sanctitatem suam promoverunt eodem cultu corporis, eo, quo nos, vitae genere utentes, iisdem ministeriis et functionibus occupati, voletne quispiam a sanctis eorum moribus degenerare, non sine maxima animi amaritudine in morte, et confusione intolerabili ad Dei tribunal?

Concludamus hoc punctum verbis libelli de Imitat. Christi, lib. ii.: "Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus,

ut qui officium Sacerdotale (vel quodcumque Ecclesiasticum) suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus: et, si non possimus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus, concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus; et in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito, tibi ferventius de caetero deservire."

Punctum IV.

Considera, Ecclesiastici viri officium esse, non modo in propriam sanctitatem et perfectionem, sed etiam in proximorem salutem, operam omnem nervosque intendere, quae quidem pars est potissimus finis, ob quem Ecclesiae ministerio dedicatur. Vocatio itaque nostra exigit, ut salvandarum animarum studio ferveamus, ut gnaviter et continue vineam Domini excolamus.

Cui muneri ut non desimus, nobis calcar addet gemina consideratio. Una ex finis nostri excellentia repetita; in hunc siquidem finem Dei Filius descendit in mundum: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Joan. xx. 21. Hoc ipso fine electi Apostoli: Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis. Joan. xv. 6. Unde allaborantes saluti animarum, vestigia Christi premimus et Apostolorum.

Consideratio altera desumitur ex multiplici finis nostri, quae in nos ipsos derivatur, utilitate, juxta S. Gregorii Papae pronuntiatum: Nullum omnipotenti Deo tale Sacrificium, quale est zelus animarum. Homil. 22 in Ezech.

O quam praeclarum facilemque modum habemus hic in promptu, et ad magnopere honorandum divinam Majestatem, et ad respondendum beneficiis acceptis, et ad satisfaciendum pro peccatis commissis, et ad obtinendas a benigna manu ejus gratias, favoresque speciales pro consecutione salutis et perfectionis nostrae!

Serio animadvertamus triplici modo, quem quivis Ecclesiasticus pro suo gradu vel officio sub manu habet, juvari posse proximum; videlicet verbo, exemplo; et oratione; idque ex mente S. Bernardi Epist. 201, alludentis ad triplicàtum praeceptum pascendi gregem, datum Principi Apostolorum. Joan. xxi. Pasce verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu orationum.

Lectio Spiritualis.

Concil. Trident, Sess. 22, de Reform. cap. 1.

Thomas à Kempis, lib. iv. cap. 5.

Rodriguez, Part i. Tract 1, cap. 15, et Part iii. Tract 1, cap. 5, 9, et 10.

Memoriale, cap 2.

MEDITATIO II.

DE PECCATO MORTALI.

Ut ad finem contendamus tam creationis quam vocationis nostrae, tollenda sunt peccatorum et tepidae seu remissae vitae impedimenta. Licet Ecclesiasticus credatur maxime alienus a peccato mortali, nihilominus supervacanea non erit de hoc suscepta Meditatio, quae illius primo malitiam, dein malignitatem seu vim nocendi, denique mensuram ob oculos ponet.

Punctum I.

Considera malitiam peccati mortalis, hoc est, quantum sit malum respectu Dei. Est offensa quaedam, injuria, contumelia, Deo ipsi illata. Ut intelligas, quousque tanti flagitii atrocitas se extendat, uteris triplici consideratione.

Et primo quidem perpendes, quis sit offendens, quis offensus? In aula vilissimus aliquis servulus impingit alapam alteri ejusdem conditionis servo; offensa non est notabilis; impingit Principi, offensa maxima est, ob inaequalitatem summam, quae illum inter et Principem intercedit. Qualis igitur erit offensa, qua homo graviter peccando afficit non alterum hominem, ut in adducto casu, sed etiam Dei Majestatem, inter quam et hominem infinitum discrimen est? Servulus ille, si postmodum sceleris sui immanitatem agnosceret, non auderet ultra inter homines apparere, et tantum non se vivum sepultum vellet. Quantum igitur et contra se commoveri debebit homo, qui ineffabili audacia Deum lethaliter offendit?

2. Perpendes, injuriae, quae Deo graviter peccando irrogatur, inesse formalitates seu modos omnes offensionis: inest inobedientia, seu neglectus imperii, quia qui peccat, legem contemnit et violat: inest ingrati animi crimen, quia qui peccat, bonum malo recompensat, convertens in benefactoris sui contumeliam ipsa ejus beneficia: inest rebellio, quia qui peccat, Dei dominum excutit, ejus se imperio subtrahens: inest contemptus, quia oblatis ad ejus optionem Deo et creatura, Deum creaturae postponit: imo inest fera crudelitas, et quidem ex duplici capite: tum quia peccans, quantum in se est, nititur Deum destruere: tentat siquidem turbare immensam ejus beatitudinem, sine qua, si per vires hominis deficere posset, Deus ipse deficeret; tum quia pec-

cans, quantum pariter in se est, molitur incarnato Dei Filio acerbissimam ejus passionem renovare; si quidem tale malum perpetrat, quod in sui compensationem, valorem exigit divinae passionis: unde peccare mortaliter, perinde est ac denuo flagellare, coronare spinis, crucifigere et occidere Salvatorem. O quale monstrum est peccatum mortale! et possumus illud non exhorrescere, non persequi, non oppugnare, tam intra intra quam extra nos?

3. Considera, peccatum mortale ex doctrina Theologorum, Deo majori odio esse, quam ipsi gratum sit omne bonum creatum. Hoc ita patebit: ponatur hinc unicum mortale peccatum; inde totus cultus Deo praestitus praestandusque usque ad consummationem saeculi ab omnibus omnino justis, eo etiam comprehenso quem illi sanctissima Virgo Mater exhibuit: pejus Deo est (si Deo male esse posset) ex eo solo peccato, quam ipsi bene sit ex toto illo omnium justorum cultu; hoc est, magis Deo displicet, magis probrosum est solum illud peccatum, quam ipsi placeat, et quam honorifica sit universa illa justorum servitus; parum dixi: servitus illa duplicetur, centuplicetur, multiplicetur millies millies et ultra; in tanta amplitudine et quasi immensitate, inferior etiamnum remanet malitia peccati mortalis, pro quo scilicet nondum foret satisfactio digna. O abyssum malitiae peccati mortalis! quam proinde orandus Deus, ut eo nos liberet!

Punctum II.

Considera malignitatem peccati mortalis, hoc est, malum quod infert in peccantis praejudicium: et dupliciter quidem attendi potest, malum scilicet quod olim intulit, et illud quod hodie, etiam infligit, atque de hoc in puncto tertio.

Ut deprehendamus damna olim a peccato mortali invecta, ascendamus cogitatione in coelum; descendamus in terram; penetremus ad infernum.

Cujus mali causa fuit in coelo? Commissum a perduellibus Angelis, edidit ex iis horrendam stragem, praecipitando statim a summo coelo in imum barathrum tot nobilissimos spiritus, damnatos irrevocabili aeternoque supplicio.

Quod malum in terra exercuit? Perpetratum a primo parente Adamo, destruxit tam ipsi quam toti ejus posteritati felicem statum innocentiae, statum vitae et sanitatis, abundantiae et pacis, sapientiae et justitiae; summae denique prosperitatis, et vitae conditionem invexit refertam tot animae corporisque miseriis, quot continue experitur humanum genus.

Quae mala operatum est apud inferos. Aeternum in-

clusit loco illi tormentorum, illi poenarum pelago, igneo illi carceri, innumeras animas, quamquam a multis earum non nisi semel admissum. Tot itaque clades ex peccato mortali in coelo, in terra, apud inferos! Quantum incutere nobis debet vel sola ejus umbra terrorem?

Punctum III.

Considera malignitatem peccati mortalis, quantum ad malum quod passim, etiam hodie operatur; expende, inquam, damna, quae in auctore, in ipso peccante producit. Apud Ecclesiasticum (c. v. 4) gloriatur peccator, pecasse se, neque propterea sibi quidquam sinistri obvenisse: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Itane vero, peccasti, nec propterea tibi quidquam accidit triste? Audi porro et vide, an tibi ex peccato malum obtigerit, et malum grande, et malum supra omne malum; ac peccando talia damna incurreris, propter quae una es infortunatissimarum creaturarum, quae in mundo vivant.

Primo, divinam gratiam perdidisti, quae te justum constituebat et gratum Deo; cui per peccatum factus es odiosus et abominabilis, et ex amico charissimo hostis intolerabilis.

Secundo, perdidisti divinam adoptionem: quae sors pretiosior, quis gradus sublimior quam esse Filium Dei, habere Deum pro Patre? Caram adeo sortem vilissimo pretio vendidisti, excidisti tam excelso gradu, et cum catena satanae, cui servus addictus es, eum commutasti.

Tertio, perdidisti singulare praesidium, quo Deus justos ut amicos et filios suos tuetur. Non amplius custodiris a Deo ut pupilla oculi ejus; non ultra defenderis sub umbra alarum ejus; non gestaris amplius in sinu, nec lactaris uebribus amabilis ejus paternaequae providentiae.

Quarto, perdidisti coelestem haereditatem, filiis debitam: Si autem filii et haeredes. Rom. viii. 17. Jam exhaeredatus es; non ultra jus habes ad aeternam gloriam; coelum non ultra tuum est.

Quinto, perdidisti meritum bonorum operum, et es factus merendi incapax, similis ei, cujus omnia bona fisco addicta sunt, nec habet unde quidquam lucretur. Opera bona, quae ante peccatum mortale exercueras, mortificata sunt; quae autem jam exerces, sunt mortua.

Sexto, factus es reus damnationis aeternae; unde, si in peccato moreris, ejus pondere traheris ad inevitabilia et sempiterna inferorum supplicia.

Quid videtur? An ultra dices, ex peccato nihil tibi accidisse triste? Ah scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum! (Jer. ii. 19) et

agnosce tandem quam stulte egeris, accersendo tibi, ob temerarium facinus inconsultamve libidinem, miserias inauditas.

Punctum IV.

Considera mensuram peccati mortalis; haec est quae horribile illud monstrum numeris omnibus absolvit et perficit. Non obstantibus damnis, quae ex peccato mortali oriuntur, posset quispiam ad illud committendum induci fiducia reparandi ea per poenitentiam et pristinum justitiae statum recuperandi. Error gravissimus: qui peccat, potius eo se loco constitutit, unde incertissimum est, an unquam evasurus sit.

Docent theologi, persuasi testimoniis Scripturarum et sanctorum Patrum, certam esse mensuram, seu numerum determinatum peccatorum mortalium, qui ubi completus fuerit, Deus non ultra misericordiam impertiturus est, sed peccatorem vel de medio tollet, vel de potestate mentis; vel privabit omnino auxiliis gratiae efficacibus, relictis illi tantummodo sufficientibus, quibuscum licet a peccato resurgere poterit, nunquam tamen resurget, et tandem aeterno igne damnabitur. Addunt illi ipsi Theologi, non omnibus eamdem esse decretam mensuram, quae in quibusdam compleri potest ad primum, quod perpetrent, mortale delictum, ut completa fuit in rebellibus Angelis, statim ab admisso crimine deturbatis e coelo ad aeterna inferorum tormenta, et in primis parentibus quantum attinet ad jacturam status innocentiae, quam sibi posterisque fecerunt. Quid si igitur peccatum, quod quis patrare sustinet, mensurae suae complementum foret, quid de ipso fieret?

Praeterea, licet peccatum non sit ultimum modo jam indicato, multum tamen timendum est, ne ultimo viam aperiat, atque ita fiat causa, sin minus proxima, saltem remota, damnationis; quod quidem pronum erit accidere, si ad hoc ulciscendum adhibeat Deus tremendam poenam spiritualem, permittendo lapsus et relapsus in alia atque alia peccata mortifera. Qua ratione magis ac magis liquet, peccantem in eo se statu constituere, cui an non immoriturus sit, perquam incertum est.

O formidabilem peccati mensuram, ob quam meritissimo jure appellatur a Tertulliano devoratorium salutis, monstrum, inquam, quod praeter gratiam habitualem, devorat etiam actualem, devorat scilicet auxilia efficacia, speciales Dei favores, perseverantiam ordinariam in vita, et nisi singulari misericordia remissum fuerit, finalem in morte. Vae immittenti se in fauces tam horrendi monstri!

Renovemus adversus illud proposita nostra firmissima, ad securitatem nostram et proximorum; neque unquam cessemus precari Patrem misericordiarum, ut eo nos liberet per merita Redemptoris.

Lectio Spiritualis.

Isa. cap. i.; Rom. cap. vi.
Thomas a Kempis, lib. i. cap. 13 et 21.
Rodriguez, part 2, tract. 3, c. 7, et part 3, tract. 4, c. 9, 11.
Memoriale, cap 7.

MEDITATIO IV.

DE PECCATO VENIALI.

Quemadmodum Meditationem de fine creationis secuta est altera de fine vocationis ecclesiasticae: ita post meditatum peccatum mortale, venit loco suo expendendum veniale: ut enim illud directe opponitur saluti, ita hoc perfectioni, quam pro fine suo habere debent Ecclesiastici. In peccato veniali attendenda erunt: Primo, Natura ejus; secundo, Effectus; tertio, Punitio; quarto, Circumstantiae.

Punctum I.

Considera naturam peccati venialis. Quid est peccatum veniale? Est quaedam offensa Dei; est dedecus quoddam, est molestia quaedam, sive, ut theologi vocant, displicentia, quam inde in Deo consequi modo nostro concipimus: atque hoc sufficiat, ut intelligas esse grande malum, esto vocetur leve et exiguum, comparatione peccati mortalis: quemadmodum terra punctum dicitur, comparatione coeli: caeterum tale in se malum est, ut post mortale, omnium quae esse possunt malorum maximum sit.

Unde autem tanta malitia in culpa veniali? Quia Deo opponitur qui est excellentiae infinitae. B. Catharina Genuensis (Vita cap. 24) fatetur de se, cum aliquando sibi exhibitum esset, quantopere timenda sit etiam umbra minimi actus Deo adversantis, miratam, se prae horrore mortuam non fuisse, additque, nisi visio illa statim evanuisset, corpus suum, licet fuisset adamantinum, in partes fuisse disrumpendum.

Ut capias quantum malum sit venialis noxa, propterea quod adversetur Deo; imaginare hinc peccatum veniale, isthinc omne malum quod creaturae possit accidere extra peccatum: imaginare universum orbem, tanta Dei potentia et sapientia conditum,

redire in nihilum; coelestem curiam habitatoribus spoliari, Beatis omnibus gloria sua excidentibus; mortales omnes praecipites agi in flammas aeternas: majus malum est peccatam istud veniale, quia hoc Deum tangit, caetera mala creaturas; et quanto Deus creaturis potior est, quae quidem omnes sunt tanquam nihilum ante ipsum, tanto vel minimum malum quo Deus offenditur, majus est quovis malo, quod unice in creaturam cadit.

Penetrata natura peccati venialis, sequi in nobis debet affectus duplex, primus, pudoris et poenitentiae ob tot venialia a nobis commissa. Secundus, propositi et deprecationis, ne relabamur in ea maxime venialia quae plena deliberatione fiunt, de quibus praecipue hic sermo est.

Punctum II.

Considera effectus seu damna peccati venialis. Primus effectus: maculat animam, quae, cum est in gratia, valde speciosa est. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion. Isa. iv. Sordes illas filiarum Sion, sive animarum justarum interpretatur S. Basilius, veniales culpas: faciunt nimirum in anima justi quod scabies in vultu decoro, quod aspersio luti in eleganti tabula: non tollunt quidem ab anima gratiam, nec aliquem ejus gradum, verumtamen nitorem obscurant, fulgorem hebetant qui ex gratia nascitur, unde anima divinis oculis minus accepta fit.

Alter effectus: licet veniale peccatum non solvat amicitiam Deum inter et animam, quod lethali proprium est, quasdam tamen amicitiae sequelas surripit, non sine gravi animae damno. Fingamus amicorum par: alter alterum leviter offendit: offensus, ut perstet in amicitia, non ita tamen ac prius cum eo, qui se offendit, communicat; non perinde familiariter eo utitur: sic et in casu nostro, per peccatum veniale amicitia divina non perit, sed familiaritas et domestica quaedam consuetudo: hinc divinae visitationes rariores fieri, aut nullae; deficere coelestes consolationes, ingruere tentationes, scrupuli, ariditas; specialis tutela et beneficia, quibus Deus justos fovere solet, imminui. Scabies, licet non reddat abominabilem, qui ea inficitur, tamen blandimenta suspendit. Fatebatur anima quaedam admodum pia, se ob veniale peccatum omni divino solatio destitutam fuisse anno integro, ajebatque: Ah culpa illa levis non est, quae annali Dei absentia expiatur!

Tertius effectus: animam a bono retrahit: eniteretur illa ad intimam cum Deo conjunctionem, promoveretur in virtute et perfectione, fieret sancta: sed peccatum veniale

ei in mora est. An esse potest effectus flebilior, quam ut quis cogatur conqueri, noxam venialem perfectioni suae obstitisse, eripuisse sanctitatem? Dolet quis: quid sit nescio; lentum et socordem me sentio; precatio fastidiosa est, virtutis vellem viam inire, neque viam invenio: taedii illius, pigritiae et lentitudinis non aliunde arcessenda origo est, quam ex culpis venialibus: Per peccatum veniale retardatur affectus hominis, ne prompte feratur in Deum (ita S. Thom).

Effectus quartus: sensim sine sensu deducit animam ad gravius malum, disponendo eam ad peccatum mortiferum, praesertim si frequenter committitur: Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. xix. 1. Disponit, inquam, et assuefaciendo vitiosis actibus, et infringendo virtutum habitus (acquisitos intelligo) et movendo Deum, ut animae subtrahat auxilia specialia. Quis effectus horribilior periculo amittendi gratiam et salutem? Hujusmodi discrimen adiit. S. Theresia in flore juventutis ob quasdam vanas amicitias, quae venialis culpae limites non excedebant, ut Deus ipsi postmodum manifestavit, indicans locum ei in inferno destinatum, nisi quantocius amicitias illas praecidisset. Vita, cap. 32. Si ergo timeamus animae malorum omnium maximum, ejus quoque timeamus periculum: caveamus sollicite, ne demus in manus daemonis exitii nostri principium.

Punctum III.

Considera peccati venialis poenas. Quemadmodum ex suppliciis ab humano judice irrogatis, qualitas delicti arguitur, ita ex poenis, quas Deus sive in hac sive in altera vita repetit ob peccatum veniale, hujus culpae naturam colligimus. Ex Scripturis et Sanctorum vitis habemus veniales noxas in hac vita graviter vindicatus fuisse; scimus in altera plecti atrocibus purgatorii poenis: non parum igitur displicent Deo, siquidem in ipsis amicis suis eas tanta severitate castigat. Discamus inde et nos ea tota sedulitate cavere.

Punctum IV.

Considera circumstantias peccati venialis, duas potissimum: circumstantiam quis, seu personam quae peccat, et circumstantiam cur, seu finem, ob quem ad peccandum inducitur.

Quis peccat? Es in ordine ecclesiastico, es in sacerdotali, vel ad hunc prope aspiras: si igitur venialiter peccas, vocatus ad statum perfectionis, tot viris sanctis annumeratus, qui in eodem statu omni virtutum genere floruerunt, vivens in domo Dei ejusque do

mesticus et familiaris, professus pressius te inhaerere velle Christi vestigiis, toties pastus pane Angelorum in sacra Mensa proposito, abundans auxiliis spiritualibus ad recte sancteque vivendum: ah quantopere hinc culpam aggravas!

Cur: quo fine venialiter peccas? Nimirum, vel ut in re frivola tibi indulgeas, vel ut levem molestiam vites, quemadmodum quisque facile apud se deprehendet. Quae tenuior oblectatio, quam dedita opera mendacium jocosum proferre? Quae minor molestia, quam tempore, quo Deo supplicas, voluntariam animi evagationem cohibere? Et ob rem tam modicam, tam nullius momenti, reum te facis tam grandis mali, quoad naturam, quoad effectus, quoad supplicia, ut supra demonstratum est. Posita primi puncti veritate, non peccandum esset venialiter, licet ita peccando impedire posses ruinam omnium creaturarum: et peccabis, vel alteri peccandi occasionem dabis, ne levi voluptate frauderis, vel ut levi molestia eximaris? Deberes tibi praeoptare mortem et sempiterna tormenta veniali Dei offensioni; et hanc e contrario eliges prae exigui commodi privatione vel tolerantia momentanei mali? Amor mi, nullum posthac peccatum; ita apud se statuerat B. Catharina Genuensis. Idem apud te decerne: Domine mi, amor mi, nullum posthac ex plena deliberatione peccatum.

Lectio Spiritualis.

Thomas a Kemp., lib. i. cap. 22, et lib. ii. cap. 5, et 6.

Memoriale, cap. 27.

MEDITATIO V.

DE SPIRITUALI TEPORE SIVE ANIMI IN VIRTUTE REMISSIONE.

Meditatis peccatis, succedit Meditatio teporis, qui, ut hic consideratur, est quidam vitae tenor languidus, remissus, incurius, obnoxius multis in Dei famulatu erroribus ac noxis, et maximopere metuendus. Malum esse non modicum ex quadruplici capite declarabunt puncta sequentia.

Punctum I.

Animi in virtutum exercitio languor grande malum est comparate ad Deum, cujus oculis ingratissimus est. Apparens S. Ignatius personae

cuipiam cultus sui studiosissimae, ajebat: si dolor caderet in beatos coeli cives, veste se lugubri spectandos darent, ut palam facerent, quantum sibi displiceant, qui a primo fervore desciscentes in Dei servitio elanguerunt. Si languor ille Sanctorum oculos offendit, quanto magis Dei oculos, qui est Sanctus sanctorum, essentialiter sanctus et omnis sanctitatis origo!

Quo melius hujus puncti veritas intelligatur, recolenda hic exprobratio Christi contorta in Ephesinum Episcopum apud S. Joannem in Apocalypsi: Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Cap. ii. 4. An nos et in me hujusmodi reprehensio conveniret; quod scilicet pristino fervore non vivam? Quod non magis de profectu meo sollicitus sim, quam si omnem de eo cogitationem deposuissem? Quod ex quavis ratiuncula supersedeam pietatis operibus? Quod haec obeam ex mera consuetudine, et cum mentis evagatione? Quod sopita sit in me conscientiae quaedam religio in rebus parvis aestimandis, in operando cum requisitis facultatibus, in observandis regulis aut statutis instituto meo aut conditioni propriis? Quod tardus sim ad laborem, velox ad quietam? Quod alienus sim ab humiliatione, avidus aestimari et innotescere? Quod adeo non quaeram quae molesta sunt sensui, ut ubique commoda mea consecter? Quod relucter Superiorum imperio, vel saltem eorum voluntatem ad meam inflectere studeam?

Si harum aut hujusmodi objurgationum reum me sentiam, expergisci debeo, et aurem praebere monitis et minis, quae libro et capite citato sequuntur: Memor esto itaque unde excideris; et age poenitentiam, et prima opera fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, ut a digniore occupetur.

Punctum II.

Tepor grande malum est, si statum ecclesiasticum spectes, cui adscriptus es, et cui gravem infers injuriam, non utens tot adjumentis, quot ab illo habes ad animae tuae profectum destinata: habentur enim alibi, vide, quam multi laici in mundo, nonne in parochia tua; tam sancti, tam perfecti, tam studiosi pro gloria Dei et Sanctificatione propria: auxilia pene innumera, quibus fervorem concipias alasque, ut ad perfectionem promovearis. Hujusmodi sunt: creber usus Sacramentorum, divinium quotidie Sacrificium, sacer cantus, orationes caeterae, quae tum voce, tum sola mente peraguntur, examen conscientiae, lectio Scripturae Sacrae et tot aliorum librorum virtute et pietate erudientium; exercitationes piae, Superiorum

vigilantia, confessariorum directio, omnis generis virtutum exampla, etc. Et fieri poterit, *ut in tanta ignium copia* intepescas, ut inter tot ad virtutem stimulos pigrescas, et torpeas?

Hic locum habet Dei apud Isaiam querela: Quid est quod debui ultra facere vineae meae (animam intellige), et non feci ei? Cap. v. 4. Sepem circumdedi ei, seu custodiam ministrorum meorum, ac munimen disciplinae domesticae vel ecclesiasticae. Putavi eam ope monitorum et paternarum correctionum. Fodi eam aculeis pungentis aut remordentis conscientiae. Irrigavi coelesti mea doctrina; sed expectationem meam fefellit: nam expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas! Ibid. Expectabam, ut proferret uvas dulces, maturas, tempestivas, unde vinum fervoris, accurationis zelique exprimerem; et protulit labruscas, uvas, inquam, agrestes, acerbas, amaras, negligentiae, desidiae et incuriae. Sed vae ingratae vineae! Vae Ecclesiastico remisso et tepido, cui ita apud Isaiam loc cit. Deus comminatur: Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae ad justi doloris indicium: auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur: et ascendent vepres et spinae: et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem: Minae omnes terrificae et ignavo Ecclesiastico jure merito extimescendae, ut patebit etiam magis ex puncto sequenti.

Punctum III.

Vita remissa et tepida sibi ipsi Ecclesiasticus grande malum accersit. Quia periculum est, ne ex tepido fiat frigidus, ne ex neglectu perfectionis, salutis etiam jactura nascatur. S. Gregorius Papa duplicem teporem observat; alterum qui ex frigore ad calorem; alterum qui ex calore vergit ad frigus. Hauris aquam e puteo et foco imponis; haec ex frigida tepescit, ex tepida calet. Contra ex foco transfers aquam in patentem aerem; haec ex calida tepescit; ex tepida tandem friget. Ita homini duplex tepor accidit; alter bonus et spei optimae, quia frigori succedit: alter malus et sinistri augurii, quia calori subnascitur. Si peccator ex frigido fiat tepidus, speramus bene, quia ad fervorem disponitur; si justus ex calido fiat tepidus, jure metuimus, quia ad frigus inclinat.

Hodieque usuvenit, ut quis prae segnitie et remissione animi in Dei servitio, ecclesiastico statui valedicat; nempe ex calido intepuit, ex tepido refrixit, amissa perseverantia. Atq caveat, ne exclusus numero Ministrorum Ecclesiae, praedestinatorum

etiam numero et sorte excludatur. Infelix Euprepianus, quem refert S. Theodorus fervore primum excelluisse, virtutum omnium fuisse exemplar, bis ob fidem missum in carcerem et dire verberatum, adeo ut perpetuam in bono firmitatem promitteret: et tamen dormitans cecidit, sensim ex pristina virtute remittens graviter cecidit, et vitam denique infausto exitu terminavit.

Verum unde tantum ex tepore periculum? Quia tepidus indignum se reddit specialibus Dei auxiliis, quibus deficientibus, licet adjutus ordinariis stare possit, non stabit tamen et turpiter prolabetur. Juxta verba Apocal. Cap. iii. 15. Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es . . . incipiam te evomere ex ore meo. Itaque ne desimus Deo, ut non desit nobis, siquidem, ut notat S. Augustinus: Non deserit, si non deseratur; ne parce et gelide Deo serviamus, ut erga nos munificum experiamur, et gratiis ejus abundemus: nec unquam desinamus formidare funestum animi languorem, unde nobis obvenire potest extrema pernicies.

Punctum IV.

Spiritualis tepor grande malum est respectu proximi, qui a tepido et socordi Ecclesiae Ministro non habet requisita subsidia, ut revertatur ad frugem, vel in virtute proficiat. Igitur tepor similis est ancipiti gladio, recte tepidum, oblique proximum ferienti, *qui ab Ecclesiastico ad salutem et perfectionem provehi et accendi deberet.*

Noatum est in fine Meditationis tertiae, triplici ratione animas juvari posse, *verbo, exemplo, et oratione:* at quomodo tepidus juvabit oratione, quam vel non instituit, vel negligenter? Quomodo utilis erit exemplo, quod adeo non praebet bonum, ut non raro etiam praeeat malo? Quomodo proderit verbo, quod nec animatur charitate, nec a corde progignitur? Si propriam non amat animam, amabit alienam? Si proprio non studet profectui, curabit alienum? Atque en novam justi timoris materiam? si tepidus culpa sua instrumentum minus aptum efficitur ad animarum lucrum et salutem; si inutiliter locum vel ministerium occupat, quod utiliter impleretur ab altero; si his ipsis nocet, quibus juvandis praepositus est: caveat, ne ad Dei tribunal accusatores inveniat, qui de eo ultionem reposcant.

Lectio Spiritualis.

Sapient, cap. v.; Lucae, cap. xvi.

Thomas a Kemp., lib. i. cap. 11, et lib. iv. cap. 7.

Memoriale, cap. 19.

MEDITATIO VI.

DE MORTE.

Ut tollamus impedimenta, quae finis nostri consecutioni officiunt, valde efficax est salutaris timor, conceptus ex recordatione novissimorum. Haec meditatio, quae mortem memorandam proponit, ita instituetur, ut simul Dei particulare judicium contemplandum offerat: Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Hebr. ix. 27.

Punctum I.

Considera, mortem unicuique citra ullam dubitationem debere obtingere: quod ut altius descendat in animum, usui erit dictum Thomae a Kempis: Si vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia et tu per eamdem transibis viam. Lib. i. cap. 23. Si vidisti jacentem in lectulo, morobo oppressum, deploratum a medicis; si vidisti ultimis Ecclesiae praesidiis munitum, et adhibito sacro cereo proficiscentem ejus animam Deo commendari: si vidisti cum morte luctantem, amittentem sensus et tandem vitam; deinde feretro inclusum, templo illatum, mortalium oculis subductum, et paulo post etiam memoriae, cogita quia et tu per eamdem transibis viam; moriere, inferere templo, sepeliere et perinde apud omnes eris, ac si nunquam extitisses; oculis, linguis, omnium hominum recordationi ereptus.

Ah! utinam haec veritas animum tuum pervadat, hanc vitam finem habituram, tibi brevi subtractum iri earum rerum omnium usuram, quas modo tam magni facis, tam ardenter amas, tam sollicite quaeris, propter quas distraheris, turbaris, et ea negligis, quae salutem et perfectionem tuam proveherent!

Expende, obsecro: quid est mors? Est sejunctio ab omni re temporali, et transitus ad aeternitatem: at si tibi haec sejunctio et transitus necessario eventura sunt, quid consilii capiendum existimas, nisi de eorum numero sis, de quibus scriptum est: Gens absque consilio est, et sine prudentia: utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent! Deut. xxxii. 28. Ratio certe manifesta movet et urget, ut tempestive peritura omnia valere jubeas, teque ad mansura et aeterna convertas.

Creditur quidem, cum quis ad statum ecclesiasticum transiit, jam fluxis hujus saeculi

rebus valedixisse; verumtamen non raro accidit, ut mundum magis corporis cultu deserat, quam cordis affectu, et in tam sacro, cui aggregatus est, ordine, honorio, opibus, commodis non secus inhiet, quam qui vitam saecularem profitentur. Si quid mundi in te residuum est, ocius excute, ut nudus et expeditus te ad magnum aeternitatis iter recte instituendum compares; nec meminisse desinas, mortem, praeterquam quod inevitabiis sit, habere sibi adjunctam incertitudinem non minus terrificam, quam salutârem. Ubi? Quando? et Quomodo eventura sit? Quae vigilantiam et sollicitudinem tuam acuant.

Punctum II.

Considera triplicem moribundi intuitum: respicit praeteritum tempus, aspicit praesens, prospicit futurum: singula singulis punctis expende.

Fingamus duos Ecclesiasticos ad extrema perductos: alterum in virtutum exercitio fervidum; alterum remissum; diligentem unum, incurium alterum. Quid vident illi, oculos ad praeteritum tempus retorquentes? Fervidus in contemplatione praeteriti repletur solatio; videt, non sine magna hilaritate conscientiae, malum quod omisit, bonum quod fecit in executionem praecepti: Diverte a malo, et fac bonum. Ps. xxxiii. 15. Et laetabundus exclamat: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 2 Tim. iv. 7. E contrario Ecclesiasticus tepidus et remissus, respiciens praeteritum, videt amplam moeroris materiam: videt cum amaritudine animi malum quod facit, bonum quod omisit, et in querelas effunditur: Ergo erravi; praepostere usus annis meis et viribus; poteram colligere merita, multiplicare coronas; et stramen ac paleas collegi, saltem ut ardeam in Purgatorio: poteram ad perfectionem eniti, et jam de ipsa salute periclitor.

Si tibi nunc moriendum foret, conversus ad praeteritum, quid videres? An ea quae consolatio nem parerent, an quae tristitiam? Rectene an male facta? Merita an offensas? Si aetas hactenus transacta displiceat, jam serium concipe emendationis propositum, ut cum re ipsa moriendum erit, videas consolationis materiam, et possis cum fiducia dicere: Ab exercitiis spiritualibus tali anno obitis incessi coram Deo in veritate et in corde perfecto. Isa. xxxviii.

Punctum III.

Considera secundum intuitum: quid duo illi moribundi vident praesens tempus aspicientes? Vident istud deficere, sed o quantum diverso oculo! fervens Ecclesiasticus videt deficere ingenti suo

bono; socors et tepidus ingenti malo: ille aspicit praesens tempus ut finem certaminis, ut metam stadii feliciter decursi, et ministerii cum fide impleti, ac se solatur verbis Apostoli: reposita est mihi corona justitiae. 2 Tim. iv. 8. Alter praesens tempus intuetur ut finem mercatus, messis et opportunitatis lucrandi, ac vehementer affligitur: non poterit ultra lucrari, metere, aut sibi ipsi prospicere: eget tempore ut Deo satisfaciat, ut peccata sua redimat, ut domui suae interiori disponat, sed tempus non erit amplius. Apoc. x. 6. O si revocare posset particulam aliquam tam longi temporis, quod inutiliter contrivit! Applica haec tibi ipsi, ut in puncto superiore. Si jam vita excedendum foret, videns tempus deficere, gauderes an doleres? Si tibi conscius es, te tepore et remissione animi vitam duxisse, jam poenitentia et fervore: adeoque firmiter apud te decerne, bene impendere et praesenti tempore sarcire praeteritum, vivendo dies plenos, qui hebdomadis mensibusve aequivaleant.

Punctum IV.

Considera tertium intuitum: quid dicti moribundi vident prospicientes futurum? Fervens et diligens videt coelos apertos, et gaudet. S. Aloysius Gonzaga ad mortis suae nuntium signa dabat insuetae laetitiae, repetens: laetantes imus, laetantes imus; nempe ad aeternam vitam et gloriam. Cardinalis Bellarminus ad eumdem nuntium ajebat, nunc sibi jucundum accidere, quod in domum suam evocaretur, eo nomine Paradisum intelligens. At tepidus et incurius tempus futurum intuens, videt tribunal judicis, ad quod citatur, et conterritus apud se resolvit: Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi? Job xxxi. 14. Quam rationem reddam tanti temporis in ecclesiastico statu perperam transacti? Quid respondebo ad tot habita salutis et perfectionis adjumenta, per culpam meam inutilia? Quid dicam ad obversantem oculis meis tot beneficiorum seriem, quibus non nisi ingrati animi facta reposui? Ad tot Dei gratias et totidem earum abusus? Ah! quid de me fiet post districtum judicium? Absolvar an damnabor? Auferam benedictionem an maledictionem? Ducar ad gaudia, an ad supplicia? Formidabo Dei judicium in vita, ne jure merito formidem in morte, amplectarque consilium S. Petri Chrysologi: Ne judicemur, judices nostri simus.

Lectio Spiritualis.

Thomas a Kemp., lib. 1, c. 23.

Rodriguez, part 4, tract. 2, cap. 5, et tract. 3, cap. 10.

Memoriale, cap. 10.

MEDITATIO VII.

DE INFERORUM POENIS.

Descendamus in infernum vivi, ne descendamus mortui infernus tormentorum locus est ex multiplici capite horribilium: ex multitudine, ex atrocitate, ex duratione: in iis meditandis singularis utilitas.

Punctum I.

Considera multitudinem tormentorum inferni: adeo multa sunt, ut Hugo Card. explicans verba S. Lucam cap. xvi. ubi infernus locus tormentorum dicitur, sic omnino scribat: Bene dicit tormentorum locum: ibi enim omnia genera tormentorum sunt congregata, sicut aquae maris in alveo suo; quemadmodum enim mare aquarum omnium receptaculum est, quae per rivos, torrentes et flumina in ipsum exonerantur; ita infernus suppliciorum omnium diversorium est, quae illic a divina justitia in reproborum vindictam congregata sunt, juxta terrificam comminationem: Congregabo super eos mala. Deut. xxxi. 23. Vae igitur ad infernum damnato!

Inveniet isthic quidquid affligit animam, quidquid corpus excruciat. Torquebitur anima in singulis facultatibus suis: in memoria ex funestis recordationibus; in intellectu ex diris repraesentationibus; in voluntate ex passionum tumultu: agitabitur misera instar procellosi maris sine intermissione, tristitia, horrore, poenitentia odio, invidia, rabie, furore, et desperatione; vellet bonum, et vel unicam ejus stillam degustare non poterit: nollet malum, et sine mensura patietur: anhelabit mortem, et mori non poterit: abhorrebit vitam, et vivere debedit suppliciis.

Inveniet illic etiam quidquid inimicum est corpori, quod, a communi resurrectione animae redditum, divexabitur in singulis suorum sensuum: in visu, ex densis quae locum replent tenebris et daemoniorum conspectu; in auditu, ev damnatorum fremitu, stridore dentium et ejulatu; in odoratu, ex foetore; in gustu, ex amarore et siti; in tactu, ex angustiis carceris et ignis ardore; ignis, inquam, qui a capite ad imos pedes, intus et foris infelix corpus obvolvet usque ad venarum sinus, usque ad medullam ossium, usque ad animam ipsam. Atque hinc verum fiet in summam patientis miseriam, quod in Job scribitur: Omnis dolor irruet super eum, cap. xx. 22.

Dolor capitis, dolor oculorum, dolor dentium, dolor pectoris, dolor laterum, dolor renum, dolor viscerum, dolor stomachi et ventris, dolor manuum et pedum, dolor musculorum et nervorum, dolor nodorum et articulorum: verbo omnis dolor; ignis enim omnem corporis partem pervadet.

O inferne! vere tormentorum locus es, quia hic omnia sunt, et nullum deest ad damnati carnificinam. At si quis nostrum unico malo, unico dolore vexatus semper aestuat, nequit os ad risum fingere, nil invenit quod recreet, aversatur ludum, repellit cibum, se in omnem partem agit et contorque, non aliud quam quiritatur et gemit; lapsus per suam socordiam in infernum quid aget tot malis gravatus, tot doloribus oppressus?

Punctum II.

Considera atrocitatem tormentorum inferni: si haec et multa forent et levia, nihilominus valde forent timenda; multa enim mala levia in unum coacta grande malum conflant: at praeterquam quod multa sunt, etiam atrocia sunt, et ita quidem atrocia, ut singula inferno constituendo satis sint: quam ergo intolerabilem universa simul component? Eum certe non capit intellectus noster, licet damnati per divinam ultionem habituri sint vividum sensum, quo patiantur.

Quale supplicium ipsis erit in profundissima abysso et a coelo remotissima reductus carcer, undequaque vallatus terrarum mole ad plura milliarium millia expansa, horrendis tenebris obsitus, Dei hostibus insessus?

Quale tormentum contueri daemonia? Unum obiter visum S. Catharinae Senensi eam ita perterruit, ut, ne denuo videret, maluisset ad diem usque judicii per ignitam viam incedere: quis igitur terror erit et videre semper et plurima et damnatis infensissima?

Quale supplicium stridentes ululatus desperatae multitudinis auditu percipere, qui nec continuum canis latratum, nec infantis vagitum, patienter ferimus?

Quale tormentum odorari immensum foetorem in subterranea specu sine spiraculo, eructatum ab omnibus mundi purgamentis, illuc undique extremo die confluxuris, et a tanto sulphure et fumo ardentis illius fornacis, et a tot corporibus humanis ita putidis, ut unicum ad nos translatum, teste S. Bonaventura, toti mundo peste percellendo sufficeaet?

Quale tormentum sitis, non, ut hic solet, accensae vel ab aestu temporis, vel ab ardore febris; sed ab igne sulphureo stagni infernalis?

Quale tormentum ex angustia loci damnatos inter se compingi et acervatim calcari,

dempta illis mutandi spatii, aut tantulum se movendi, imo et spirandi potestate? Ah pondus intolerabile oppressi a tot myriadibus infortunatorum sodalium!

Quale tormentum ignis, et talis ignis, ut noster illi comparatus vix sit ignis simulacrum: jacere peccatores terribili igni immersos; ignem habere supra, infra, circum et intus: nec igne tantum involvi, sed penetrari, prunae similes aut ferro candenti?

Quale tormentum vermis conscientiae duplici dente, quam ira divina exacuit, jugiter rodentis ex cogitatione tam jacturae coeli, quam commeriti inferni? Si apud nos aegritudo animi subinde quempiam ad desperationem, imo mortem sibi consciscendam adigit, quid in inferno amarus dolor operabitur natus ex verme conscientiae?

O vere atrocissima inferni tormenta! O tormenta omnem cruciatum superantia, qui, non dicam, sensu perceptus sit aut percipi possit, sed qui unquam in mentem venerit aut venire potuerit ulli mortalium! qui ea non timet, dicas cum S. Augustino, exuisse humanitatem et hominem non esse: Qui non timuerunt, nec homines fuerunt. Serm. 36.

Punctum III.

Considera durationem tormentorum inferni: intolerabilia sunt ob multitudinem, intolerabilia ob atrocitatem, sed multo magis intolerabila propter durationem, de qua S. Cyprianus: Nec erit unde habere tormenta possint vel requiem aliquando vel finem.

Quid ergo duratione illa intelligitur? Intelliguntur omnino duo: continuitas et aeternitas; intelliguntur inferni supplicia continua fore et aeterna. Erunt continua sine minima intermissione vel levamine, sine ullo quietis intervallo vel solatii. Infelices damnati! malum eorum merum malum erit sine admistione boni: erit malum sine declinatione aut remissione, qualem febres nostrae experiuntur; sine ulla imminutione, qualis doloribus nostris accidit. Erit malum semper integrum, semper aequale: cum quanta patientium molestia, argui potest ex longissimis, quae videntur, horis, ubi malum, quod patimur, nec interquiescit, nec remittit. Praecipuum vero, quod in duratione tormentorum inferni attendendum, Aeternitas est, tormenta illa nunquam finem esse habitura post saecula et saecula; duratura in sua multitudine, atrocitate et continuatione in aeternum: ad magnam hanc cogitationem quis non inhorrescat?

O Aeternitas! vocula quatuor syllabarum, sed cujus significatio ab humana intelligentia comprehendi non potest. Ut eam qualitercumque figuremus, fingamus spatium,

quod octogies millies mille milliaribus a terra ad coelum usque stellatum extenditur, undequaque compleri minutissimis arenulis: at si, interea dum peccatores inferni igne torquentur, singulis saeculis unica auferatur; quot necesse erit elabi saecula, antequam vastum illud spatium penitus evacuetur? Tot praeterire debebunt, ut mens nostra confundatur, si eorum tentet rationem inire. Attamen, sublata tandem post innumera saecula postrema arenula, praeteriéritne forsan reproborum aeternitas? . . . Eritne saltem imminuta? . . . Tremo et obstupesco in fatendo; nec atomum quidem amiserit immensae suae durationis: erit integerrima, ut ante, talisque semper mansura est, ut ut mille et millies mille vicibus impleatur arenulis, iisdemque singulatim demptis exhauriatur, ut prima vice, tota, quam late patet, firmamenti capacitas.

O Aeternitas inferni, quam formidanda, quam tremenda est tu! quam terribilis, numquam finiendo! quam horribilis, semper durando! Aeternitas! Aeternitas! et quid sunt comparatione tui vitae nostrae anni, licet ad centenos excrescant? Tanquam nihilum sunt. Et possunt homines hoc nihilum tanti facere, tot super eo moliri consilia, tam operosas cogitationes suscipere? Se ab eo seducendos lare, cum periculo permutandi illud cum infausta tormentorum aeternitate?

Punctum IV.

Considera utilitatem in inferni meditatione positam: utilissima haec est etiam piis et optimae vitae Ecclesiasticis; vacabant huic prisci anachoretae, non sine ingenti animae suae emolumento: hanc proponebat S. Franciscus Assisias ordinis sui alumnis, ad illos in virtute confirmandos; eamdem frequentissime usurpabat S. Franciscus de Borgia, qui inde hauriebat spiritum patientiae et contemptus sui ipsius.

Tu ex ea meditatione vide septem summi ponderis fructus: primum, summi horroris ab omni culpa lethifera, in cujus supplicium infernus decretus est. Secundum, continuae erga Deum gratitudinis, quod per misericordiam suam magnam te in inferorum barathrum non projecerit. Tertium, timoris et sollicitudinis, cum, dum vivis, sis in periculo in infernum ruendi. Quartum, fervoris, ut totis viribus verae cordis humilitati te dedas, et corporis mortificationi, quasi recens ex inferno ereptus sis. Quintum, zeli animarum, ut porrigas eis salutarem manum, ne in illum praecipites eant. Sextum, amoris erga vocationem tuam ecclesiasticam, quae tibi spem magnam facit evadendi inferni. Septimum,

altius scopo collineandi, hoc est, tendendi magno animo ad perfectionem, ut saltem pertingas ad salutem.

Lectio Spiritualis.

Isaiae, cap. xxxiii. 14; Jerem., cap. ii.; Lucae, cap. xi.

Thomas a Kempis, lib. i. cap. 24.

Rodriguez, part 2, tract. 1, cap. 4 et 8.

Memoriale, cap 12.

MEDITATIO VIII.

DE PURGATORIO.

Quemadmodum suppliciorum inferni meditatio efficacissima est arcendo procul peccato mortali; ita quae poenas in Purgatorio luendas proponit, vim habet sane maximam ad avertendas veniales noxas et languorem spiritus seu segnitiem in Dei famulatu abigendam.

Punctum I.

Considera proclivem esse ad Purgatorium descensum; non omnes qui infernum, etiam istud effugiunt: imo, si fides Cardinali Bellarmino: Vix ulli justi homines, nisi ex magna misericordia Dei, paenam Purgatorii acerbissimam evadunt, ita ut recta ex corpore ad coelum evolent; ita ille. Et S. Theresia scripto testatur, se cum plurium bonarum animarum statum in altera vita rescivisset, tres solas novisse, quae Purgatorii expertes in coeli atria penetrassent. Vita, cap. 38.

Proclivitas illa ex duplici capite innotescit; altero a priori: quia ut compareamus ante Deum puritatis et candoris infiniti; ut triumphanti Ecclesiae divini Agni sponsae, non habenti maculam aut rugam, aggregemur, ingenti nitore opus est, quem quis facile speret in tanta naturae nostrae fragilitate et corruptione? Id ipsum ex altero capite sive a posteriori liquet: scitur enim, animas eximiae pietatis et meriti etiam diuturniori tempore Purgatorii tormentis alligatas fuisse: ac propterea viri ipsi sancti Purgatorium timuere, sibique ut a sua morte per suffragia subveniretur, sollicite procurarunt: ita S. Ephrem, S. Monica, S. Rex Ludovicus, S. Carolus Borromaeus, aliique. Laudatus Bellarminus, non minus ab omni virtutum, quam doctrinarum genere commendabilis, litteras sub extrema vitae suae tempora ad amicum datas, ita concludit: Si Re-

verentia vestra mihi bene velit, impetret mihi a Deo beatam mortem et breve Purgatorium; cumque jam mors immineret, aienti cuipiam, sperare se, fore ut recta ad coelum contenderet, reposuit: Ego vero hanc spem non habeo.

At quis ex dictis hactenus fructus colligendus? nempe ut quanta facilitate itur in Purgatorium tam operosa diligentia et attentione curetur, ut vel effugiatur penitus, vel certe non longo tempore subeatur: si videmur nobis atrox Purgatorium diuturnumque commeriti, strenue tandem evigilemus: praeteritas culpas lacrymis eluamus, futuras diligenter vitemus, ne veteri novam addant purgandi materiam.

Punctum II.

Considera Purgatorii tormenta omnes hujus vitae poenas triplici titulo superare.

Superant enim 1, Qualitate, quia multo acerbiora; unde S. Augustinus: Gravior erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita. Ps. xxxvii. At, si tolerabiles hujus mundi poenae adeo nos terrent; si etiam una ex levioribus, si febris, si dolor capitis, si angustia pectoris nos deprimit, contristat, gemitum exprimit, quantum credimus nos piacularibus flammis afficiendos?

2. Superant duratione; sunt enim diuturniora. Nemo, inquit Seneca, in hac vita potest multum dolere et diu; nam si dolor vehemens est, diuturnus non erit, brevi siquidem tempore patientem occidet: verum in Purgatorio multum pati non excludit diu: dolor, ut saevus sit, durat etiam quantum reatus patientis postulat. Quis non horrore percellitur, si tantummodo cogitet se viscerum torminibus diebus octo sine intermissione vexandum, vel continuo aestu febrium ad mensem ardere debere sine levamine? At quid haec sunt comparata Purgatorio ad annos producto?

3. Superant necessitate patiendi, exclusa omni quaesita mitigatione: qui in hac vita patitur, potest suopte ingenio saltem aliquantisper dolores suos moderari; non ita in Purgatorio, ubi qui tolerat nullum ex industria sua reperire potest poenarum suarum subsidium.

Faciamus, quempiam cruciaridebere quoad extensionem, seu durationem ad annum, quoad intensionem, ad quatuor gradus: studio suo ne unam quidem horam extensioni demere potest, neque intensioni tertium unius gradus partem: quantumvis gemat, oret, amet, divinae se voluntati submittat, non satisfacit: si aliunde non juvetur, opus est poenam omnino expleat, donec reddat novissimum quadrantem (Matt. v.

27); similis pauperi in extrema necessitate posito, cui moriendum sit, nisi ei stripe subveniatur.

Hisce veritatibus probe perspectis, renovemus concepta proposita expiandi, dum vivimus, peccata commissa, et cavendi diligenter nova: *neve quis fiat incurius aut lentior ex spe suffragiorum sibi post mortem applicandorum; quemadmodum se nemo in servitutem abduci sineret, fiducia redemptionis.* Aemulemur e contrario monachum quemdam Antiochum nomine, qui, teste Joanne Climaco exhibito sibi, sub figura centum librarum auri, contracto per peccata debito, toto animo ad hujus solutionem coepit incumbere, subinde se admonens: Antioche, memento debiti, nec desiit usque dum penitus extinctum vidit: acuamus et nos diligentiam nostram his ipsis voculis memento debiti, et ad delendum, sumamus animos ex puncto sequenti.

Punctum III.

Considera hujus vitae poenitentiam alterius poenis triplici ratione multum praecellere; primo siquidem illa mitior est: praestat enim procul dubio lacrymarum fonte purgari quam igne, ut S. Pacianus ait (in Bibl. PP.). Secundo, brevior, aut certo non ita continua est ut poena Purgatorii; praeterquam quod talibus insigniri possit circumstantiis, ut, licet perbrevis, magnae poenae absolvendae sufficiat. Tertio poenitentia fructuosior est: debitum enim solvit ut satisfactio, poena Purgatorii e contrario ut satispassio. Quid hoc rei est? Qui in hac vita satisfacit, aliquod habet incrementum meriti, qui in altera, nullum: ut mille annis patiatur, nullus ei gratiae gradus accedit, nullus gloriae accedet in coelo: utrum vero praestat? An hic pati parvum quid, parvo tempore et cum merito, ope poenitentiae; an illic pati, et multum, et multo tempore, et citra meritum, in expiantibus flammis?

Atque hoc quantum spectat ad delenda per poenitentiam peccata commissa: quantum vero ad non accumulanda nova; prehensa libra, damnum cum lucro conferamus: damnum, quod subimus, cum lucro quod acquirimus peccando venialiter; et exploremus quid cui praeponderet. Damnum est terrificus ignis in peccati poenam constitutus; lucrum est, vel parvi incommodi declinatio, vel exiguae voluptatis consecutio, ut supra Meditatione secunda secundi diei notatum est. Cum itaque ad peccatum veniale allicimur, sic nobis ipsi suggeramus: Ab hac molestia subeunda refugio; at, ni subeam, Purgatorii reus sum: trahor ut genio meo interdictae hujus rei usura indulgeam; at expianda veniet ultricibus flam-

mis: haec tandem molestia levis est, et brevi evanescet; at Purgatorium acerbum erit et diuturnum: defraudare genium parvo stabit; at subire in Purgatorio poenam sensus et damni, nimium quam durum erit.

Punctum IV.

Recolendae hic aliquot pietatis exercitationes, quae ad vitandum Purgatorium maximi momenti esse poterunt.

Prima, ex animo offensam remittere; scriptum siquidem est: Dimittite et dimittemini. Luc. vi. 37. Venia, quam mater vidua unici filii occisori concesserat, filium Purgatorio eripuit, cui ad multos annos erat addictus, et in conspectu matris evolavit in coelum. Osor. fer. 6, post Cin.

Secunda, Offerre vel pie interesse Sacrificiis: habent enim illa, ex opere operato vim maximam ad abolenda peccata, praeter illam quam habent ex opere operantis, omnibus virtutum exercitiis communem.

Tertia, lucrari sedulo indulgentias, suapte natura tendentes ad poenae debitum expungendum. In earum usu diligentissimus erat Cardinalis Bellarminus, conditiones omnes ad eas consequendum praescriptas summo studio adimplens.

Quarta, actus frequentes divini amoris et contritionis perfectae excitare, cum actus sint per se excellentissimi, et uti magni meriti ita et magnae satisfactionis: Remittuntur ei peccata multa, quoniam delexit multum. Luc. vii.

Quinta, magno ardore animarum saluti vacare: si enim, teste S. Gregorio Papa, nullum omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum, quis dubitet, quin exemplo, divini illius Sacrificii, multum habeat momenti ab obliteranda peccata, et poenis iis debitas expiendas?

Sexta, commiserationis affectum habere singularem erga animas in Purgatorio detentas, et crebra suffragia in earum levamen Deo offerre: quod quidem eleemosynae spiritalis genus est, non tantum perutile proximo, sed et nobis ipsis fructuosum, ob ingens, quod inde capimus meritum, et debitorum nostrorum decrementum; ut nihil decam de reddenda nobis vice, tum ab optimo Deo, tum ab earum animarum intercessione, quae se a nobis adjutas meminerint, juxta promissum: Date et gabitur vobis: eadem quippe mensuro qua mensi fueritis, remetietur vobis. Luc. v. 38.

Lectio Spiritualis.

Thomas a Kemp., lib. iii. cap. 12 et 35.

Rodriguez, part 3, tract. 2, cap. 4, et tract. 6, cap. 5 et 6.

Memoriale, cap. 28.

MEDITATIO IX.

DE CHRISTI SEQUELA SIVE IMITATIONE.

In via salutis et perfectionis opus est duce: ducatum praebiturus est Christus, de quo universim expendemus. Primo, eum nobis viae ducem datum esse. Secundo, in quo sequendus sit. Tertio, quae ad sequendum incitamenta. Quarto, quanta hinc bona! Haec Meditatio, licet proponendi modo diversa, reipsa tamen comprehendit duplicem Meditationem S. Ignatii, quarum altera de Regno Christi; altera de duobus Vexillis nuncupatur.

Punctum I.

Considera, Christum nobis in Ducem datum esse, quem sequamur, seu potius propositum esse exemplar, quod imitemur. Aeternus Pater, missis tot viris sanctis, qui verbo et exemplo virtutis viam commonstrarant, misit tandem Unigenitum suum, de quo in monte Thabor edixit: Hic est Filius meus dilectus, ipsum, audite. Matt. xvii. 5. Non ultra do Moysen, Eliam et istiusmodi alios, quos audiatis et sequamini, sed do vobis dilectum Filium meum.

Imaginemur regem, qui post alios exercitui suo praefectos imperatores, proponit tandem principem regni haeredem: quantopere credis afficiendos milites tum erga regem patrem, tum erga principem filium? Quantum, putas, teneri se credent nullis laboribus parcere, sanguinem cum vita exponere, ut ex amborum voto et honore imperatorium munus succedat.

Pari nos ratione tum erga aeternum Patrem, tum erga Christum Filium nos gerere debemus, eliciendo actus gratitudinis, benevolentiae et oblationis: cumque Pater mittat Filium, Filius vero coelitus descendat, ut nos ad salutem et perfectionem promoveat; huc totis viribus debemus incumbere, ut Pater et Filius et in nobis et a nobis consequantur finem, ad quem expeditio illa suscepta est: attendere debebimus ut operemur negotium salutis et perfectionis nostrae, non tam ex propriae utilitatis intuitu, quam ex desiderio honorandi divina consilia ad talem finem directa.

Punctum II.

Considera, in quo sequendus nobis, sive imitandus sit Christus; in eo videlicet ac praecipue, per quod dux noster constituitur adversus mun-

dana placita et invitamenta: propterea concipere debemus, aeternum Patrem, mittentem Filium ad arduum redemptionis nostrae opus conficiendum, dedisse ipsi per modum comitatus honorifici, tres individuos asseclas, qui eum a nativitate ad mortem usque comitarentur: paupertatem, dolorem atque contemptum; comitatui illi recta oppositos, quem mundus sectatoribus suis exhibet, opum, voluptatum et honorum.

De ternis illis Christi sociis intelligebat Balthazar Alvarez, insignis vitae spiritualis magister, verba illa Ps. lxxxvii. 16: Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea; exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus. Si igitur in primo puncto concepimus desiderium imitandi Christi, nosque ipsi assimilandi; praesertim in comitum nostrorum delectu affectanda similitudo est; cumque eam duplici ratione consectari possimus, tres illos socios vel sponte quaerendo et desiderando, vel acceptando cum ultro adventant; si ad primum non satis habemus animi, habeamus saltem ad secundum, et ut ad illud pertingamus, incipiamus ab hoc. Hinc cum se nobis aliquis paupertatis effectus offeret, sive obveniat sorte quod pejus est, sive deficiat quod necessarium est, dilatemus amplexus atque dicamus; Chara paupertas, una ex comitibus Christi! Si dolor nos afficiat, vel ex aegritudine corporis vel labore: Chare dolor, unus ex comitibus Christi! Si illata injuria, si convicium: Dilecte contemptus, unus ex comitibus Christi!

Qui quempiam ardenter amat, etiam eos amat, qui huic chari sunt: si Christum diligimus, comites ejus diligemus, cumque ad nos venerint, hilariter excipiemus. Habeant mundi sectatores divitias, voluptates et honores: nostra pars erit paupertas, dolor, atque despectus.

Punctum III.

Considera tres titulos, qui nos ad Christi sequelam sive imitationem exstimulant.

Primo, quod servi ejus sumus, utpote Christiani. Secundo, quod socii tanquam Sacerdotes. Tertio, quod commensales, siquidem sacram ejus mensam ministrantes.

Quantum ad primum, si Dominus viam salebrosam insistit, an par est, ut servus se ab ejus sequela subducat? Christus Dominus viam paupertatis, doloris et ignominiae calcat, aequumne est, ut nos servi eum sequi detrectemus? Quid dixit in Coenaculo, cum Apostolorum pedes lavisset? Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis; sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum

enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Joan. xiii. 12.

Quod ad secundum attinet, quoad hic verba Christi ad Apostolos: Jam non dicam vos servos, sed amicos. Joan. xv. Si vi professionis christianae servi Christi sumus, vi vocationis ecclesiasticae sumus amici et socii, qui titulus sane nobilissimus, ac nos proinde fortius ad Christi sequelam et imitationem obstringens. Offeramus nos ut ille (Lucae ix.): Sequar te quocumque ieris; si viam paupertatis ingrederis, sequar te; si dolo ris, sequar te; si ignominiae, sequar te. Etiam Thomas nobis praeluxit exemplo respondendi vocationi nostrae, cum caeteros Apostolos ad sequendum Christum et cum eo moriendum inbitaret: Dixit Thomas ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo. Joan. xi. 16.

Quod ad tertium spectat, magna sane munificentia nobis a Christo exhibita! Principes ducesque terreni servos et milites mensa sua dedignantur, aut certe si ad eam vocant, cibos potumque non nisi vulgares apponunt et obvios: at Dominus noster non modo frequenter et quotidie mensam apponit, sed grandi amoris excessu carnem suam in cibum, sanguinem in potum porrigit. Tanta charitas, tanta largitas nos sane obligant, ut in nobis proprium Eucharisticae mensae effectum procuremus, qui juxta Doctorem Angelicum est, hominem in Christum convertere, et huic per imitationem assimilare; verba sunt: Proprius effectus hujus Sacramenti est conversio hominis in Christum, ut dicat cum Apostolo: Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. 4. Cum ex usu sacrae Communionis toties repetito facti simus quasi viva tabernacula, pyxides Christi animatae, vivat Christus in nobis, vivat, inquam, in impressa nobis imagine sui per imitationem paupertatis ejus, doloris, atque contemptus.

Punctum IV.

Considera duo excellentia bona, quae ex Christi imitatione nascuntur.

Primum est: imitando Christum, nostrum erga eum amorem contestamur; quaero enim: quomodo amorem tuum alteri probas? Certe ejus genio obsecundando, approbando placita, obsequendo nutibus. Pari ratione te amantem Christi probabis, si ejus aemuleris exempla, ames et amplectaris quod ille amavit et amplexus est. Ait quispiam: O si scirem quomodo Christo placiturus sim, eique amorem meum testaturus, qui quidem in me tam munificus fuit, meque tot beneficiis praevenit; ad Ecclesiam suam traxit me, socium

sibi voluit, et saepe divina sua mensa refecit. En modum: fac te ipsi similem; ne recusa cum ipso pauper esse, affligi doloribus, exponi contemptui, et jure dicere poteris: Tu scis quia amo te. Joan. xxi. 16. Haec sunt signa, et luculenta amoris tui testimonia.

Alterum bonum; imitando Christum, amorem ejus tibi devincis. A natura ita comparatum est, ut pater amet filium, qui se facie et moribus refert; ut magister discipulum diligat, qui doctrinam suam diligenter discit, et ardenter propugnat; ut dux militem in oculis ferat, qui virtutes suas bellicas aemulatur: si itaque Christus te sibi similem viderit, ut magistro discipulum, ut duci militem, enimvero diliget te.

Ait quispiam: O si scirem, quomodo mihi Jesum demerear, et cor ejus ad me rapiam! Sis similis Jesu, et in ejus visceribus habitabis: videat te pauperem, afflictum, et despectum, et fies ut discipulus, quem diligebat Jesus. Joan. xxi. 20. Quis vero non magnopere gaudeat, reperta tam pretiosa notitia, invento modo, et quo Jesum amet et redametur a Jesu; modo, inquam, quo sit amator Jesu, ut dicere possit cum Petro: Tu scis quia amo te; et modo quo ametur a Jesu, adeo ut in ipso quoque verum sit: discipulus quem diligebat Jesus; ex tantorum bonorum desiderio, quid agendum sit, decernamus.

Lectio Spiritualis.

Isaiae, cap. vii. et ix; Luc. cap. i. et ii.; Matt., cap. xxvi.

Thom. a Kemp. lib. ii. cap. 7 et 8.

Memoriale, cap. 15.

MEDITATIO X.

CHRISTUS IN HORTO GETHSEMANI.

Ducem nostrum generatim spectavimus; restat particulatim inspiciendus: cumque in sacrae ejus passione majora resplendeant exempla virtutum, tria potissimum, ubi magna pertulit, loca lustrabimus: hortum Gethsemani, Pilati praetorium, montemque Calvariae. In horto Gethsemani expendemus primo Christi tristitiam. Secundo, orationem. Tertio, sudorem sanguinem. Quarto, comprehensionem.

Punctum I.

Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Luc. xxii. 39. Solebat Jesus se in montem Oli-

varum ad orandum recipere: consuetudinem bonam non intermittit, etsi conscius quid sibi isthic immineat. Nullus nos praetextus a laudabili consuetudine retrahat. Eamus et nos secundum consuetudinem ad orationem, examen conscientiae, ad pietatis et alia vocationis nostrae opera; non tamen ex consuetudine, quae duo magnopere discrepant.

Jesus hortum ingressus caepit contristari et maestus esse. Matt xxvi. 37. Quali putas moestitia? Utique mortifera, quemadmodum discipulis manifestavit: Tristis est anima mea usque ad mortem (ibid.), hoc est, interprete S. Augustino, tanta est tristitia animae meae ut parum absim a morte. Compatiamur et investigemus modum quo Christo dolenti, quantum in nobis est, solatium afferamus.

Praeter instantem passionem, et exiguum, qui ex ea in multis hominum secuturus erat, fructum, tanti in Christo moeroris causa fuere nostra peccata, circa quae tria notabimus. Primo de quo dolet Salvator? De peccatis, quae tamen sua non sunt. Quanta igitur debet nostra esse tristitia de peccatis, quae ipsi commisimus? Secundo, cur dolet? Quia Patrem suum offendunt: sit hoc etiam nostrum ad ea plangenda incitamentum. Tertio, quomodo dolet? Ita ut dolore pene exanimetur: talis sit luctus noster, ut si lacrymas nondum eliciat, ad poenitentiae opera efficaciter nos excitet.

Declarata tristitia sua, dicit Christus discipulis: Sustinete hic, et vigilate mecum. Ibid. Quos aliquando socios gaudii et consolationis habuerat, jam et moestitiae habere vult, docetque nos sibi adhaerere debere, et in suo durare obsequio, non modo quando solatur nos, verum etiam cum nobis aut ariditatem, aut taedia et molestias immittit. Ah nimium quam facile a primo fervore desciscimus, et ad teporem seu pigritiam declinamus!

Punctum II.

Oratio Salvatoris in horto plurimas adjunctas habet circumstantias, insignis ad utilitatem nostram exempli.

Primo: Et ipse avulsus est ab eis. Luc. xxii. 41. Licet oppressus moerore mortali, Christus se a discipulis suis avellit, ut orationi se dedat: ita et nobis in occurrentibus tot hujus vitae molestiis factitandum est; recurrendum scilicet ad orationem, et non ab hominibus, sed a Deo exquirenda solatia.

Secundo, positis genibus (Luc. xxii.) procidit in faciem suam. Matt. xxvi. 39. Quo corporis situ ostenditur, quanta reverentia Deus orandus sit. Ita S. Aloysio, qui semper flexis genibus; ita S. Francisco Borgiae usurpatum erat, qui saepe etiam submisso in terram vultu Deo supplicabat.

Tertio, orat plena voluntatis

suae in paternum beneplacitum resignatione, non obstante partis inferioris trepidatione: Si non potest hic calix transire a me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Matt. ibid. Exemplum hoc ad usum nostrum seponamus, cum nos adversa, morbi, atque adeo mors ipsa excipiet; tum siquidem suscipiendus erit calix, quasi nobis a Deo oblatus, atque animo ad ejus arbitrium nutumque converso dicendum: Si non potest transire, fiat voluntas tua. Discamus praeterea, quomodo exponere debeamus Superioribus nostris difficultates in praecepti executione occurrentes, animo videlicet in neutram partem propendente, et, quidquid illi statuerint, amplexuro: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ibid.

Quarto, orationem pluries interrumpit, ut discipulos intervisat, quasi adumbrans vitam mixtam sedulorum in vinea Domini operariorum: exigit ista hanc vicissitudinem, ut a Deo ad proximum, a proximo rursus ad Deum redeamus: ab oratione ad operam, ab opera ad orationem transeundum; ita recte ex vocationis ecclesasticae norma vivemus.

Quinto, cum discipulos dormientes offendisset, increpat: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Ibid. Vos, qui paulo ante tantam ad mihi commoriendum alacritatem profitebamini! Pudeat nos, quod subinde etiam minori quam unius horae spatio cum Christo persistamus, vel omittendo, vel frustatim et segniter religionis opera exercendo.

Sexto, praemonet discipulos: Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Ibid. Et re ipsa, quia nec orarunt, nec vigilarunt, ingruenti tentationi cesserunt. Timeat qui parum erga orationem afficitur: dies, quam sine hac auspicabitur, fere plena noxis aut defectibus transigetur. Si iners et somnolentus fuerit in hisce, quae jam decurrit, exercitiis, talis erit reliquo anni spatio; nec modo non progredietur, ut par erat, ex bono in melius, sed retrocedet ex malo in pejus, non sine gravi animae suae periculo.

Punctum III.

Extimescens Christus secundum partem inferiorem oblati calicis amaritudinem, secundum superiorem tantam sibi ad acceptandum vim intulit, ut manaret sudore sanguineo: Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Luc. xxii. 44. O magnam ducis nostri fortitudinem! Nos vero quam nobis ipsis vim facimus, ut naturae nostrae contumaciam frangamus repugnantis obedientiae, labori, sensuum mortificationi? Quidam usque ad sanguinem restitere; ita S. Franciscus Xaverius etiam dormiens: quid vigil fecisset? Vir illustris ex sacro Capuc-

cinorum Ordine tanta vi iram compressit, ut sibi vena creparet in pectore.

Dominus noster sudat sanguine, ita praeveniendo carnifices: scit, Patrem sanguinem poscere; non expectat, dum sibi flagellis, spinis, clavis exprimatur; sed sponte effundit. Scimus nos, rem aliquam gratam fore superiori, alia proximum indigere: discamus a Christo illius imperium, hujus petitionem praevertere: discamus insuper usitata quotidianarum observationum, vel functionum nostrarum signa praevenire.

Novit etiam Christus, genus humanum sanguine in pretium redemptionis egere et in remedium; utrumque anticipat O promptissimam charitatem ejus! Huic respondebimus obsequii nostri velocitate: pro me sanguine sudat, non sudabo ego sudore vulgari? Non reddam fatigationem pro agonia? Parum sane est defatigari pro amore ejus, qui pro nobis agoniam subiit. Orabo sudantem Jesum, ut terram cordis mei irriget, ut germinet in actus virtutum et sancta proposita.

Punctum IV.

Domino cum morte luctanti et perfuso sudore sanguineo apparuit . . . Angelus de coelo, confortans eum (Lucae, xxii.), qua coelesti visitatione recreatus erigit se, ad decurrendum Passionis suae stadium expeditus. Cur autem ad orationem confugerat! Ut mortis metum, quo pars inferior tenebatur, vinceret, ut se paternae dispositioni permitteret, ut voluntatis ejus decreta amplecteretur: atque ecce vicit timorem, obtulit se ad aeterni Patris voluntatem implendam, ab apparente Angelo roboratus est; hinc surgit et inimicis obviam procedit, quibus se Jesum Nazarenum declaret: Quem quaeritis ego sum (Joan. xviii. 5), si se comprehendi vincirique permittit: ita ex oratione intentum fructum colligit, et sine mora exequitur.

Nos vero cur haec aggressi sumus Exercitia spiritualia? Nempe ad retundenda cupiditatum nostrarum lenocinia, ad extirpanda vitia, ad corrigendas actiones nostras, ad instituendum novis animis iter salutis et perfectionis. Desideratum fructum hauserimus, si Exercitiis illis defungamur victores, emendati, accensi. Tales nos sane efficere debent meditatae hactenus veritates: accingamus nos itaque, ut Christum comitemur; ipse ad passionem suam, nos ad nostram: ille ad calicem suum exhauriendum, nos ad nostrum; hac ratione optimus erit Exercitiorum exitus.

Lectio Spiritualis.

Thomas a Kemp. lib. ii. cap. 11, et lib. iv. cap. 8. Memoriale, cap. 16.

MEDITATIO XI.

CHRISTUS IN DOMO PILATI.

Jesus in horto comprehensus ducitur ad Annam, Caipham, Pilatum et Herodem; hinc rursus ad Pilati praetorium, ubi in hac Meditatione subsistemus, ut Christum contemplemur: Primo, Barabbae postpositum; secundo, ad columnam flagellatum; tertio, spinis coronatum; quarto, Judaeis exhibitum et condemnatum.

Punctum I.

Considera quomodo Jesus cum Barabba componatur, dicente Pilato: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam an Jesum? Matt. xxvii. 17. Grandis injuria innocenti Jesu illata, dum hic scelerato Barabbae confertur; sed in immensum gravior est, Jesum prae Barabba causa cadere, Barabbam vincere, omnibus a Barabba stantibus, nullo a Jesu: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. Luc. xxii. 18.

Etiam hoc factum ad utilitatem tuam reservandum, cum accidet ut parvi fias, ut alter tibi praeferatur ratione loci, muneris, potioris receptionis, aut cujusvis dignationis; ut concurrente altero ad idem praestandum obsequium, gratior sit hujus opera quam tua, tunc in memoriam revocandum erit, Jesum Barabbae fuisse posthabitum.

Praeterea si ad cordis tui tribunal Christus et res aliqua temporalis in collatione veniat, cave ne prae hac illum abjudices, quod profecto fieret, si tibi potius quam ipsi satisfactum velles, si commodum, si honorem tuum ipsius desiderio anteferres. Videns S. Dorotheus discipulum suum Dositheum erga cultellum quempiam plusculum affici, ait: Vis esse gladioli servus, an Jesu Christi? Tu cui servire vis? Amori proprio, an Christi? Quieti tuae, an ejus nutui? Hominum plausui, an ejus gloriae? Cui? Luxui, an frugalitati clericali? His aut illis deliciis ecclesiastico statui et cruci Christi repugnantibus, an Christo?

Punctum II.

Considera quomodo Christus alligatus columnae, flagelletur. Immane dedecus publice nudari et damnari infami supplicio: sed hic attentionem ad Christi dolorem praecipue convertamus. Acerba fuit flagellatio, sive flagellantes, sive flagellatum, sive injusta flagella, sive flagellationis instrumenta spectemus: flagellantes, rabidi carnifices us-

que ad tricena (ut traditur) paria: instrumenta, virgae spinosae, nervi aut funes aculeati, catenae uncinatae: inusta flagella ad plura fortassis millia; flagellatus, tenerrimo corpore. Quod nomen tali flagellationi aptabimus? Caedis, carnificinae, lanienae?

Contemplemur Dominum non tam caesum et percussum quam excarnificatum, laceratum, cute et carne exutum, unde depluit sanguineus imber. Refert S. Augustinus (Serm. de Pass.) quemdam patientis Jesu miseratione motum (objurgatis tortoribus, Numquid interficitis non judicatum?) secuisse funes, quibus Christus columnae adstringebatur, unde hic in sanguinis lacum provolutus est. Si in horto vidimus madidum sudore sanguineo, jam columnae adstratum cernimus in proprio cruore natantem.

Excitemus in nobis affectus, quos exigit tam innocentia et charitas Jesu, quam malitia nostra, et ingrati animi crimen; affectus, inquam, commiserationis, compunctionis cordis et amoris. Discamus insuper spiritum mortificationis, et statuamus Apostoli consilium exequi: Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes. 2 Cor. iv. 10. Si sanguinem pro sanguine dare nequimus, demus saltem quod possumus; si ardua poenitentiae opera offerre non possumus, offeramus leviora.

Videamus praesertim an in nobis sint naevi aut maculae adversantes vitae ecclesiasticae et honestati Clericorum; an defectus intemperantiae, aut indecentiae in usu cibi, potus et somni, an segnitiae, an fugae laboris et incommodi, atque haec universa vitia, quasi in fascem colligata, feramus instar tributi ad pedes flagellati Jesu; imitemur S. Lucam Evangelistam, de quo ait Ecclesia: Crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit.

Efficax ad imitationem stimulus erit frequens usus Panis Eucharistici; cibi siquidem qualitates suas cum vescente communicant: non nisi vitio nostro fiet, si caro flagellati Jesu nobis non imprimat spiritum mortificationis, desiderium patiendi.

Punctum III.

Considera quomodo Christus coronetur spinis magno suo dolore, ingentique proboro et contumelia. Quantus dolor, terebrari caput septuaginta duabus spinis, quot numerat S. Vincentius Ferrerius! Si unica spina digitum figit, quam molesta est! Quid erit de Jesu ob tot acutissimas spinas perforantes caput, partem adeo dolori facilem et delicatam? Condoleamus; et ornemus nos christianae tolerantiae spinis, ut dignam Christo cohortem formemus. Non decet enim, ut Bernar-

dus admonet, sub capite spinoso membrum esse delicatum.

Quemadmodum in flagellatione Christi praecipue dolorem et cruciatum expendimus, ut disceremus spiritum mortificationis, ita in coronatione ponderandum imprimis erit grande ejus dedecus, ut humilitatis spiritum consequamur. O quale probrum Deo gloriae et Domino majestatis, quod prae horrore daemones ipsos tremefaciat! Injecta dorso purpurea lacinia, infixa vertici corona spinea, inditum manui arundinis frustum ei, qui vere est Rex regum, et Dominus dominantium! Neque his contenti sacrilegi milites, infligunt alapas, sputis inquinant, percutiunt arundine, et ad ludibrium regem salutant.

Igitur sicut in superiori puncto ad conspectum Jesu flagellati decrevimus semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferre, ita nunc ad spectaculum coronati Jesu, statuamus semper humiliationem ejus in corde nostro portare, hoc est imitationem Jesu tam prodigiose humiliati.

Et, si supra collegimus vitia mortificationi adversantia, ut tali tributo flagellatum Jesum allevaremus, colligamus hic defectus humilitati contrarios: dispiciamus an in nobis sit inanis gloriae cupiditas, an humanae laudis appetitus, an popularis aurae consectatio, an despectorum officiorum aversatio, an respectus humani, an pravus timor, an pertinacia judicii, an exparva nostri aestimatione doloris sensus, vel indignatio, etc., et horum omnium acervum deponamus tanquam vectigal, honororium, aut trophaeum ante pedes Jesu corona spinea redimiti.

Notemus: Derisores Christum pro nihilo putant, et tanquam regem jocularem habent; nos eum verum regem agnoscamus, et solum omni dignum honore et gloria: Soli Deo honor et gloria (1 Tim. i. 17); et in agnitionem supremi ejus dominii et nostrae erga eum servitutis afferamus ad pedes ejus quidquid in nobis est superbiae aut vanitatis, volentes ut illi soli sit omnis gloria, omnis honor; nobis autem confusio faciei (Dan. ix. 7), atque contemptus.

Punctum IV.

Considera, quomodo Christus a praeside Pilato semel atque iterum Judaeis exhibeatur. Ait hic prima vice: Ecce homo, quasi ad excitandum commiserationem dicere velit: Videte an vel species hominis in eo supersit, ita deformatus, ita humanus in eo vultus pene expunctus est.

Imaginemur aeternum Patrem, qui de Filio suo dixerat primo in Jordane, dein in monte Thabor: Hic est Filius meus; nunc de eodem ex Pilati praetorio his nos verbis affari: Ecce homo, ecce homo

Deus, quem vobis ducem dedi in via virtutis.

Miramini patientiam: in tot tormentis et contumeliis ne os quidem aperit. Quanta fortitudo! Tot ac tanta patitur indefessus et ad plura toleranda promptissimus. Quanta charitas! Prodigit sanguinem in ingratorum hominum salutem.

Ecce homo, o quam egregie tribus sociis suis stipatus paupertate, dolore atque contemptu! Vile panni frustum in dorso, quanta paupertas! A vertice ad pedes non nisi vulnus est, quantus dolor! Ludificatur ut rex scenicus, factus opprobrium hominum et abjectio plebis (Ps. xxi.), quantus contemptus!

Sedens Pilatus pro tribunali, et Judaeis Christum iterato demonstrans, inquit: Ecce Rex vester. Joan. xix. 14. Judaei Regem repudiant, et palam edicunt: Non habemus Regem, nisi Caesarem. Ibid. Nos eum unicum et legitimum Regem nostrum salutemus, profitentes verbis S. Bernardi: Non habemus Regem, nisi Dominum Jesum Christum (Hom. 3, super Missus est); et in hujus professionis testimonium, provoluti ad pedes ejus, ratum habeamus duplex tributum, quod ei supra obtulimus, mortificationis unum, humiliationis alterum, imitantes S. Joannem a Cruce, optare et orare solitum: Domine, pro te pati et contemni.

Instantibus Judaeis condemnationi Christi, cessit tandem Pilatus, et crucis eum supplicio damnavit: Tunc tradidit eis illum ut crucifigeretur. Joan. xix. 16. Iniqua fuit sententia, quia contra insontem et ut talem agnitum prolata; crudelis fuit, quia ab ipsis ejus hostibus exequenda: acerba fuit et ignominiosa, ratione ipsius supplicii; nihilominus a Christo accepta, non tam ut ab iniquo judice pronunciata, quam ut ab aeterno Patre sancte profecta, juxta quod superiore nocte dixerat: Calicem quem dedit mihi Pater (Joan. xviii. 11), et sine mora humeros cruci subjecit.

Discamus in coelum suspicere, cum nobis adversa accidunt; undecunque tandem accidant, Dominus est, qui nos crucibus illis onerat. Comitemur Jesum crucem portantem, et quasi vexillum erigentem, sub quo eum sequi debemus, affecti pariter dolore et probro.

Lectio Spiritualis.

Isaiae, cap. liii.; Matt. xxvii.; Luc. xxiii.; Joan. xviii. et xix.

Thomas a Kemp, lib. ii. cap. 12.

MEDITATIO XII.

JESUS IN MONTE CALVARIAE.

In monte Calvariae, ultimo divinae Passionis termino, consideranda sunt: Primo, crucifixio Jesu; secundo, trium horarum agonia; tertio, septem verba; quarto, mors.

Punctum I.

Jesus Christus cruci affigitur. Cum ad montem Calvariae pervenisset, spoliatur vestibus; cogita quanto dolore atque dedecore. Strata humi cruce, imperant, ut huic se aptet. Paret ac manus pedesque porrigit, in voce carnificum paternam cognoscens, nobisque documentum praebens, quomodo in obediendi occasionibus gerere nos oporteat.

Attende crucifixioni: manus, ut ferunt, viginti octo, pedes triginta sex mallei ictibus configuntur. O quae Domini tui laceratio! Animadverte in hac et rivos sanguinis, et attractos nervos, et ossa luxata, et vividum in toto corpore cruciatuum sensum: lege in vultu Jesu immensum dolorem quem patitur, in sudore frontis, in caligatione oculorum, livescentibus labiis, in asperso genis pallore mortali.

Compatere Jesu, compatere Mariae, cujus tenerrimum cor singulos clavorum pulsus velut echo repercutit. Redde tu hisce totidem percussiones pectoris, imo potius cordis. . . . Adora et osculare plagas singulas amore tui apertas. Vide porro ac mirare Crucifixi patientiam, et de tam crebris impatientiae tuae motibus erubesce. . . .

Notanda hic verba Apostoli: Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Gal. ii. 20. Redemptor noster sacrificium offert. Crux ara est, victima simul et Sacerdos Christus ipse, qui cum cruci affigereter, se aeterno Patri in salutem tuam offerebat: ut digne tali sacrificio responderes, opus esset martyrio. Haec solo retributio digna, pro sanguine retribuere sanguinem, dixit S. Hieronymus in Ps. cxv. Fecit autem S. Virgo Pomposa, quae, concepto, ex meditata passione Domini, ardenti desiderio pro sanguine sanguinem rependendi: vitam pro vita, se Cordubae Christianorum persecutori stitit, cujus manu optati martyrii palmam obtinuit. 19 Septembris.

Ait quispiam: Cur et ego persecutionis tempore natus non sum! Cur et mihi non licuit venire in partem vel securis vel restis! Bono sis

animo, et age Deo gratias de beneficio vocationis, quae tibi potestatem facit supplendi cruentum incruento martyrio. Sacrum vitae genus, quod elegisti, tibi pro cruce est; obligationes statui tuo annexae quasi totidem clavi sunt, quibus confixus es. Ratam habe ecclesiasticae vitae susceptionem, et alacriter te submitte oneribus vocationi tuae propriis: adige denuo clavos illos amplis et intensis actibus voluntatis ad onera illa subeunda promptissimae; eritque hostiam pro hostia, crucifixionem pro crucifixione reponere; utque sacrificium tuum acceptius sit et ad reddendam vicem efficacius, fac ut in Meditatione praecedente: collige defectus, si quos habes, ecclesiasticae disciplinae contrarios, eosque, velut pietatis tuae tributum, affer ad pedes Domini crucifixi.

Punctum II.

Christus in cruce cum morte luctatur. Crucifixione peracta, ad populi conspectum erigitur, spectaculum lacrymabile!

Quid agunt inimici ejus? Doloribus Crucifixi illudunt: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Ps. lxviii. 27. Quid piae mulieres? Miserentur et plorant. Quid coelum? Involuit se tenebris; mox terra contremit: velum templi laceratur, petrae scinduntur. Quid vero nos aggredimur ad reparandum quoquomodo inimicorum barbarum temeritatem, ad pietatem bonarum mulierum aemulandam, ut ne in luctu vincamur a creaturis sensus expertibus?

Christus in eo lethali lucta ad tres horas vitam in cruce producit. O quomodo terni ejus comites, paupertas, dolor et contemptus, hic apicem attigerunt! Paupertas summa est; neque enim solum nudus est, sed et facultas adempta de vestibus suis statuendi, utpote a militibus usurpatis; dolor summus est, vere siquidem dicere potest cum Jerem. Thren. i. 12. Attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. Pendet nimirum e ferali trabe, simul sentiens cruciatus flagellorum, spinarum atque clavorum, nec ullam partem sanam habens in sacratissimo corpore: sed et contemptus major esse non potest; moritur siquidem probrosa morte, in ignominioso patibulo, sannis et blasphemiis appetitus, ac tandem ad vituperii cumulum duos inter latrones collocatus. Medium autem Jesum Joan. xix. 19.

Notemus: Christus, licet dolore obruatur, licet per ludibrium provocetur: Si filius Dei es, descende de cruce (Matt. xxvii. 40), nihilominus perstat in cruce usque ad mortem. Ita et nobis factitandum est; permanendum

scilicet adversus quamcumque molestiam, non modo in nostri status cruce usque ad mortem, sed et in aliis crucibus legum vel consuetudinum nobis servandarum, laborum ex obedientia vel charitate susceptorum, usque ad absolutam partium nostrarum executionem.

Punctum III.

Jesus Christus e cruce loquitur. Septem ejus verba trifariam partiri possumus. Pars prima, tria priora continens, ad utilitatem proximi ordinatur.

Primum verbum: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Luc. xxiii. 4. Orat Jesus pro crucifigentibus se: exemplum sane non sine magno lucro nostro imitandum, excusando, ignoscendo, bonum pro malo reddendo, juxta istud: Dimittite, et dimittemini. Luc. vi. 37.

Secundum verbum: Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. xxiii. 43. Bono latroni Paradisi gloriam pollicetur: Tu qui nunc mecum in cruce es et me palam confiteris Dominum gloriae; tu qui honorem meum vindicas, et objurgas impium et blasphemantem socium; tu qui aequo animo mortem admittis ut criminibus tuis debitam: tu, inquam, hodie mecum eris in Paradiso. Etiam mors nostra pretiosa erit in conspectu De, si ex ea sacrificium fecerimus poenitentiae, resignationnis, et amoris; si nos in cruce nostra invenerit fidos imitatores Jesu crucifixi.

Tertium verbum: Ecce filius tuus: ecce mater tua. Joan. xix. 26. Discipulum assignat Mariae in filium, discipulo Mariam in matrem. Haec et nobis omnibus mater data est: despiciamus an nos erga eam geramus ut filios, quae res adeo magni ad salutem nostram momenti est, ut sine illa periclitemur: unde juvenis quidam B. Virgini mire addictus aiebat: Ego non sum securus, nisi habeam verum et filialem affectum erga B. Virginem.

Secunda pars complectitur duo verba sequentia, quartum et quintum, quibus Christus duplicem, quem sentiebat, occultum cruciatum manifestat; ariditatem internam et externam; derelictionem in animo, sitim in corpore.

Quartum verbum: Deus meus, ut quid dereliquisti me. Matt. xxvii. 46. In tot ac tantis cruciatibus corporis, eo spiritus solamine destituitur, quod sui olim martyres experturi erant. Si accidat, ut sine cujusquam commiseratione patiamur, ut in necessitatibus nostris deseramur, meminerimus derelicti Jesu.

Quintum verbum: Sitio. Joan. xix. 28. Praeter sitim corporis, quae profecto maxima fuit in moribundo Domino, ob tam copioso sanguinis effu-

sionem, nec inutiliter ad memoriam revocanda in aestu vel febris vel temporis; fuit et altera in ipso sitis, hoc est, ardentissimum desiderium humanae salutis. Si quam proxime sequi Christum decrevimus, haec itiam nostra sitis esse debet; ut de nobis singulis verum fiat, quod de Seraphico suo Patriarcha scribit S. Bonaventura. Sitiebat cum Christo multitudinem salvandorum. Figuremus animo, Dominum hoc spiritualium Exercitiorum tempore ad nos dicere: sitio, fili, sitio emendationem tuam, sitio tuum in virtute progressum. Nos ut hanc ejus sitim restinguamus, paremus ei jucundum poculum, et lacrymarum quibus superioris vitae errata deflevimus; et bonorum propositorum, quae ad impigram vitae nostrae emendationem concepimus.

Tertia pars duo ultima verba comprehendit, iis proprie congruentia, quibus pretiosa mors obtingit.

Sextum verbum: Consummatum est. Joan xix. 30. Opus quod mihi erat impositum, executus sum: feci et passus fui quidquid erat injunctum, ut Patri meo obedirem. Felix, cui in morte licebit fidenter dicere, se cursum consummasse, negotiatum esse talentis suis, et omnia vocationis suae munia implevisse!

Septimum verbum: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. xxiii. 46. Id ipsum pari fiducia dicere poterit, qui Deum ut Patrem habuerit, honorem ei, obsequium et amorem, quem Parenti optimo filii debent, exhibens. Beata sors animae ad manus illas revertentis, unde exivit, quae quem habuit existendi principium, eumdem habitura est aeternae quietis terminum!

Punctum IV.

Jesus Christus expirat in cruce. En quo se charitas divina porrexit, ut Christus moreretur pro nobis. Quonian . . . Christus pro nobis mortuus est (Rom. v. 8). Quid pro nimio illo amore reddemus?

Moritur Christus caput inclinans: inclinato capite tradidit spiritum (Joan. xix. 30), idque in obedientiae suae significationem: factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Phil. ii. 8. At si Christus obtemperat usquae ad vitae jecturam, usque ad mortem in cruce, recusabo ego numeris mei legibus parere usque ad quietis et commodi mei dispendium? usque ad laborem et fatigationem? Siccine vero dignus Jesu socius efficerer? . . . Inclinato capite: reponamus exemplum istud in eventum mortis, ut nos pariter eam submisso ad Dei nutum capite acceptemus, ut Dei obediamus, qui mortis in nos decretum tulit.

Mortuo Jesu, exclamavit Centurio: Vere Filius Dei erat iste. Matt. xxvii. 54. Confiteamur nos, eum esse omnium virtutum exemplar, quod aeternus Pater nobis imitandum proposuit: Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Exod. xxv. 40. Omnino enim ad primum oculorum in crucem conjectum offerunt se exempla et paupertatis in nudo corpore, et obedientiae in demisso capite, et orationis in lacrymosis oculis, et patientiae in ore tacente, et humilitatis in infami crucis patibulo, et mortificationis in totius corporis suggillatione plagisque, et charitatis in expansis brachiis, denique perseverantiae in aperto latere. Hinc assuescamus habere semper penes nos Crucifixi imaginem, cumque hanc solam in pectore gesturi simus moribundi et mortui, portemus nunc eamdem in corde, amantes imitantesque prototypum, quod repraesentat.

Lectio Spiritualis.

Thomas a Kemp. lib. iii. cap. 18 and 56.
Memoriale, cap. 37.

MEDITATIO XIII.

JESUS CHRISTUS GLORIOSUS.

In hac et sequenti Meditatione proponuntur incitamenta Spei, ob quae ducem Christum ad finis nostri adeptionem sequamur. Quatuor in Christo glorioso pensanda sunt: Primo, resurrectio; secundo, commoratio in terris; tertio, ascensus ad coelum; quarto, regnum.

Punctum I.

Christus resurgit. . . . Quem nuper vidimus mortifero moerore oppressum et madidum sudore sanguineo in horto Gethsemani; flagellis discerptum et spinis terebratum in Pilati praetorio; crucifixum et mortuum in monte Calvariae, en magna gloria redivivum. In anima nulla ultra tristitia, nullus livor in corpore: laeta jam omnia, speciosa omnia; qui erat mortuus, jam vivit; qui cinctus erat irrisoribus, jam Sanctorum corona circumdatur! O quam magnifice aeternus Pater ei comitatum mutavit, substituens paupertati coelestes opes, doloribus purissima gaudia, contemptui et vituperio laudem et adorationem. Gratulemur redivivo Christo, et nobis addamus animos: quia si pa-

tientem imitati fuerimus, postea glorioso assimilabimur.

Adverte: quando Christus passionem suam praenuntiabat, mox etiam reditum ad vitam praedicebat: Tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. Matt. xx. 18. Haec erat figura seu symbolum vicissitudinis, quam olim sectatores Christi experirentur. Talis ecclesiasticus erit vir orationi deditus et afflictationi corporis, disciplinae et officiorum omnium servantissimus, strenuus in vinea Dei operarius, et animarum lucro intentus; haec prima pars: hinc vitam pretioso fine concludet, et ad meritorum praemium evolabit; haec altera pars.

Cujuspiam Sancti vitam legenti occurrit primo caput de spontanea castigatione corporis, dein alterum de refraenatione affectuum, rursus aliud de conjunctione cum Deo, de charitatis operibus, atque ita porro: denique offert se caput de sancta morte et de Sancti gloria miraculis manifestata. Sic est. Christus a passione et morte resurgit ad vitam et gaudia, et qui inhaerent Christi vestigiis, post labores et aerumnas donantur mercede et gloria, ut notat Ecclesia in S. Francisco Assisinate: Franciscus pauper et humilis, coelum dives ingreditur, hymnis coelestibus honoratur. Animose crucem feramus cum Christo, et speremus bene, nam si sustinebimus et conregnabimus. 2 Tim. ii. 12.

Punctum II.

Redivivus Christus conversatur in terris quadraginta diebus, usque dum in coelos ascendat. Apposite hic Doctor Angelicus: Per quadraginta dies, tempus praesentis saeculi, quo Christus in Ecclesia conversatur, potest intelligi (3 p. q. 57 art. 1). Brevi illo paucorum dierum spatio versabatur in terris conspicuus, quamquam nec semper nec omnibus: jam ecclesiam habitat invisibilis, in divino Altaris Sacramento reconditus, juxta illud: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. Matt. xxviii. 20.

Quid vero priori illo tempore spectabat Christus Apostolos suos intervisens? Spectabat duo; eos videlicet et sibi efficere bonos, et aliis; studebat illis rerum mundanarum fastidium et amorem coelestium inspirare; ad Magistri imitationem stimulare discipulos: cumque destinarentur ad circumferendam per universum orbem Evangelii lucem, cupiebat in ipsis accendere ardens divini honoris et salutis animarum studium: hinc eos velut novitios erudiebat, et ad ministerium Apostolicum informabat per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Act. i. 3.

At quid jam intendit Christus toties in pane Eucharistico

nos invisens? Nos, inquam, vi status nostri vocatos ad imitandum Apostolos, primos Jesu sectatores? Intendit duo ista quae superius dicta sunt, bonos nos efficere et nobis ipsis et proximis: intendit scilicet nobiscum Spiritum suum communicare, formam vitae suae animis nostris imprimere, inflammare ad exemplorum suorum imitationem, facere homines novos et coelestes; insuper propugnatores gloriae suae, nostrae atque alienae salutis percupidos, id quod status nostri summa atque compendium est.

Jam quisque se consulat: an ego ex tam frequenti Angelici cibi usu redeo cum desiderio sequendi Christum? . . . procurandi meam et proximorum salutem? Qui sibi illud deesse sentit, sciscitetur ex se causam, quam procul dubio non aliam esse deprehendet, quam praeparationis defectum in accessu ad Christum, affectus in acceptatione, attentionis in agendo cum Christo intra se recepto: et ante omnia defectum cognitionis et considerationis: Tanto tempore vobiscum sum; et non cognovistis me? Joan. xiv. 9. Atque hoc sane mirabile: si enim se Christus oculis tuis oblaturus esset spectabilem, ut quondam se offerebat Apostolis, totus esses in exspectatione tanti hospitis: visitatus rapi te sineres amabilitate ejus: praeberes tui et rerum tuarum oblata amplissima: quid non faceres? Nonne vero is ipse est, qui ad te venit, licet sub sacrarum specierum velo reconditus?

Punctum III.

Christus ascendit in coelum, sed prius reprehendit Apostolos de cordis in credendo duritie, post tot eis exhibita Resurrectionis suae testimonia. Sic enimvero reprehendi mereretur, qui post tot veritates in hoc Exercitiorum otio bene cognitas, nondum in animum suum induceret: saluti suae et perfectioni sibi gnaviter studendum esse.

Cum se Christus ex monte Olivarum in sublime efferret, reliquit impressa monti sacra vestigia, quasi diceret: Si eo quo ego tendo, vultis pertingere, vestigiis meis insistite.

Ascendit: comitemur nobilissimum triumphum festiva acclamatione: Rex in aeternum vive (Dan. vi. 6)! supplicemus ei, ut in nobis confirmet bona vota seu benedictionem impertitam Apostolis, ut ex regni sui solio nostri meminerit: Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Luc. xxiii. 42.

Ascendit: en quod Christi imitatoribus accidit; dimissa terra ad coelum conscendere, Plures Sancti mox a morte visi sunt eo transire, ut S. Paulus primus Eremita, S. Benedictus Abbas, S. Petrus de Alcantara, S. Ignatius Societatis Jesu Institutor, atque alii non pauci. O be-

atam sortem in ictu oculi terram commutare cum coelo! Estque omnino privilegium hujus temporis, quod lege gratiae continetur, posse statim a morte evadere ad coelestem patriam, nobis omnibus a Redemptore reseratam.

Quis autem ex tam praeclarae sortis desiderio, non accendatur ad premenda magno fervore Christi vestigia? Ascendit: nondum quidem sequi licet; at volumusne nos itineri illi accingere, ut, cum vocaverit, expedite sequamur? Faciamus quod de homine justo scribitur: Ascensiones in corde suo disposuit. Ps. lxxxiii. 6. Ascendamus interim sincera intentione placendi Deo in operationibus nostris, studio progrediendi de virtute in virtutem, de una perfectione in aliam, amando et consectando, quae sursum sunt, non quae super terram; sic fiet, ut qui Redemptorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Oratio Ecclesiae in Festo Ascensionis.

Punctum IV.

Jesus Christus regnat in coelis. Sedet a dextris Dei, qui usque ad defatigationem cucurrit; a dextris Dei, qui medius inter latrones pependit; in solio gloriae adoratur ab Angelis, qui paulo ante in patibulo carnificum conviciis proscindebatur. En quam in Christo verum sit: Qui se humiliaverit, exaltabitur. Matt. xxiii. 12. Christus dictus ab Isaia. Cap. liii. 3. Novissimus virorum, ob immensa, quae toleravit opprobria, in coelo primus est.

Reputemus hic sedulo verba Christi (Matt. xix. 30), perquam efficacia ad nos in animi demissione et reverentia erga quemlibet continendos: Multi erunt primi novissimi: et novissimi primi: Multi qui in terra erant primi, erunt in coelo ultimi; et qui hic ultimi, illic primi. O quot illic tirones eminebunt super veteranos, idiotae et illitterati supera professores et academicis honoribus insignitos, infimi de Clero supra Canonicos et Graduatos; et generatim quot pauperes antecellent divitibus, plebei nobilibus, subditi regibus, aut principibus, nullius gradus aut nominis sacerdotes Antistitibus et Pontificibus?

Cujus regni non erit finis: Passio finem habuit, regnum habiturum est nunquam. Agnoscamus in Christo regnante futuram nostram beatitudinem: finietur labor et molestia; quies nunquam: finietur aliquando humiliatio, finem nunquam accipiet exaltatio. Brevi tempore patiemur, aeternum gaudebimus.

Lectio Spiritualis.

Matt. xxviii.; Luc. xxiv.; Joan. xx.

Thomas a Kemp. lib. iii. cap. 16 et 47.

MEDITATIO XIV.

DE PARADISO.

Haec Meditatio innititur verbis sancti Augustini: Ibi erit quidquid voles, et non erit quidquid noles. Solil. 32. Paradisus videlicet locus puri boni, omnis boni, aeterni boni.

Punctum I.

Considera, Paradisum esse locum puri boni, sive nullius mali. Quemadmodum inferorum poenis addictus, discedit cum maledictione, discedite maledicti, quia abit in locum puri mali, seu nullius boni; ita in coeli gloriam vocatus, accedit cum benedictione, venite benedicti, quia in locum recipitur puri boni, seu nullius mali.

Si in terra locus existeret, ubi dies semper forent sereni, tranquilli, aequabiles, sine nebulis, sine nebulis, sine ventis: ubi tempestates anni semper decurrerent verna amoenitate temperatae, sine immoderato calore vel frigore; in quem nunquam penetrarent bella, annonae caritas, aegritudo animi vel corporis, ubi incolae non haberent quod metuerent vel caverent, ubi nunquam senescerent aut morerentur, quivis eo transferre cuperet domicilium. Atqui hic locus, qui nusquam in terra est, tamen terra superior est, diciturque Paradisus, locus puri boni, nullius mali.

Legitur Deus in Apocalypsi abstersurus omnem lacrymam ab oculis electorum suorum, ubi eos in coelum accipiet; et jure, quia illic nihil erit luctuosum; non mors, non morbus, non molestia, non pauperies, non incommodum, denique nullum malum. Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. Cap. xxi. 4.

Sinceritas bonorum coelestium a S. Augustino ita describitur: Sanitas sine languore, gaudium sine maerore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Man. c. 7.

O amabile coelum! Locus puri boni sine admistione mali! Hinc solabimur hujus vitae mala, et incommoda quae secum affert virtutis exercitium, memores, horum omnium nullum futurum in coelo. Imitemur viatorem:

hic offendens imparata hospitia, vias lutosas, montes arduos, torrentes tumidos, patienter fert, et ad solatium reputat, se patria et domo receptum, fore extra omne incommodum.

Punctum II.

Considera, Paradisum esse locum omnis boni: non tantum excludit omne malum, sed includit omne bonum; est enim status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hic vere mortales non gaudent omni bono, etiam de his bonis loquendo, quae in hac vita haberi possunt: qui dives est, nobilis non est; qui nobilis, non est potens; qui potens, sanus non est; qui sanus est, doctrina caret, &c. At vero in coelo bona omnia sunt, et bonis omnibus beatus quisque potietur.

Cuncta bona coelestia revocari possunt ad quinque praecipua capita, silicet: (1) ad ipsam coeli empyrei habitationem; (2) ad societatem Beatorum; (3) ad perspicuam rerum omnium creatarum cognitionem; (4) ad gloriam corporis; (5) ad gloriam animae.

Nota.—Sicut in hoc mundo magni fit: (1) habitatio commoda, ampla, ornata, salubris, amoena, rebus omnibus affluens; (2) degere in urbe populosa, agere cum hominibus ad mores optimos institutis, convivere necessitudine conjunctis et amicis ad ingenium factis; (3) scientia eorum praesertim quae digniora scitu vel magis recondita sunt; (4) corpus sanum et elegans; (5) animus praeditus memoria, ingenio et aptitudine ad omnia: ita agendo de his, quae hic hominem naturaliter beant, sunt in coelo quinque illa bonorum genera paulo supra recensita, quae hominem beatum constituent.

Hinc bonorum hujus mundi penuriam leviter feremus. Et (1) si quando, ut non raro fit, obtingat habitatio inamoena vel incommoda; (2) si agendum cum hominibus morosis aut tetricis, si cum incultis, agrestibus, vel ingratis; si impendenda ministeria pauperibus, infirmis, aut carcere inclusis; (3) si ob occurrens impedimentum fieri nequit satis legendi vel sciendi aviditati; (4 et 5) si male a corpore vel animo valeamus, si alterutri vel utrique non bene a natura comparatum sit: alacriter omnia patiamur, memores, defectus omnes in coelo, ubi omne bonum est, affatim suppletum iri.

Punctum III.

Considera, Paradisum locum esse summi boni.

Si quis in hac vita bonis omnibus abundaret, quibus hic potiri licet, si dives, nobilis, potens, sanus, doctus &c. foret, necdum felicitas ejus summum bonum dicenda esset, quia videlicet necessario conflaretur ex bonis caducis et imperfectis; talia enim hujus vitae propria sunt: at in coelo non ita, ubi quodlibet bonum, summum bonum est; omne siquidem et

grande et eminens et in sua specie absolutum est. Oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum. 1 Cor. ii. 9.

Habitatio omnem habitationem superat. Et quae tandem proportio palatiorum, porticuum et villararum nostrarum ad coelum empyreum?

Societas omnem societatem vincit: componitus siquidem ex beatis civibus majestate, dignitate, vultu decoro conspicuis, ad humanitatem excultissimis, comibus, affabilibus, arctissimo amicitiae vinculo conjunctis.

Scientia excedit omnem scientiam, utpote ampla, clara, falli nescia; non ut nostra, limitata, confusa, errori obnoxia.

Gloria sive corporis sive animae mundanam immane quantum supergreditur? quam magna corporis gloria, praeditum esse patiendi impotentia claritate, agilitate, subtilitate? Quam magna animae, Deum non per nebulam aut caliginem, sed facie ad faciem intueri, intuendo amare, amando frui gaudio inexplicabili?

Hinc fluxa hujus vitae bona discemus contemnere, et S. Ignatii sensa mutuabimur: Heu, quam sordet tellus, cum coelum aspicio! Si haec terrra, attenta mole, instar puncti est respectu coeli aspectabilis, quid erit, si ex pretio aestimetur et cum coelo oculis nostris impervio conferatur?

Verum unde accidit, ut quis tanti faciat et tanta sollicitudine conquirat bona praesentia? Quia nimirum non ea valet oculorum acie qua S. Ignatius, quia se ad coeli contemplationem non subvehit. Imitemur (in re excellentiori) invitatos convivas, qui se tantisper cibo fraudant, ut dein meliori et delicatiori indulgeant: imponamus nobis a bonis terrenis abstinentiam, allecti saturitate, quam a coelestibus expectamus: Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ps. xviii. 15.

Punctum IV.

Considera, Paradisum esse locum æterni boni. Ex hac aeternitate perficitur, imo fit Paradisus, quod ut intelligas, sic argue: Si cui ad decies centena annorum millia coeli beatitudo decreta foret; ut hoc tempus sane longum sit, is tamen non careret inquietudine animi, secum reputans, exacto hoc annorum spatio, finem fore suae felicitatis: igitur ex aeternitate beatitudo completur; nam et Beatus gaudebit, et summa tranquillitate ac quiete gaudebit, quia se semper gavisurum certus est.

Atque hinc magnum habet solatium moriendi necessitas: veniet siquidem aliquando dies, cum anima et corpus in-

dissolubili nexu jungentur, quando mors ultra non erit, sed semper vita, vita constans, interminata, perpetua; ex qua cogitatione sumemus animos, ad omnem, quae in divino famulatu occurritt, molestiam superandam, ruminando saepius verba, quibus S. Franciscus fratres suos ad patientiam hortabatur, modica passio, gloria infinita: breve tolerandi tempus, perenne gaudendi.

Ex meditatis hactenus Paradisi dotibus collige, nos non modo infelices fore, si eum penitus amitteremus, ut qui ad inferna mittuntur; verum etiam si ad tempus perderemus, ut qui igni purgantur, vel si ea majori gloriae portione excideremus, quae diligentiori virtutis studio acquiri potuisset; quam jacturam faciunt segnes et tepidi, qui majora aggregare merita neglexerunt.

Quantum vero ad damnum amplioris, quae obtineri poterat, gloriae, non est leve, tota siquidem aeternitate mansurum; nisi forte leve sit, posse quempiam, dum vivit, gaudere mille scutis annuis, et cogi vitam tolerare centenis; posse, inquam, semper frui gloria mille graduum, et per inertiam suam ad aeternam conditionem redigi centenorum.

Utamur fida trutina, et ad eam pensemus hinc damnum, inde lucrum; damnum in coelo, lucrum ex negligentia. Quid cui praestat? Statuamus totis viribus conniti, non tantum ut coelesti patria potiamur, sed ut cito et largo gloriae censu ditati potiamur.

Lectio Spiritualis.

Thom. a Kemp. lib. iii. cap. 48 et 49.

Rodriguez, part 2, tract 1, cap. 20 et 21.

Memoriale, cap. 14.

MEDITATIO XV.

DE DIVINIS BENEFICIIS.

Ut finis nostri adeptioni intenderemus, quaedam ex superioribus Meditationibus nobis stimulos addidere timoris, aliae imitationis, aliae etiam spei; haec, quam habemus prae manibus, ad finem prosequendum nos amore, seu grata divinorum beneficiorum recordatione alliciet. Expendemus scilicet quis erga nos Deus sit tanquam auctor naturae, gratiae, gloriae, et unionis hypostaticae, ut statuamus ei vicem reddere exemplo Sponsae canentis:

Dilectus meus mihi, et ego illi. Cant. ii. 16.

Punctum I.

Considera quis sit Deus erga te, tanquam auctor naturae. Hic attendenda erunt naturalis ordinis beneficia:

Et 1. quidem beneficium creationis: Deus nimirum te ad imaginem suam condidit, animam tibi largiendo nobilissimis facultatibus praeditam, et corpus ornatum necessariis sensibus.

2. Beneficium conservationis tuae, quae continue creationi aequivalet; si enim Deus unico momento te tibi permitteret, hoc ipso relabereris in nihilum.

3. Beneficium creationis et conservationis universi mundi in utilitatem tuam: tibi creati et conservati coeli; tibi sol, luna, stellae, tibi terra et elementa reliqua; tibi herbae et frumenta; tibi arbores et animalia.

4. Beneficium divini concursus ad operationes tuas naturales intelligendi, videndi, audiendi, loquendi, scribendi, laborandi, incedendi, &c., sine quo operationes illae non existerent, et similis esses trunco inanimo.

5. Beneficium divini concursus ad caetararum creaturarum operationis in obsequium tuum: ita Deus utilitati tuae intentus coelos circumagit, coelestibus corporibus lucem et splendorem affundit, pluvias e nubibus exprimit, facit ut venti spirent, ignis calefaciat, refocillet aer, aqua foecundet, terra fructificet: concurrit cum cibis ut nutriant, cum medicamentis ut sanent, cum vestibus ut operiant, cum lecto ut lassa membra confoveat. Odore te vegetat, sapore delectat, colorum varietate recreat, concentus suavitate delinit.

Continue Deo vivendum, si hic continue commodis tuis invigilat: tota illa tua substantia in ejus continue impendenda servitium, quam continue ab illo accipis. Honorandus Dei concursus ad operationes tum tuas, tum creaturarum in rem tuam; totum, quantus es, ad ejus gloriam referendo, nec umquam ad ejus injuriam abutendo. Dilectus meus mihi, et ego illi.

Punctum II.

Considera quis sit Deus erga te, tanquam auctor gratiae. Hic in considerationem veniunt beneficia supernaturalia, quae Deus in salutem tuam et perfectionem direxit:

1. Beneficium redemptionis, quod innumera comprehendit; Redemptoris, adventum cum iis omnibus, quae pro te in terris et fecit et passus est.

2. Beneficium Religionis Catholicae; natum esse tempore Legis gratiae, parentibus catholicis, in sinu Romanae

Ecclesiae, et a teneris unguiculis Christiana fide eruditum.

3. Beneficium sanctificationis: percepisse te per Baptismum sanctificantem gratiam, quae est quaedam naturae divinae communicatio; et cum hac habitus infusos virtutum theologicarum et moralium, additis insuper donis Spiritus sancti, qua ratione ex mancipio daemonis et filio irae, factus es Dei amicus, filius, haeres, cohaeres autem Christi.

4. Beneficium cumuli bonorum in Ecclesia ad utilitatem tuam existentium, quibus ante gavisus es et porro gaudere pergis; qualia sunt Sacramenta, incruentum altaris Sacrificium, Indulgentiarum thesaurus, communio bonorum operum, Scripturae Canonicae, libri SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae, divini verbi praedicatio, exempla justorum tam mortuorum quam vivorum, Angelorum custodia, Sanctorum patrocinium cum praepotenti Reginae Sanctorum omnium tutela, directio patrum spiritualium, &c.

5. Beneficium conversionis, si ad vitia declinabas; et praeservationis ab inferno, si eo damnari merebaris.

6. Beneficium vocationis ad statum sacerdotalem.

7. Beneficium gratiarum actualium praevenientium et subsequentium, tot luminum, quibus mens illustrata, et tot bonarum inspirationum, quibus voluntas excitata est; tot denique auxiliorum, tam internorum quam externorum, ad pie sancteque vivendum.

8. Beneficium conservationis in habituali gratia: Deum te in amicitia sua retinuisse, in bona sibi famulandi voluntate, defendisse a gravibus culpis, dedisse hactenus in bono perseverantiam.

O abyssum gratiarum et misericordiarum quas tibi Deus ad salutem tuam et sanctitatem impendit! Felicitas omnium maxima, quae cuiquam mortalium possit obtingere! Prorumpes in actus admirationis, laudis, gratiarum actionis et amoris: lugebis ingratitudinem et negligentiam tuam, quod tot benefactis non responderis, quod ex iis parum aut nihil profeceris. Statues denique par pari referre. Dilectus meus mihi, et ego illi.

Punctum III.

Considera quis sit Deus erga te tanquam auctor gloriae: ipse remunerator est omni remuneratore longe potior; ut qui tibi praeparavit in praemium purum bonum, omne bonum, summum bonum, aeternum bonum, imo vero se ipsum.

Principes terreni munerantur subditos torque aureo, censu annuo, fundo aut feudo, rebus a se non modo distinctis,

verum etiam divisis ac separatis; Deus e contrario praeter tot alia bona extra se posita habitationem coeli, Beatorum sodalitium, rerum creatarum notitiam, gloriam corporis, largitur in praemium totum se, ope visionis, amoris et gaudii beatifici possidendum, in quo sita est animae gloria, gloria primaria et essentialis beatorum civium: hinc vivunt vita Dei, beantur beatitudine Dei, assimilantur Deo, et quasi transformantur in Deum juxta. Ps. lxxxi. 1. Deus stetit in synagoga deorum, hoc est, explicante S. Gregorio Nazianzeno, beatorum hominum; erunt scilicet totidem dii per similitudinem, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. 1 Joan. iii.

O beneficentiam munificentissimi Domini mei! O felicatem ex possessione Dei per gloriam! Quid igitur decernam? Cum Deus totus meus velit esse in patria, volo ego totus ejus esse in via: illic vult ipse idem esse quod ego: hic ego idem esse volo quod ipse, non volendo nisi quod vult ipse, et ipsius placita in actionum mearum regulam assumendo. Dilectus meus mihi, et ego illi.

Punctum IV.

Considera quis sit Deus erga te tanquam auctor unionis hypostaticae, hoc est, quis sit Deus erga te in incarnato Verbo, in Homine Deo, de quo S. Ecclesia in uno hymnorum suorum ita canit: Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in praemium.

Salvator igitur, 1. Se nascens dedit socium, nempe peregrinationis meae: Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est (Baruch. iii. 38), docendo et suadendo verbis, trahendo exemplis.

2. Convescens in edulium, quando inter sacra ultimae coenae solemnia cibus meus in Eucharistia factus est, quo pastus non ei modo conjungar, sed convertar et transmuter in ipsum, ut alimentum transit in substantiam aliti: stupenda sane excellentia charitatis ipsus!

3. Se moriens in pretium salutis meae; opus erat solutione pretji, ut a peccati servitute redimerer; ecce hic pretium meum factus est; lytron, quod causa mea repraesentavit, sunt actiones ejus, labores, dolores, sanguis et vita.

4. Se regnans dat in praemium, exhibendo mihi divinitatem suam et manifestando humanitatem, quae et ipsa quoddam est objectum beatitudinis, licet secundariae et accidentalis. S. Augustinus: Deus, inquit, factus est homo, ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis

in ejus humanitate. Et erit enimvero Beato grandis consolatio, cernere gloriosam Christi humanitatem, ex cujus spectandae desiderio S. Paulus suspirabat, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. Phil. i. 23.

Dilectissime Salvator, qui factus es ex praesepio socius, cibus ex coenaculo, pretium ex cruce, praemium in coelo, quomodo tibi amando respondeo? Si S. Catharina Genuensis aiebat: Non sum amplius meiipsius; seu vivam, seu moriar, tota Redemptoris mei sum; tantumdem mihi dicendum est: Non sum amplius meiipsius neque amoris proprii, sed sum Jesu et amoris Jesu! Hic tot modis factus est meus, volo ego pariter ipsius esse omni modo mihi possibilio; volo ut me habeat humilem, mansuetum, obedientem, mortificatum, orationis, observantiae, zeli, omnis denique virtutis studiosum. Dilectus meus mihi, et ego illi.

Lectio Spiritualis.

Deut. cap. xx.; 1 Cor. cap. xiii.

Thom. a Kemp. lib. iii. cap. 10, et 34.

MEDITATIO XVI.

DE AMORE DEI.

Primarius Exercitiorum, in quae hactenus operam contulimus, scopus est, nos Deo perfecta charitate conjungere; ejus quaternae dimensiones latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundam (Eph. iii. 18), distinguent quatuor hujus Meditationis articulos. Sit amor noster in Deum amplitudine latus, duratione longus, elatione sublimis, intensione profundus: ita divinae erga nos charitati utcumque assimilabitur.

Punctum I.

Considera in quo posita sit latitudo nostri in Deum amoris: sita est in ampla sui explicatione sine circumscriptione, in capacissimo complexu sine contractione vel angustia, juxta S. Bernardi effatum: modus diligendi Deum est diligere sine modo (Tract. de dilig. Deo): adeo ut ametur Deus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute (Marc. xii. 30), man-

cipando nimirum Dei obsequio facultates animae et membra corporis; cupiditates et sensus; libertatem et sanitatem; vires, ingenium et doctrinam; talenta, dotes, praerogativas, totum denique se et omnia sua, ita ut omnes cogitationes, affectus omnes, consilia omnia, verba, opera, labores omnes, et aerumnae sistant in Dei delectamento et gloria.

Erit latitudo amoris, Deo se offerre ex animo in holocaustum perfectum, dicendo cum S. Ignatio, in contemplatione de divino amore: Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Erit latitudo amoris se Dei voluntati omnino permittere, orando ex intimo cordis affectu, ut solebat Ludovicus de Ponte: Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me et circa omnia mea, tua sanctissima voluntas, nunc et semper et in aeternum. Amen.

Erit denique latitudo amoris, si exuat se quisque, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferat.

Atque ea ratione Deum amabat Esther Regina, ut quae fidenter dicere poterat, se ab ascensu suo in solium, alia nulla re delectatam esse quam solo Deo, quod nunquam vel regii conjugis benevolentia, vel summa subditorum studia, vel magnificus aulae splendor, vel immensae, quibus circumfluebat, opes, partem amoris sui surripuissent. Tu scis, quod nunquam laetata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in praesentem diem, nisi in te, Domine Deus. Esther xiv. 18.

Ita quoque Deum amabat S. Franciscus Salesius, scribens de se in hunc sensum: Si tenuem in me, instar minutissimi capilli, affectum deprehenderem, qui vel a Deo non manaret, vel in eum non referretur, actutum evellerem.

Ut talem in nobis excitemus amorem, ponderandum est, quam late, quam effuse nos Deus dilexerit, ut auctor et naturae, et gratiae, et gloriae et unionis hypostaticae, quemadmodum expendimus in Meditatione de divinis beneficiis.

O latitudo divini erga nos amoris, qui non modo amat nos impertiendo nobis universi orbis usuram, omnia naturae bona et commoda, sed praeterea totum se, essentiam suam attributa, personas; qui dignatus est esse Creator noster, Redemptor, Sanctificator, Glorificator, &c. Quis talem amatorem largissimo amore non redamet?

Punctum II.

Considera quid sit cum longitudine sive duratione Deum amare: est amorem ejus sine interruptione continuare, sin minus actu et explicite, at certe habitu et virtute. Omni vita tua dilige Deum, est monitum Ecclesiastici. Cap. xiii. 18. Omni vita, hoc est, omni aetate, puerili, juvenili, virili et senili. Omni vita: omni tempore, omnibus annis, mensibus, hebdomadis, diebus, horis omnibus et momentis. Omni vita, in omni vitae casu: sanitatis et morbi, sortis prosperae et adversae, solatii et arditatis, quietis et tentationis. Omni vita, in omni rerum vicissitudine: orando et studendo, ambulando et sedendo, laborando et feriando, dolendo et laetando, vigilando et dormiendo.

Jusserat Deus (Lev. vi. 12): Ignis . . . in altari semper ardebit; atque en figuram continui nostri in Deum amoris a S. Gregorio Papa notatam (Moral. lib. xxv. cap. 7): Altare Dei est cor nostrum, ex quo necesse est ad Dominum charitatis flammam indesinenter ascendere.

Hinc duplex in nobis affectus excitari debet, alter respectu praeteriti, alter respectu futuri: quod ad primum attinet, si nos in amando Deo tardos fuisse cognoscimus, socordiam nostram deplorabimus cum poenitente Augustino (Solil. 31): Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova; sero te amavi! vae tempori illi, quando non te amavi!

Quod ad futurum spectat, offeremus nos Deo, ut eum amemus amore longo, amore continuo, ad quod stimulabimur divini erga nos amoris exemplo; amoris adeo longi, ut nec principium habeat nec finem, ut citra et ultra aeternus sit. Deus itaque ab omni aeternitate amavit nos, decernens ante omnia tempora ut definito tempore existeremus, et copiosa largitatis suae dona perciperemus, quibus si non evadamus indigni, amorem suum consummabit in aeternum, vocans nos in partem suae ipsius beatitudinis sine fine mansurae: Misericordia Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum. Ps. cii. 17.

O Domini amorem longissimum, cui nimis quam breviter hactenus respondi! Si redamare infeliciter distuli, dabo operam imposterum, ne ex residuo, quo victurus sum tempore, ulla mihi elabatur particula amoris vacua.

Punctum III.

Considera in quo sita sit altitudo seu sublimitas divini amoris; consistit in amando Deo super omnia; ubi triplex gradus apte distinguitur: Primus est, quamcumque jacturam, quodlibet malum lethali Dei offensae anteferre. Se-

cundus, utrumque etiam peccato veniali praeponere. Tertius denique, quidvis malle perdere et preferre quam minus Deo placere, sive, nihil velle nisi quod ex majori Dei gloria esse intelligimus.

Primus gradus est praecepti graviter obligantis; alter leviter obligantis; tertius praecepti non est, sed consilii. Primi gradus exemplum habemus in natu minimo Machabaeo, quando regii favoris, honorum et divitiarum, quae spondebantur, damnum, imo atrox martyrium, quali jam sex fratres sui in eadem causa praeiverant, divinae Legis violationi praetulit. 2 Machab. vii.

Secundi gradus exercitio praeluxerunt varii servi Dei, qui fecere votum, illudque per plures annos ad mortem usque observarunt, nunquam deliberate levem culpam committendi.

In usu tertii gradus excelluit praeter alios S. Theresia, quae arduum votum emisit, efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret. Brev. Rom.

Ut Deum sublimi amore super res omnes prosequamur non in iis tantum quae praecepti sunt, sed etiam quae consilii (quantum Deo dante poterimus), provocabit nos sublimis amor quo nos ipse praevenit: amavit nos scilicet super omnem creaturam visibilem, formans nos ad imaginem et similitudinem suam: amavit super Angelos, assumendo non Angelum, sed hominem ad humani generis reparationem; imo vero amavit super ipsam Jesu Christi dilecti Filii sui vitam, quem pro salute nostra cruci affigendum tradidit: amavit denique super omnem expectationem, largiens nobis dona excellentissima, adoptans nos pro filiis et haeredibus, volens, ipsemet esse, quemadmodum cibus noster et pignus in terra, ita in coelesti regno nostra perennis haereditas.

O ineffabilis divini erga nos amoris sublimitas! aequum profecto est, ut altissime illum super omnia diligamus, qui tam sublimi nos amore complexus est.

Punctum IV.

Considera quae sit profunditas sive intensio nostri in Deum amoris: haec in duobos consistit; in puritate et fortitudine, in amando Deum pure et fortiter: amor noster purus erit, si nullam propriae utilitatis rationem habeat, si sit benevolus, qui nos ad amandum Deum excitet propter summam et infinitam ejus bonitatem, omni posthabito privato commodo. Idem amor fortis erit, si nulla difficultate terreatur; sed omnem, ut Deo placeat, superare paratus sit: In omnibus superamus, propter eum qui dilexit me. Rom. viii. 37.

Atque hic triplex fortitudinis gradus est, juxta triplicem

difficultatem, quae occurrit vel in agendo vel patiendo ardua, vel in utroque perseverando.

Primus gradus est, ut non sit amor verbotenus, sed facto; ut sit amor operans tota virium et virtutis intensione: non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. 1 Joan. iii. 18.

Alter fortitudinis gradus est, ut sit amor patiens, tolerando alacriter in anima et corpore, in fama et honore, in facultatibus, in conjunctis sanguine vel amicitia, &c.

Tertius gradus est, ut sit amor constans, sive qui perseveret usque ad mortem tam operando, quam tolerando.

Ad hos tres gradus revocat S. Bernardus bonae vitae sive divini servitii institutum: "Bonam vitam puto, mala pati et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem."

Ut amor noster in Deum profundus sit, sive purus et fortis omni modo jam indicato, expendemus quanta puritate et fortitudine nos Deus amaverit. Amavit pure sine utilitatis suae respectu, ex sola nobis benefaciendi propensione: qua enim in re egere poterat opera nostra, qui in se ditissimus et se ipso contentus erat ac plane beatus? Etiam fortissima fuit ejus dilectio, amando nos cum adhuc peccatores essemus (Rom. v. 8), adeo non amore digni, ut potius odio et abominatione. . . . Si oculos ad triplicem fortitudinis gradum supera expositum retorqueamus, quam operans, patiens et constans fuit amor Jesu tota vita sua mortali jam inde ab ipsa sui conceptione usque ad mortem!

O Domine nostri amantissime, ita per divinam tuam gratiam dilatetur, continuetur, exaltetur et intendatur amor noster, ut undequaque et super omnia diligaris! Sic oramus, sic vovemus verbis Ecclesiae: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis! Amen. Missale Rom.

SPECULUM MEDITANTIS.

PARS SECUNDA.

AUREA SALUTIS CATENA CONTINENS SINGULA DEI BENEFICIA, VEL

RECOLLECTIONES PRECATORIAE.

Quae uti possunt in curriculo secessus spiritualis dum aeternis contuendis consulendisque, sed etiam opportunius ante vel post Missam et dum colimus S.S. Sacramentum, aliisve temporibus sacris.

Ex his considerationibus mens in Deum assurgat, illum contempletur, admiretur; veneretur, timeat, amet, et laudet. Similiter vitam et mores ad ejus beneplacitum et normam, componere, ope divina agit.

Quia scilicet cognitio Dei est suprema et absolutissima perfectae consummataeque justitae regula, eamque in affectu excitat, excitatam auget, auctamque perficit. Quid, quod Abrahae inculcatur! "Ambula coram me, et esto perfectus." Gen. xvii.

Sicut cognitio et meditatio divinorum morum operationumque hominum adducit ad omnem virtutem ac vitae perfectionem; ita e contrario Dei ignoratio ac inconsiderantia fons est omnis vitii, peccati ac turpitudinis. "Dixit insipiens in corde suo, non est Deus." Ps. xiii.

Cur cognitio Dei prima sit regula virtutis est manifesta: quia perfectio nostra consistit in unione cum Deo, haec autum unio cum Deo originem accipit a cognitione, quae totius unionis cum Deo est fundamentum. Nam prima unio est per intellectum, et ex hoc sequitur unio per affectum, nempe per spem, charitatem et religionem?

Dum divinae perfectiones, tam multae et diversae, menti nostrae objiciuntur, et e nobis concipiuntur, ad diversas virtutes mentem moveant, ad amorem, timorem, humilitatem, venerationem, &c. Hic est scopus, hic finis sequentium, ad vitam pie sancteque instituendam.

DE INFINITATE DEI.

RECOLLECTIO.

Omnes perfectiones quae Deo tribuuntur absque metaphora, dupliciter in ipso contineri, formaliter et eminenter. Formaliter, si spectentur secundum proprium conceptum, quo a Deo et a beatis concipiuntur, qui est illimi-

tatus in genere entis. Eminenter, si considerentur secundum conceptus proprios quos habent, ut a creaturis absque lumine gloriae apprehenduntur. Unde S. Bernardus: "Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen eternum, incommutabilis ratio, eterna beatitudo." Et unde: "Amat ut charitas; novit ut veritas, judicat ut equitas, dominatur ut majestus, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistat ut pietas." Ex quibus patet; illae perfectiones, quae a nobis ut distinctae et limitatae concipiuntur in Deo tamen non esse ullo modo ex parte rei distinctas actu, aut limitatus in ratione entis, nec habere illum modum essendi in Deo, quo nostris conceptibus objiciuntur. Ita S. Anselmus demonstrat omnia illa quae Divinitati tribuuntur, significare non qualitatem, vel modum, sed substantiam ejus, et ipsam esse omnia illa summo modo. Juxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi. Exodi xxxiii. "Ego ostendam omne bonum tibi," nimirum quia in Deo sunt omnia. Infinitudo itaque divinae essentiae, est omnis perfectionis et entitatis eminentissima complexio, non solum increatae; sed etiam creatae; optime vocatus "pelagus essentiae;" quia infinita essentiarum, specierum, et perfectionum multitudo et varietas ibi reperitur et eminentissime continetur, "Magnus Dominus, et magnitudinis ejus non est finis." Ps.cxliv.

Pulchre in hanc rationem Greg. Nazian. in quodam carmine:—

"In Te omnia permanent, ad Te confertim festinant omnia. In omnium finis, Tu unus, et omnia, et nihil rerum. Cum neque, unum sis, neque omnia, quem te appellem. Qui solus innominabilis, et omninomius?"

Quod alta mente intellexit Cyprianus cum ait. "Mundi unus est Rector, qui universa quae sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest visu clarior, nec comprehendi tactu purior: nec estimari sensu major est: et ideo sic eum digne estimamus, dum inestimabilem decimus."

"In ipso, inquit Dionysius (de div nom), est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare; et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus,"principium,—omni principio superius et eminentius. "Idem significat Apostolus cum ait:" Ex ipso, "sic designat primam et originalem causam efficientem," per ipsum, exemplarem: "ad ipsum," finalem, "in ipso," causam sustentantem omnia, veluti quidam fundus et fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt. Quod

intervallum inter Deum et hominem?

Multiplex fructus ex sequentibus considerationibus capi potest de perfectionibus jam dictis.

I.

Primus est, ut summa reverentia et humilitate cum Deo; principio rerum et Domino nostro agamus, et coram ipso ambulemus, cum Dei Majestas et excellentia per omnia sit infinita quoque reverentia, honore et submissione dignus est. Quae cum a creatura prestari nequeunt, convenit ut saltem praestet summam quam commode potest, presertim in oratione, quando cum ipso loquimur, et salutis nostrae causam agimus; sed potissimum in sacrificio Missae, ubi infinitae illi Majestati, infiniti pretii et immensae dignitatis Hostia offertur.

Porro ad reverentiam excitandum duae considerationes concurrere debent: nimirum excellentia alterius, et nostrae vilitatis comparatione facta ad alterum, si nos ipsos consideremus vidimus nil preter defectum et peccatum, abyssum vilitatis et miseriae: tamen respectu Dei, qui ex se est bonum infinitum, infinite supra omnia creata elevatum: bona nostra sunt instar nihili, ex nobis nihil boni possumus, nihil sumus. Hac consideratione usus est Abraham. Cum ait Gen. xviii.: Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis. Et beata Virgo in sui cantico. Cum ait: Respexit humilitatem ancillae suae. Unde Seraphim apud Isaiam. cap. vi.: Deo astantes, velant faciem et pedes pre maxima reverentia.

II.

Secundus fructus est, ut Deum supra omnia sincerissima charitate et benevolentia amemus quia propter suam infinitam excellentiam infinite dignus est omni bono, gloria, laude, cultu, veneratione, obedientia, et obsequio. Quo enim quid excellentius, eo dignius ut ei tribuatur omne bonum ipsi congruens; hoc antum fit per charitatem et benevolentiam, et ideo Deo infinitus amor, &c., debetur. Ex hoc amore sequitur maximum desiderium gloriae Dei in creaturis, et promptitudo animi ad vitam suam, ad vires omnes et facultates expendendas, ad gloriam Dei maximam in creaturis procurandam. "Benedicite omnia opera Domini Domino." Unde ut Deum super omnia disiderabilia disideremus, quia in ipso est omne delectabile quies, divitae, nobilitas; sapientia, denique, vita eterna. Magna igitur amentia est in rebus creatis divitias gloriam, gaudium et querere! Job xiv. Fugit velut umbra. Et Apostolus. 1 Cor. vii. "Preterit enim figura mundi hujus," ita tota felicitas et beatitudo

hujus seculi in nihilum recedit post hanc vitam. Oh, "stultorum infinitus est numerus" (Eccl. i.). Quae enim potest esse major stultitia, quam preferre terrena celestibus, momentanea eternis, modica infinitis, umbratica veris, inania solidis! At infiniti homines, multi sacerdotes, hoc faciunt: merito ergo ei qui sunt "lux mundi," stulti judicantur, et omni luce destituti.

III.

Ut cognoscamus servitutem Dei esse nobillissimam eamque rebus omnibus, etiam sceptris et imperiis anteponamus. Cum Deus infinite sit prestantior omnibus regibus terrae, infinite quoque nobilius est ei servire quam ali cui Principi hujus mundi. Servitus Dei consistit in quatuor rebus.

Primo, In cogitatione Dei, et eorum quae ad ipsum pertinent. Hoc est fundamentum obsequii totius et famulatus.

Secundo, In officiis charitatis et benevolentiae, ejus gloriam promovere omni studio conamur, animam, corpus. curas et cogitationes ipsius dignitati tuendae et amplificandae devoventes.

Tertio, In officiis religionis, dum illum colimus sacrificiis, ceremoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis. Hoc est officium Angelorum et sanctorum in caelo, haud minus sacerdotum in terra?

Quarto, In custodia mandatorum, et in officiis virtutis.

Deus pro singulis operibus bonis promittat vitam eternam, atque adeo se ipsum cum omnibus bonis suis. Damus ei totum bonum suum. Haec est voluntas Dei sanctificatio nostra, item, vocactio et electio nostra.

Actus Fidei et Humilitatis.

I.

Domine Deus meus, Deus magne et terribilis, Deus immensae majestatis! Tu pelagus infinitum essentiae, bonitatis et beatitudinis, omne esse, et omne bonum in te concludens, et ab aeterno eminenter, anticipans, et praehabens, tamquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse superessentiale omnium quae sunt, et quae non sunt: sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate; nec ullam habere rationem conceptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor et formator, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium aevum, duratio, terminatio, ordinatio,

connexio, concordia, consummatio. In te omne bonum Angelorum pariter et hominum, atque totius naturae, quae est, et quae non est. In te omnis gloria et dignitas, omnes divitiae et thesauri, omnes voluptates et consolationes, omnes deliciae, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tu Deus meus et omnia mea, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.

II.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te et chara sint mihi omnia tua, et tu Deus meus plus quam omnia. Quid enim sunt cetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus, sunt, umbra sunt et vanitas omnes divitiae, omnisque gloria hujus mundi, quae miserere oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quae in te sunt, cognoscere et persequi valeant. Et sicut qui dormiunt, inani imagine divitiarum, voluptatum et honorum delusi, nihil horum inveniunt cum excitantur; sed cum dolore animi vident se misere deceptos: ita accidet omnibus hujus mundi amatoribus, vitae istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius saeculi expergiscente.

Nihil igitur illorum amem aut aestimem, sed te solum et bona tua; quae in te recondita, quae tu ipse es, quibus fruentur aeternum, qui hisce caducis contemptis, tibi inhaeserint. Amem te supra omnia, et semper serviam tibi; quia infinite melior es omnibus, et dignus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis servitus tibi ab omni creatura in omnen aeternitatem deferatur et impendatur. Amen.

DE IMMENSITATE DEI.

Recollectio.

I.

Immensitas sequitur essentiae divinae infinitatem, quae nihil aliud est, quam ubique et absque termino sui in omnem dimensionem diffusio, ubique, id est per totum mundum, et extra mundum per immensum vacuum. In omnem dimensionem, in lon-

gum, latum, profundum, sursum, deorsum, et in obliquum. Haec immensitas aperte nobis traditur in Scripturis. Ps. cxliv. Magnus Dominus, et magnitudinis ejus non est finis: quibus verbis significatur non solum immensitas extensionis, sed etiam infinitudo essentiae. Et Psalm. cxxxviii. Quo ibo a spiritu tuo, et a quo a facie tua fugiam: ubi ostendit propheta nusquam posse constitui creaturam, ubi jam non sit Deus. Job xi. Excelsior caelo: profundior inferno: longior terra: et latior mari, id est: Deum excedere omnem mensuram, et expandi in immensum, cum superet ea quae mens concepit ut maxima.

S. Athanasius in Symbolo usu Ecclesiae approbato, "immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus."

Ratione immensitatis fit, ut Divinitas per suam essentiam omnia pervadat, et omnibus rebus sit intima, et intime presens ac conjuncta loco seu spatio: "cœlum et terram ego impleo," dicit Dominus. Jer. xxiii. Si implet, ergo ipse ibi per se presens est, sicut lumen coelos, et aërem suo modo implens, ibi per se intime presens est, sic in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. Act. xvii. Maximi refert ad perfectionem vitae, et imprime ad reverentiam tantae majestatis, et ad internam cum illa conjunctionem et consuetudinem magnitudinem et immensitatem ejus firmiter animo concipere et ante oculos positam habere.

II.

In ipso enim vivimus; non solum tanquam in causa efficiente, sed etiam tamquam in sede, fundo, et basi nos capiente, sustentante, conservante et undique ambiente. Sol longissime dictum a terra, in ea tamen lumen—calorem, et res innumeras producit et conservat. Porro ubi Divinitas est, ibi etiam sunt tres personae cum tota potentia, sapientia, bonitate, majestate, et ceterisque perfectionibus suis: Quae consideratio mere excitat animum ad reverentiam, timorem, spem. Omnia ab ipso et intime penetrantur, et profundissime sustentantur et exterius diffusissime circundantur. Unde totus mundus ita est in Deo, sicut parvula spongia in vastissimo mari, vel sicut globulus vitreus in lumine solis?

Sequitur, maximum debere nos concipere gaudium, quod tantum thesaurum intra nos, nimerum in anima nostra, in corde nostro, in omnibus animae viribus, in omnibus corporis particulis habeamus, vid.:—Deum ipsum—Patrem—Filium—Spiritum Sanctum, cum omnibus perfectionibus et divitiis suis—cum enim ita nobis sit intimus, facile potest nos perficere;

sinat tantum sua dona in nos effluere, statim implebitur splendoribus anima nostra, et vita eterna in nos elimamabit. Orietur ingens fiducia in omnibus pericules.

Debere nos semper, tanquam in presentia Deo, cum magna reverentia versari. Est enim nobis presentissimus— cogitationes nostras intuens: Omnes affectus pervidens — corda et renes perscrutinans, et expeditam habens omni potentiam suam ad nos eterna pena subito mactandos, si eum ausi fuerimus offendere. Magnum itaque hac in re ponendum studium; magnaque exercitatio.

Actus.

I.

Magnus es, Domine, et laudabilis valde, et magnitudinis tuae non est finis; excelsior caelo, latior mari, profundior abyssis; implens omnia, circumdans omnia, et tamquam sphaeram modicam totum hoc universum palmo circumplectens. Tu sphaera incomprehensibilis, cujus centrum ubique, ambitus et circumferentia nusquam, ut quidam Philosophus recte dixit, si sano sensu intellexit. Omnia locorum spatia occupas intra et extra mundum, fundamen ipse, sedes et spatium omnis spatii, extendens et substituens primo, omnium spatiorum et tervallorum tam possibilium quam realium immensitatem, tanquam prima omnium bassis, cui, omnia innixia. Neque enim coelum dumtaxat extendis, et hujus mundi capacissimam visitatem: sed miro quodam modo etiam hoc ipsum spatium, in quo mundum ipsum condidisti, expandis, non alio sane intervallo quam magnitudinis tuae. Haec est prima et fundamentalis capacitas, spatiositas, seu laxitas, in qua omne aliud spatium constare debet, et cujus ratione immensum spatium creatae menti est imaginabile: sicut aeternitas tua est prima et originalis duratio omnis durationis conceptibilis fundamentum. Neque solum in immensum diffusus, intervallum subtendis et extendis immensum; sed etiam in omnibus et singulis hujus universi rebus et locis, in omnibus punctis designabilibus totus es collectus, totus completus, totus praesens, totus interior, cum universa, potentia sapientia, bonitate, ceterisque perfectionibus tuis, et cum omnibus donis et opi-

bus tuis, quibus creaturam tuam beare et ornare potes. Lates intra singula totus, assidue omnia creans, formans, conservans et tenens intrinsecus in luce ipsius esse, ne in suas tenebras et in nihilum relabantur, et ad te convertens per instinctum boni.

II.

Converte, obsecro, cor meum ad te introsum in fundum animae meae, ubi silente creaturarum strepitu, et importunarum cogitationum cessante tumultu, tecum commorer, te semper praesentem cernam, te amem et venerer, et vocem tuam audiam, tibi miserias exilii mei exponam, et solatium apud te inveniam. Nunquam praesentiae tuae me capiat oblivio, lux mea, dulcedo animae meae: nunquam obliviscar tui, sed semper quocumque me convertero, mentis meae oculis obverseris. Totus enim ubique praesens radios praesentiae tuae diffundis per singula. Sicut enim invisibilis anima in hominibus se foris aperit per motus et operationes, quae exterius parent in corpore, sic ut ipsius praesentiam clare cognoscamus: ita tu, qui omnium es vita supervitalis, et omnium esse superessentiale, te satis manifeste prodis per ipsam creaturarum speciem in qua elucet admirabilis sapientia et potentia tua. Quid enim aliud est omnis creatura, quam impressio quaedam et imitatio aeternorum conceptuum mentis tuae? Tu enim sigillum primaevum et universala, creatura vero veluti forma ex impressione sigilli resultans; non in solida aliqua materia, quae detracto sigillo valeat speciem retinere, sed quasi in fluxa et evanida, in nihilo. Unde ne momentum quidem constare potest, si sigillum absit, sed assidua praesentia et impressione est opus. Agnoscam igitur praesentiam tuam in omnibus, qui in singulis delitescens, esse et speciem omnibus assidue suppeditas.

III.

Da mihi, ut comprehendam cum omnibus sanctis quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum Divinitatis tuae ut a me totus cogitatione et affectu deficiens, in illud pelagus immergar, ibique perdam me ipsum et creata omnia, nihil aliud attendens, nihil aliud sentiens, amans, desiderans aut re-

quirens amplius, sed in te solo acquiescens, et omne bonum in te possidens et perfruens. Sicut enim essentia tua infinita est et immensa, ita omne bonum, quod in te est, infinitum pariter et immensum est. Quis adeo avarus est, ut infinitum et immensum bonum ei non satis sit? Nihil ergo extra te quaeram aut desiderem, sed tu mihi sis instar omnium, et supra omnia Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

DE ETERNITATE DEI.

RECOLLECTIO.

I.

Omnis creatura initium habet, quia non ex substantia Dei, sed ex nihilo est. Soli Deo competere aeternitatem, quia solus initio caret durationis, solus numquam incepit, solus omne tempus et intervallum durationis occupat et ambit. Hinc vocatur (Dan. vii.), antiquus dierum. Soli competit proprie aeternitas, quod breviter defineri potest, duratio tota simul ab intrinsico, carens principio et fine, quia solus esse vitam habet interminabilem, et omnis vitae fontem possidens. S. Bern. in Cantica: Tempora sub ea (divina natura) transeunt, nec ei: futura non expectat, praeterita non recordatur, presentia non experitur. Sic aeternitas Dei est infinita duratio. Itaque Deus noster non solum est causa existentium, ut actu sunt; sed etiam est fundamentum possibilium, et totius esse. Mirifice divinae essentiae majestas et magnitudo infinita? . . .

Hinc tempus et temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, aeternitas, sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit: rupes autem semper eodem loco manet. Est enim aeternitas similis puncto, circa quod describitur circulus, sicut enim punctum illud respondit toti circumferentiae et singulis ejus punctis, ita aeternitas respondit et assistit toti tempore, et singulis ejus momentis.

II.

Sequitur, Aeternitatem omne bonum, quod affecerit, efficere infinite melius, ratione durationis, et intensire, voluptas unius diei, anni magnum bonum est, magnique penditur, et sic dein-

ceps, quo durtius durat, eo estimatur amplius: ergo quae durat infinite, infinite pluris estimabitur. Cogita quod sentiendum de gloria, devitiis, pulchritudine, ceterisque bonis. . . .

Quid accidit in paenis? Aeternitas paenam facit infinite pejorem et molestiorem, et sic infinitum dolorem animo inurit. Cum consideramus, totum eternum bonum Dei. nostrum esse, nobis promissum, et a nobis in eternum possidendum; non possumus non maximo gaudio affici. Ibi possidebimus divitias infinitas, affatim, ac cumulatim. Maximus timor aeternae damnationis, quia in hac est infiniti et eterni boni jactura, et summi aeternique tormenti perpessio. Infinita quadam amentia et fatuitate teneri eos qui quotidie peccata peccatis adjiciunt, et certissimo eternae damnationis periculo se exponunt? . . .

Contemptus hujus mundi. Qui aeterna considerat, clare videt quam parvi et nullius momenti sint omnia temporalia quae transiunt tanquam umbra—nil restabit nisi brevis memoria, sepissime maeror cum illa. Haec cogitationes, ad tentationes vincendas, ac pericula peccatorum cavenda, quotidie nobis animo versaudae. Unde monet Sapiens Eccl. vii. in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in eternum non peccabis. Sic, "Ostendam ex operibus fidem meam." Jac. ii. 18.

Actus.

I.

O aeternitas, omnis boni primaeva et interminabilis complexio: omnis vitae insenescibilis tota simul et perfecta possessio: omnis beatitatis sine principio et fine superplenissima fruitio! Tibi nihil praeteritum, nihil futurum: tibi nulla accessio, nulla decessio fieri potest. Nam altitudine tui nunc, quod infinitum tempus ambit, omnia simul colligis: in illo omnia tenens praesentia, ut nec fugere possint in praeteritum, nec de novo in futurum advenire. Omnia enim praesentia, praeterita et futura praecipis et anticipas: et tibi jam praesentia erant priusquam futurorum notionem haberent.

In tuo nunc omnia semel constituta et decreta: omne consilium de omnibus captum et conclusum. Nihil de novo restat deliberandum, nihil non plenissime expensum: omnia definita et decisa, quae vel fient umquam, vel non fient. Ibi quoque et

nos numerati et appensi sumus, et librata sunt omnia opera nostra. Ibi nobis poena vel gloria aeterna praeparata: ibi vel regnamus cum Sanctis omnibus in gloria, vel incendiis inferorum cum impiis et daemonibus ardemus. Aeternitas praescientiae et decretorum tuorum anticipat omnia: et quidquid umquam in tempore futurum est, ibi jam factum est.

II.

O aeternitas! abyssus gaudii Sanctis, abyssus miseriarum et dolorum impiis! Sicut enim omne bonum facis infinite melius et optabilius, ita omne malum efficis infinite pejus et molestius. Quae mens magnitudinem tuam capere, quod robur animi pondus tuum sustinere queat? Tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis, omnes peccatores perturbas, omnes pios in afflictione recreas, et ineffabili gaudio perfundis. Momentaneum enim et leve tribulationis hujus, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. (2 ad Cor. iv.). Pro momentaneo malo rependetur aeternum bonum: pro levi tribulatione, pondus gloriae immensum: pro afflictione terrena, gloria in sublimitate. Vae miseris peccatoribus, qui momentaneum et leve hujus vitae solatium, aeterno illi gloriae ponderi anteponunt: qui aeternum malunt subire supplicium, quam momentaneo hujus vitae carere commodo: qui terrena ista praeferunt caelestibus, infima sublimissimis, momentanea sempiternis.

O aeternitas! tu semper menti meae obverseris, tu intimis mihi sensibus inhaereas, tu omnium mearum actionum et totius vitae sis regula. Omnia temporalia sive bona sive mala, prae te contemnam et nihili ducam. Tu mihi in omni afflictione sis solatium, et in omni tentatione praesidium, et in omni prosperitate monitorium. Tibi vero principio, quod omni principio antiquius, tibi aevorum parenti, saeculorum regi, temporum dispensatori, aetatum provectori, omnis permansionis et durationis basi, et beatae aeternitatis largitori, omnis honor et gloria in omnem aeternitatem. Amen.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

Recollectio.

I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terrae. Ex Symbolo.

Estque hic articulus fundamentum nostrae religionis: cum praecipua ejus dogmata eo nitantur; nemphe dogma de creatione mundi, de ejusdem conservatione et gubernatione, mysterium Incarnatione, Eucharistiae. Resurrectionis, visionis beatificae et similia: Ipse enim dixit, et facta sunt: ipse mandavit, creata sunt (Ps. cxlviii.): nihil facilius verbo. Haec summa facilitas, signum est summae potentiae; ac proinde omnipotentiae. Nec major fingi potest potentia, quam quae omne ex nihilo facit defectu materiae. Deum posse omnia efficere per se ipsum quae potest per creaturas . . . omnes enim vires et facultates quae sunt in creaturis sunt ab ipso, et in ipso eminenter existunt. . . . Divina sapientia est regula divinae potentiae, ita etiam nullus alius limes ei statui potest. Unde certissima, et ab omnibus recepta sententia est, eaque fide tenenda, vel fidei proxima; Deum posse quidquid non involvit contradictionem. Unde tota machina hujus mundi ad potentiam Dei est instar parvae pilae. Etiam, ut constat ex augustissimo Eucharistiae mysterio: potest corporibus dare modum existendi incorporalem et invisibilem. Mens ista perpendens deficit, nec tantam sustinere potest divinae potentiae majestatem?

II.

Triplex ex his affectus. Reverentia.—Ex horum consideratione sequuntur tres potissimum in nobis affectus. Primo. Maximae reverentiae et submissionis: unde Apost. Petrus Epist. I. c. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Quis enim cogitans suam imbecillitatem et illius omnipotentiam, non submittat se illi in omnibus, tanquam habenti in nos summum jus et summam potestatem?

Timor.—Secundo, Excitat affectum timoris. Unde Scriptura passim commemorat divinam potentiam ejusque stupenda opera, ut homines ad timorem excitet: et Dominus Luc. 12. Dico autem vobsi amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem

mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Quantopere Deus sit timendus ratione illius potestatis. Et sane quis non timeat eum, qui tantam poenam potest irrogare, et aeterno tempore continuare? Intolerabilis et incomprehensibilis est poena ignis, quam ob unicum peccatum mortiferum infligit: sed hanc potest sine termino augere, pro numero et magnitudine peccatorum, quae quisque admisit.

Fiducia.—Tertio, Excitat affectum fiduciae. Si enim omnipotens nobis assistit, qui omnium causarum creatarum, omnium hominum, et daemonum continet habenas, ita ut nec in minimum motum possint absque ejus nutu emicare: cur timeamus aliquam creaturam? Nihil enim nobis potest inferre incommodi, nisi ipse annuerit: non annuet, nisi id nobis possit esse utile ad vitam aeternam. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ut ait Apost. ad Rom. viii. Deinde cur non libentissime feramus id, quod ipse vult nos ferre? hac cogitatione armatus B. Franciscus Xaverius, securus stabat inter gladios et fremitus barbarorum. Ad eamdem fiduciam excitat nos Dominus Matt. vi. 25, usque ad finem, et Luc. xii. 6: Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt, nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos. Ad timorem quoque et fiduciam ex consideratione potentiae divinae pulcherrime nos excitat Ps. xxxii.: Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.

ACTUS.

I.

O adorandum, tremendam, et religioso silentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine Rex saeculorum, qui omnia per te potes, quidquid possunt omnes creaturae tuae: a quo omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium est instituta et dependens: qui omnia ex nihilo solo verbo condidisti, et condita eodem substantifico influxu conservas, ex omnipotentiae tuae manu ea veluti suspensa tenens, ne in suum nihilum relabantur: coram quo totus mundus est instar pilaemodicae, et omnes Gentes instar stillae roris antelucani. Qui reipsa potes efficere et praestare, non solum quidquid omnes homines et Angeli animo concipere, sed etiam quidquid sapientia tua infinita potest excogitare: par

enim est potentia tua sapientiae tuae, et aeque late se extendunt et diffundunt: cum haec sola sit illius regula et mensura; quam enim aliam habeat mensuram potestas immensa, nisi immensam? Hinc non minus ea tenes et possides, quae non sunt actu in esse producta, quam quae esse et speciem exterius acceperunt. Delitescunt enim in thesauris potentiae et sapientiae tuae, et ad minimum nutum tuum in esse foras prosilient, et dicent (Baruch iii. 34): Adsumus ad obsequium tuum. Non indiges laudibus et obsequiis nostris: si enim velis, infiniti tibi mox suppetent famuli, qui incomparabiliter te melius colant, et omni laude celebrent.

II.

Insere animo meo profundissimam reverentiam et humilitatem in consideratione tantae potentiae tuae: tu enim de me et de omni creatura tua potes disponere et statuere pro arbitrio tuo; nec quisquam tibi potest dicere cur sic facis? tua enim sunt omnia, et opera manuum tuarum. Semper te mihi praesentem cogitem, et extenta manu omnipotentiae tuae, aeternae damnationis fulmen minitantem, si sanctissimas leges tuas violavero. Adde etiam fiduciam et securitatem cordi meo in te; ut neminem timeam praeter te, nec ulla creatura me a charitate tua abstrahere valeat. Quid enim sunt caetera omnia coram te, aut quid mihi absque tuo nutu possunt nocere? Quod si ab aliquo me affligi permiseris, hoc ipsum mihi in salutem, et ad aeternam vitam cooperari facias.

Amen.

DE PROVIDENTIA DEI.

Recollectio.

I.

Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. Ps. cxxxviii. Quibus verbis S. Scriptura indicat curam et providentiam Dei ad minima ejus pertinere et illa semper fidendum. Et in multis locis aliis celebratur divina providentia. Sap. viii. Attinget a fine usque

ad finem fortiter, et disponit omniasuaviter. S. Augustinus docet hoc de conservatione et gubernatione rerum intelligendum est: omnia suis locis collocari, et ordinibus et aptissimis mediis ad suos fines dirigi. Omnes res conditae sunt propter finem, tum proprium cuique, tum communem omnium, qui est gloria Dei. Et sine divina cooperatione nulla res creata potest operari, ac proinde nec assequi finem, aut in illum tendere. Colligetur quanta sit benignitas Dei, qui creaturis se benignissime applicat, illas ad omnes actiones juvat, illis ubique cooperatur, et cum illis assidue dies noctesque veluti laborat.

Quanta sit Creaturae ad Deum subjectio, quanta in omnibus dependentia? Unde vidimus triplicem dependentiam, primo, ratione virium acceptarum. Secundo, ratione assiduae conservationis. Tertio, ratione concursus. Nemo igitur in seipso glorietur, nemo suam sapientiam, potentiam, virtutem, robur jactet, cum etiam in minimis a Deo pendeat, et sine ipsius ope, ne manum quidem movere queat.

II.

Sicut omnis Dei operatio est bona, et ob eam est laudandus et benedicendus; ita quoque omnes ipsius permissiones bonas esse, et ipsum ob eas laudibus celebrandum, habet enim justissimas et sanctissimas rationes cur mala permittat. Sic malitia tyrannorum usus est ad exercitium et gloriam Martyrum. Et si nulli haeretici, non ita probata et illustrata esset fides Ecclesiae.

Sic usus est malitia regum Assyriorum, Chaldeorum, Aegyptiorum, Romanorum ad castigationem populi Israelitici. Simili modo utitur malitia diaboli ad exercititum sanctorum, et punitionem peccatorum. Saepe permittit peccatum in vindictam et punitionem alterius peccati, et hac ratione peccatum dicitur, pena peccati, nam permissio peccati, nihil est aliud, quam non dare illam gratiam, per quam peccatum fuisset impeditum. Under S. Augustinus: voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum.

III.

Recollectio divinae providentiae in nobis parit fructos multos, e.g., Magnum solatium et animi tranquilitatem in ista rerum perturbatione. Tollit murmurationes. Quidam contra Deum murmurant, quod illos miseriis et calamitatibus involvi sunt, quasi vel Deus curam ipsorum non habeat, vel etiam injuste haec irroget, sed istae calamitates sunt fructus partim mortalitatis nostrae, partim peccati originalis, et congruunt huic nostro statui et loco. Quia ista omnia nostris peccatis

sumus commeriti. Si enim vel ob unicum peccatum mortiferum eternas penas inferorum mereris; cur durum tibi videatur, etiamsi omnibus hujus vitae calamitatibus in unum conspirantibus propter illud affligaris? Verum petrato peccato sublata est illa protectio, et natura ad suam relapsa sortem, his omnibus est exposita et subjeta. Peccata venialia merentur afflictiones hujus vitae? Sicut enim, teste S. August., quaedam bona iniquorum, etsi non mereantur vitam eternam, tamen merentur aliqua bona temporalia, ut divitias, honores, ita quaedam opera mala justorum non merentur penas eternas, tamen, merentur temporalium amissionem, et similes afflictiones. Sed, "diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum." Rom. viii.

Actus.

I.

Tua, Pater, providentia gubernat omnia, pertingens a fine ad finem, ab extremis coelorum ad ima terrarum, a supremo spiritu ad infimum vermiculum: fortiter, et disponens omnia suaviter. Sap. xiv. 8. Fortissimus ejus attactus, quo creantur et sustentantur omnia: suavissima dispositio, qua singula pro naturae conditione suis locis et ordinibus collocantur, suos in fines diriguntur, suosque motus agere sinuntur. Non fortuito atomorum concursu, aut elementorum acri conflictu, aut sponte sua mundus iste coaluit, vel emicuit in lucem, sed providentiae tuae consilio et vi. Quomodo enim res tanti ingenii et artificii, in qua omnia summa ratione et proportione, summa pulchritudine, symmetria et eutaxia constant, sine ratione et sapientia fieri potuisset?

Tua providentia haec omnia ab aeterno excogitavit, concepit, distinxit, digessit, ordinavit. Haec singulorum species, mensuras, formas, partes, qualitates, indoles definivit: vires multiplices et instrumenta veluti panopliam quamdam ad proprias functiones, suique defensionem attribuit: haec omnibus fines praestituit, causas destinavit, et omnia quae rei cuique sunt congrua, providit. Sine providentiae tuae legibus nihil omnino nascitur, nihil occidit, nihil operatur, nihil movetur, nihil quiescit. Illa ad suos omnia fines destinat, et singulis intime insidens ac praesidens, propriam cujusque idolem format ac inserit, et per eam rem quam-

libet in congruas cuique functiones et proprios fines dirigit. Quid enim est aliud cujusque rei ingenium et nativa propensio, quam tuae providentiae vestigium et impressio? Hinc res omnes ratione carentes, tanta ratione operantur, et in fines suos, quos nec animo percipiunt, nec ullo modo cognoscunt, tam ordinate tendunt. Alia innumera tum in animantibus, tum in plantis, quae tanta ratione, arte et providentia fiunt, ut majore fieri non possint: non sua quae ipsis inhaereat, sed tua quae ipsis assistit, quaeque vestigium et specimen quoddam sui ipsis imprimens, ita operari facit, ac si summa providentia et arte praeditae essent. Omnis igitur actio et omne opus naturae, est actio et opus tuae sapientiae et tuae providentiae. Nec aliter omnia secundum legem tuae providentiae agunt, quam si ejus plenam notitiam possiderent.

Rationalem tamen naturam excipio, quae cum suae cujusdam providentiae sit particeps et libra, saepe non tuae providentiae directioni se accommodat, sed sua providentia et arbitrio vivere cupit. Hinc omnis peccati fons, omnis calamitatis origo. Non tamen hoc absque providentia tua geritur. Etsi enim creatura rationalis dum peccat, secundum legem quam illi statuisti non agat, non tamen absque providentiae lege agit, a qua et vires habet, quibus in suam perniciem abutitur, et sinitur agere ea, quae absque ejus permissu agere non posset, et certis circumscribitur limitibus, ne aliter aut amplius male agat, quam tibi permittere visum fuerit. Sic omnia intra providentiae tuae ambitum conclusisti, ut illam nihil possit effugere; ita omnia illi subjecta, ut ejus jugum et dominatum excutere non possint.

II.

Vae peccatoribus, qui ejus gubernationi et legibus subtrahere se conantur, et sua providentia, suis placitis et arbitrio vivere. Dum enim subducunt se providentiae dirigenti ad vitam, incidunt in providentiam destinantem ad mortem: et dum recedunt ab ordine benignitatis et misericordiae, incurrunt in ordinem severitatis et justitiae; et dum excutiunt jugum suave divinorum praeceptorum, subeunt jugum crudele daemonum et aeternorum suppliciorum. O insaniam sanguineis lacrymis deflendam! Quis

mentes mortalium ita fascinavit, et in tantam amentiam adduxit?

Infelices quoque Sacerdotes illi, qui cum a tua providentia se gubernari sinere deberent, sua prudentia et consilio vivere volunt, non secus de se solliciti, ac si nullius curae subessent. Subtrahunt enim se suavissimo et certissimo illi providentiae ordini, quo securissime et fructuosissime ad salutem directi fuissent. Varii enim sunt providentiae tuae modi, variae series gubernationum et gratiarum, cuique magis vel minus accommodatae et salutares. Felix ille, cui eum providentiae ordinem, eam gubernandi rationem adhibes, quam nosti maxime salutarem illi fore, et copiosissimi fructus. Nihil in hac vita optabilius, nihil beatius quam sub tali ordine et directione cursum vitae peragere, ex qua tam certa salus, et tantum aeternae gloriae emolumentum. At merito credi potest eam gubernandi formam viro religioso salutarem esse prae caeteris, qua illum providentia tua per Superiores illius in cursu vitae, in officiis, functionibus, missionibus, locis, studiis, ceterisque omnibus dirigit: alioquin cur perfecta et cœca obedientia tantopere a sanctis Patribus laudaretur? cur a sanctissimis viris et sapientissimis ita frequentata esset et culta! cur securissima ad salutem praedicaretur via? cur Dominus ipse adeo eam commendasset, suasisset, ejusque tanta preabuisset nobis exempla?

Itaque dubitandum non est, quin si quis huic formae providentiae se tradat, et veluti in ulnas ejus se projiciens, ab ea se duci in omnibus sinat, viam ille certissimam adipiscendae salutis tedeat. Qui vero ab ea se subducit, sua se providentia regere volens, magno periculo se exponit, ne in illum providentiae incidat ordinem, in quo a salute excidat. Haec enim ratio ab omnibus sanctis vituperatur, et periculosa judicatur saluti, quantumvis in speciem sancta videatur et salutaris. Extant exempla plurima eorum, qui hac via perierunt, nulla eorum qui perierint ista, aut quibus minus bene cesserit. Quomodo enim non optime cedat, quod tu ipse suasisti, ad quod feliciter dirigendum te obstrinxisti? Hanc ergo viam indeclinabiliter teneam, hanc usque ad extremum vitae spiritum sequar, quam tu ipse, et qui Spiritu tuo afflati, prae ceteris commendarunt.

III.

Haec igitur sublimis providentia tua mihi semper ob oculos versetur, et quidquid prosperi vel adversi obvenerit, ab illa duci et pendere intelligam, deque benefica manu tua excipiam. Nihil enim fit in tempore, quod ab illa ob justissimas causas non sit dispositum in aeternitate. Haec mihi in asperis sit solatio; haec animum turbidis mundi in rebus, in regnorum, religionisque sacrae, et animarum cladibus turbatum afflictumque componat et tranquillet. Omnia enim providentia tua sapientissime disponit, et quidquid erratum fuerit a creaturis, quidquid ab ordine recesserit, ita corriget et in ordinem rediget, ut in omnibus gloriae tuae majestas magis resplendeat, quam si omnia primum ordinem in quo posita fuere, tenuissent.

Non patitur quidem hujus vitae conditio et lex charitatis, ut proximorum damnis et exitiis, divinaeque majestatis injuriis non tangamur, non affligemur; absque hujusmodi stimulo vix ad opitulandum excitaremur; sed adhibenda moderatio; et ubi res peractae sunt, vel desperatae, nihilque opera et preces nostrae possunt adferre praesidii, expedit inanes moerores depellere, et providentiae tuae contemplatione animum solari.

Haec mihi fiduciam pariat in terroribus, securitatem in periculis, robur in arduis, tranquillitatem in turbulentis, tolerantiam in adversis, aequitatem animi in futurorum expectatione. Haec vanas a mente nostra sollicitudines depellat, perinde ac si a sola providentiae tuae benignitate omnia provenirent; et simul ea sedulitate rebus agendis intentam faciat, quam earum magnitudo et status postulat. Nostram enim cooperationem, nostrumque studium postulat providentiae tuae gubernatio; sed supervacaneam curam, et anxietatem in rebus temporalibus negotiisque hujus vitae respuit et damnat. Fac mecum sicut scis profuturum saluti meae et gloriae tuae, ut te in omnem aeternitatem contempler et admirer, amem et honorem, laudem, benedicam et glorificem in omnibus et supra omnia. Amen.

DE SANCTITATE DEI.

Recollectio.

I.

Sanctitas Dei est, ut more nostro loquimur, ab omni scelere libera, et omnino perfecta, et ex omni parte immaculata puritas. Ipse est radix et fons originalis omnis sanctitatis et puritatis, tum objectum omnis sanctitatis. Item, Sanctus in omnibus operibus suis, quia omnes ejus affectus, et omnes ejus operationes exactissime legis aeternae rectitudini conformantur. Hinc fit ut Deus necessario odit peccatum, idque infinito odio? Cum enim necessario amat rectitudinem legis aeternae; necessario odit quidquid hinc rectitudini adversatur: adversatur autum illi omne peccatum, quia ratio peccati in eo sita est, quod sit contra legem eternam?

II.

Quanta puritate animi, reverentia, et attentione illum colore debeamus. Cum enim sit ipsa puritas et sanctitas, in suis cultoribus summam puritatem requirit, juxta illud Levit. xi.: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, non enim summae puritati potest placere nisi quod purum est. Requirit etiam summam reverentiam: quia sanctitati debetur reverentia, cum in ea concipiatur praesentia divini numinis. Denique summam attentionem: quia reverentia attentionem parit: unde quantum est reverentia, tantum est attentionis.

III.

Totum mundum esse veluti templum quoddam Divinitatis ipsius praesentia sanctificatum, ut ipsum ubique praesentem spectemus, ubique veneremur, laudemus, honoremus, semperque in ejus praesentia, velut in sacro quodam templo nos versari. Sed maxime templi instar habet anima nostra, quae toto mundo longe est capacior, et ad cultum divinum, ejusque in ea habitationem specialiter sanctificata; ibi procul a rerum externarum tumultu, in silentio cum ipso versemur, ipsum veneremur et colamus, ideoque.

IV.

Vitandos omnes impuros et inordinatos affectus, omnesque animae labes, quibus templum animae nostrae violatur et profanatur. Sicut enim certis quibusdam operibus, quae repugnant sanctitati loci cor-

poralis, violatur templum materiale, fitque cultui divino ineptum: ita quovis peccato, et maxime impuris cogitationibus et affectibus, violatur templum spiritale animae nostrae, fitque ineptum habitationi divinae. In malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap. i. Et quamvis Deus propter immensitatem essentiae non possit recedere reipsa, recedit tamen tum affectu tum effectu; quia odit tale habitaculum, nec vult in illud coelestem gratiae suae liquorem effundere, sicut sapiens unguentarius pretiosissimum balsamum vasi impuro nunquam infundet.

Actus.

I.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus. Isa. vi. Ita clamant Seraphim in visione illa mystica, qua gloriae tuae specimen et terribile judicium Judaicae execrationis Isaiae Prophetae ostendisti. Impleta enim populi illius peccatorum mensura, cum te in carne venientem repudiarunt, sanctitatem tuam trina compellatione, magno Trinitatis mysterio, ad vindictam provocant. Mundi enim sunt oculi tui, ne videas malum, et ad iniquitatem respicere non poteris. Habac. i. Cum enim sis ipsa sanctitas, summe tibi displicet omne peccatum, ideoque perdes omnes qui operantur iniquitatem. Ps. v. et xxvii. Nam sicut luci adversantur tenebrae, et pulchritudini deformitas, et puritati contaminatio, et vitae mors, et rectitudini obliquitas, et bonitati malitia, ita sanctati repugnat et odiosum est omne peccatum.

Unde sicut necessario sanctitatem tuam summe amas, ita necessario peccatum summe odisti, et infinita poena vindicas, nisi misericordia tua infinita praevenerit, et spiritu contritionis afflato poenitenti condonaverit.

II.

Nemo umquam tibi nisi per sanctitatem placuit: nemo qui ea praeditus, et ornatus, tibi umquam displicuit: haec sola filios tibi facit, et regni heredes: huic soli consortium gloriae et beatitudinis tuae promissum, et ante tempora saecularia praeparatum: ad hanc ab aeterno a te praedes-

tinati sumus in Christo, ut simus sancti et immaculati in conspectu tuo, et aeterna hereditate digni (ad Eph. i.)

Non potentiam, non sapientiam, non majestatis tuae celsitudinem, sed sanctitatem tuam nos imitari voluisti, cum sic praecepisti : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Lev. xi. Decet enim ipsum puritatis et sanctitatis fontem, omni puritate puriorem, omni sanctitate sanctiorem, ministros habere sanctos, et ab omni peccati labe immunes. Sed unde nobis, qui luteas domos incolimus, et in terrenis usu et cogitatione assidue versamur, tanta puritas, ut digne in conspectu et obsequiis tuis versari possumus? Si enim coelistes illi spiritus ab omni corporea concretione segregati, et ipsis coelis mundiores, adhuc infinite absunt ab ea puritate, quae ministerio tuo congruit, quanto nos intervallo ab ea distamus, qui ab illis incomparabiliter superamur? Sed haec est benignitas tua, quae servos suos, licet peccatores et terrenorum pulvere adspersos, non rejicit; sed potius ad se allicit; ut labes abstergat, tenebras illuminet, affectus sanctificet, et dignos praesentia vultus tui pro modulo naturae mortalis efficiat. Non requiris a nobis, quod sanctitatis tuae celsitudini est debitum, sed quod nostrae mortali imbecillitati consentaneum.

III.

Tibi gloria, tibi benedictio et gratiarum actio ab omni creatura in coelo et in terra, O sanctitatis auctor! Tu nobis Sanctum sanctorum dedisti, et in ipso fontem nobis perennem sanctificationis constituisti, in ablutionem peccatoris, et menstruatae. Zach. xxxi. Hunc tu per te ipsum tuam sanctitatem illi impertiendo, sanctificasti, et per hunc ceteros. Ab hoc sanctitas omnis manat in symbola externa seu Sacramenta; a symbolis per corpus transfunditur in animam : ab anima redundat in corpus, et in opera interna; ab operibus internis ad externa : ut sic totus homo, totaque vita ipsius sancta tibi devota et consecrata sit, et ad te summum bonum et ultimum finem, unde processit, reducatur, et in te quiescat. Sic creaturam tuam ad te revocas, sic consortio tuo dignam facis. Fac ut ex hoc fonte assidue hauriam, assidue laver, ut dealbem stolam meam in sanguine Agni. Amplius lava me ab iniquit...

mea, et a peccato meo munda me. Asperges me hyssopo in fonte isto instincto sanguine mystici passerculi, et mundabor; inde me lava, et super nivem dealbabor. Ps. l.

DE AMORE DIVINO.

Recollectio.

I.

Ut melius intelligatur amoris divini erga nos magnitudo consideranda sunt majestas amantis, conditio eorum quos amat, bona quae illis confert, et offert, modus quo amat, finis propter quem amat?

Qui nos amat est Deus ipse: infinitus, immensus, Sanctus, aeternus. . . . Hi quos amat sunt, si naturam spectes, infimi inter creaturas rationales, proni ad omne malum, inepti ad bonum, terrenis affixi, ingrati, carnales . . . Res plane admirabilis, tam vilem et ingratam creaturam tantopere a suo creatore dilectam esse. Quid est homo, quod memor es ejus? Ps. viii.

Spectanda bona quae nobis preparavit, vel dedit. Quorum primum est communicatio aeternae beatitudinis et regni sui: hoc bonum est infinitae aestimationis. Anima rationalis et immortalis. Gratia celestis, qua possumus gloriam promeri. Tota mundi machina. . . . omnia condita propter hominem. Angelica custodia, &c. Con- ·· cum his, quae mundus dare potest, quam tenua, fluxa, et fallacia?

II.

Diligit nos Deus ut pater filios: unde se patrem a nobis vocari jubet "Paternoster qui es in coelis." Videtur sane iste amor summus non solum intensione et ardore, sed etiam estimatione et pretio.

Considerandus finis hujus dilectionis. Non est sui commodi causa, sicut principes saepe diligunt suos famulos nos dilexit, sed commodi nostri: nimisum, ut nos regni sui faceret participes, ut inexhaustum lucis et bonitatis suae fontem in nos derivaret. Nec obstat, quod hoc totum referet ad gloriam suam: hoc enim ipsa rerum natura postulat. Omnis enim creatura ex essentia sua ordinatur ad ipsius gloriam: finis hominis, et totius creaturae rationalis est, servire gloriae Dei, ipsum cognoscendo, amando, laudando, colendo. Id rectus ordo postulat, cum creatura nulla sibi sit ultimus finis, sed Solus Deus, et in Deo Solo quiescere debet ejus appetitus.

Actus.

I.

O quam suavis et benignus est, Domine, in omnem creaturam spiritus tuus! Tu enim cum nullius indigeres, tibi ipse sufficientissimus, omnia ex nihilo condidisti, ut singulis, pro captu cujusque, bonitatis tuae dulcedinem, et pulchritudinis tuae specimen impertires. Non commodi aut utilitatis tuae causa ea fecisti, sed ut ipsis esset bene, ut ipsa pro modulo suo bonis tuis participarent, et benignitatis tuae gustarent fructum. Itaque a te omnia ex abysso sui nihili excitantur, accipiunt esse adeo omnibus amabile, accipiunt speciem et pulchritudinem, appetitum boni et fugam mali, vires et functiones, impetus et motus, situm et ordinem, perfectionem et terminum. Singulis enim donas quod cuique commodum et amabile. Animantibus etiam sensum boni et jucundi multiplicem largiris, et beatitudinis quandam umbram et extremum. Hinc omnia te laudant, tacitisque vocibus tibi sacrum hymnum pangunt, quo tuam potentiam, sapientiam, bonitatem et providentiam clarissime celebrant. Coeli enim enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquaelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Ps. xviii. Sed longe excellentius in nostro genere haec benignitas tua elucet. Tu enim nos ad imaginem et similitudinem tuam condidisti, vultus tui charactere nobis impresso, intellectu, memoria et voluntate instruxisti, quibus capaces Divinitatis, gloriae et beatitudinis tuae effecti sumus; divinis praesidiis et ornamentis ad haec tanta bona promerenda et consequenda cumulasti; Angelos in tutelam et directionem assignasti, denique totum mundum cum omnibus bonis et opibus suis in domicilium et solatium nostrum fecisti, et nobis tradidisti. Quid his beneficiis majus, hac benignitate admirabilius cogitari possit? praesertim cum eo consilio haec omnia feceris, ut nos in divinum statum eveheres, beatitudinis tuae participes efficeres?

Cum enim omnis gloriae et beatitudinis ex teipso super-

plenissimus sis, non potuit se continere benignitas tua, quin tantorum bonorum creaturam suam faceret participem. Hinc consilium condendi Angelos et homines, qui tantae rei essent capaces; et propter homines mundum universum, et opes ejus omnes. Quis umquam monarcha terrenus extremae sortis mancipia evexit ad communionem regni? Et tamen in his est naturae paritas; et solius fortunae rerumque externarum discrimen: nos vero non solum infinite a te distamus naturae conditione, sed etiam infimum gradum inter creaturas intelligentes tenemus. Nihilominnus prae caeteris omnibus nos dilexisti, et divitias bonitatis tuae copiosius in nos effudisti: nimirum hoc est benignitatis ingenium, demittere se ad infima, colligere abjecta, attollere humilia, et ubi major est inopia ibi magis suas opes erogare et opem ferre. S. Bern.

II.

Vere tu es amor omnipotens, benevolentissima virtus, lumen aeternum, incommutabilis ratio, aeterna dulcedo, creans mentem ad te participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, foecundans ad fructum, dirigens ad aequitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Sic nos coronas in misericordia et miserationibus, sic undique beneficiis tuis imples et cingis, ut nobis benignitatem et amorem tuum declares, et ad vicissim amandum excites. Per amorem ad nos descendis, ut amoris in nobis ardorem accendas, et per illum sursum corda nostra rapias, et in te convertas. Sicut ignis vi ardoris sui omnia in se convertit, sic tu ignis consumens, vi amoris.

III.

Accende corda nostra igne amoris tui, et ea in te converte, ut nihil praeter te et tua cogitemus nihil sapiamus, nihil sentiamus, nihil loquamur, nihil optemus. Ille nos excedere faciat a nobis, nostrique, quasi non simus, oblivisci, et in te migrare, in te commorari, vivere et delectari. Ille faciat vitam nos-

tram gloriae tuae impendere, nulla pericula formidare, nullos labores detrectare. Ille omnia mundana nobis vertat in amaritudinem et omnia aspera pro te suscepta in dulcedinem, ut contumeliam putemus gloriam, inopiam divitias, persecutiones prosperitatem, infamiam nominis celebritatem, morbos solatia, mortem vitam. Omnia enim hujus vitae mala amore tui tolerata, meliora sunt omnibus hujus saeculi bonis. Per illum tu nobis sis vita et refectio, domicilium et possessio, divitiae et gloria, fortitudo et refugium, quies et solatium, protectio et securitas, gaudium et beatitas. Amen.

DE DOMINIO DEI.

Recollectio.

I.

Dominium generatim duplex est: Jurisdictionis, et Proprietatis. Primum est potestas gubernandi subditos. Secundum accipitur pro jure disponendi de re aliqua pro arbitratu suo. Deus habet Dominium lato sensu sublimioribus titulis. Primus est titulus creationis: quia omnia ex nihilo solus creavit. Hic titulus est praestantissimus, et summum jus tribuit, cum dependentia creaturae a Deo per creationem sit essentialis et summa, summum dominium et jus Deo tribuit. Apostolus, Rom. ix., explicat hoc dominium similitudine juris quod figulus habet in fictile; ubi ostendit: Deum habere tantum juris et potestatis in singulos homines, quantum figulus in vasa fictitia; imo jus Dei in creaturas est longe majus, nam creatura pendit a solo Deo quoad omnia, et quamvis in multis utatur causis secundis, has ipsemet instituit, et opus its non habet.

Secundus titulus est conservatio: non enim satis est creaturam semel fecisse; sed opus est assidua conservatione, ut in esse permaneat. Sapient. xi.: Quomodo possit aliquid permanere, nisi tu voluisses?

II.

Praeterea S. Scriptura passim Deo tanquam auctori tribuit operationes et effectus causarum naturalium. Matt. v.: Qui solem suum oriri facit

super bonos et malos, &c. Ps. ciii.: Qui producit in montibus faenum, et herbam servituti hominis. Et ex aliis locis demonstratum Deum assidue ubique et in omnibus operari. Haec consideratio tollat anxiam solicitudinem rerum hujus vitae? certa fide tenendum esse, res omnes creatas a Deo pendere, et ejus assiduo influxu egere: unde nihil potest ab ejus jurisdictione esse exemptum. Quare merito dicitur. Tim. i. 6: Rex regum, Dominus Dominantium. Ipse supremus legislator, a quo omnis lex justa descendit. Ipse supremus judex, qui Angelos et homines, vivos et mortuos est judicaturus, et singulis praemia vel supplicia retribu, et qui etiam occultissimas cogitationes nostras in lucem proferet, discutiet . . . cui de omni verbo otioso reddituri rationem?

III.

Deinde, Deus est ultimus finis omnium, cujus gratia sunt omnia, non solum quoad usum, sed etiam quoad substantiam, et prima rerum elementa; homo vero non est finis ultimus rerum inferiorum, cum et ipse met cum omnibus bonis suis sit propter universi integritatem, sicut pars propter totum, et universi integritus sit propter Deum, et usus homini est concessus.

Sequitur: Nos quadruplici titulo esse servos et mancipia Dei: creationis, conservationis, redemptionis et relationis ad ipsum, ut ad ultimum finem nostram? Hos titulos dominatus divini et nostrae servitutis esse assiduo versandos animo ut mens contineatur in humilitate, et in reverentia, ac subjectione tanti Domino, cui tantum in nos juris et potestatis, &c.

Actus.

I.

Exaltabo te Deus meus Rex, et benedicam nomen tuum in seculum, et in seculum seculi. Tu enim es Rex regum, et Dominus dominantium. In ditione tua universa sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuae. Ps. cxliv. 1, ad. Tim. vi.; Esther xiii. Ordinatione tua perseveraut omnia, et legem quam eis posuisti custodiunt, et singula pro captu et modo suo serviunt tibi, teque Rectorem ac Dominum confitentur. Summum in omnia tenes imperium, potesque de omnibus pro arbitratu tuo statuere, nec quisquam a te exigere potest rationem, et dicere: Cur sic facis? Omnes Reges et Monarchae terrarum cum omni splendore et magnificentia sua, cum regnis et exercitibus suis, cum divitiis

et gloria sua, veluti terrae vermiculi sunt coram te, et instar nihili in conspectu tuo. Minimi servorum tuorum, qui in cœlesti palatio tibi serviunt, longe sunt majores omnibus illis; nec quisquam illorum, majestatem vultus unius ex istis sustinere posset. Quanta ergo est gloria majestatis tuae, quae omni angelica majestate infinite est major et excellentior? Vere tu magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis tuae non est finis. Ps. cxliv. Regnum tuum, regnum omnium seculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem. Reges terrae et regna eorum repente corruent, et ad nihilum redigentur; regnum autem tuum in aeternum stabit, et omnes inimici tui subjicientur pedibus tuis.

II.

Figmentum tuum sumus omnes, et opus manuum tuarum, tu plastes et fictor noster; quidquid sumus, possumus, habemus, a te accepimus, tua sunt omnia, qui omnium es artifex et inventor. Omnia de nihilo extraxisti, ex profundo tenebrarum, et abysso non entis. Suspendisti ea in esse, in lumine vultus tui; ut singula juxta species et formas suas fulgeant mentibus nostris, tuamque majestatem insinuent. Sicut pondus in aëre suspensum assidue teneri debet, et si vel ad ictum oculi dimittatur sibi; deorsum ruit: ita tota creaturarum universitas omnipotenti dextera tua continue in esse et natura teneri debet, et si vel ad momentum laxaveris manum tuam, statim in nihilum suum corruet, et velut umbra peribit. Nulla coram te est soliditas montium et saxorum, nulla durities ferri et adamantum, nulla firmitas cœlorum et astrorum; nihil horum sine perpetuo influxu fotuque lucis tuae consistere potest. Tu ergo omnium Dominus, a quo assidue fiunt et pendent omnia; qui omnia sustentas, ne corruant, foves, ne tabescant, contines, ne diffluant, constringis, ne dispereant. Tu omnium inventor, auctor, formator, servator, sustentator, exemplar et finis. Propter te sunt omnia, ut serviant gloriae tuae; rationalia, ut te cognoscant, ament, colant et laudent; irrationalia, ut usibus nostris serviant, et sua admirabili specie mentes nostras in admirationem et amorem tui excitent. Neque ideo viliores aut miserabiliores sumus, quia propter te sumus,

et omnia nostra ad tuam gloriam destinantur. Haec enim est natura nostra, hoc summum bonum nostrum, gloriae servire tuae. Tibi enim servire, regnare est; tibi obedire, iter vitae aeternae. Melius est tibi servire, quam totius mundi tenere imperium.

III.

Magna fascinatio mortalium tantopere aestimare et sitire imperia, regna, gubernationes et praelaturas, quibus aliis praesint, et seipsos negligant: nihil non agere, jus omne et fas proterere, ut assequantur hanc umbram felicitatis, veri boni et salutis aeternae impedimentum.

Nihil enim est, quod vel animum magis avocet a coelestibus, et implicet terrenis; vel majorem peccatorum suppeditet occasionem, vel effrenatiorem tribuat peccandi licentiam, vel ampliorem exequendi copiam, vel salutares magis arceat monitores, vel magis aggravet peccatorum culpam, vel magis oneret peccatis alineis: quam principatus et praelatura? Quamquam qui non honoris et commodi sui causa, sed ut bono publico prosint, et plurimos ad salutem dirigant, eam susceperint et rite administraverint, magnum praemium ob rei difficultatem, et boni quod procurant amplitudinem a te consequentur. Sed longe tutius est in imo delitescere, et suae salutis curam agere. Da mihi, Domine, laudes humanas contemnere, honorem mundi fugere, et amare nesciri ab hominibus. Satis mihi sit nosse te, et cognosci vicissim abs te: servire tibi, et servitutem tui omnibus mundi imperiis anteponere, omnibus dignitatibus et honoribus praeferre. Haec sit gloria mea, haec eminentia et sublimitas, haec omnis dignitatis titulus et insigne.

DE MISERICORDIA DEI.

RECOLLECTIO.

I.

Quum enim Deus omnis boni, omnisque perfectionis, et felicitatis sit fons, auctor, et largitor, ipse quoque omnis miseriae est peremptor et exterminator: in qua tollenda quatenus movetur affectu be-

nevolentiae, ut creaturae bene sit, est actus charitatis: quatenus vero displicentia illius inordinati, est actus distinctae virtutis misericordiae. Misericordia Dei maxime commendatur in Scripturis. Exod. xxxiv.: Deus misericors et clemens, patiens et multae miserationis, qui aufers iniquitatem, et scelera atque peccata. Ps. xxxii.: Misericordia Domini plena est terra.

Magna et admirabilis est misericordia prima; qua omnia ex profundo nihili educta, ad celsitudinem essentiae et naturae sunt evecta. Verum infinite praestantior est misericordia secunda qua omnia ad supernaturalem ordinem elevata: nam infinite praestantior est gratia quam natura, est status ille divinus quam condititio naturalis, et communicatio bonorum divinorum quam omnia dona naturalia. Sed et hac misericordia infinite praestantior est tertia, qua divina natura copulata est humanae in unam personam, per quam nobis praestita redemptio, remissio peccatorum, justificatio, et omne bonum. Presertim, Quis estimet ereptionem, tum in genere, tum in individuo—forse in me ipso—a perriculis damnationis?

Quod a multis damnationis aeternae periculis erepti, et ad poenitentiam et salutem reservati; Cogita quoties gehennam sis commeritus, quoties iram divinam et coeleste fulmen in caput tuum accerseris; et tamen Dominum tibi pepercisse, vitamque prorogasse, tempus concessisse poenitentiae, quod aliis innumeris, qui minora peccaverant, est negatum? Sunt enim innumerabiles aeternis incendiis addicti, qui tamen paucioribus quam tu peccatis fuere obnoxii. Quid divinae clementiae pro tanta rependes indulgentia? Toties enim ab inferorum faucibus liberasse censeri debet, quoties te id merentem non praecipitavit; quoties tibi prae aliis infinitis te melioribus seu minus malis pepercit, et culpas emendandi tempus concessit. Vide ergo ne illud Apostoli ad Romanos ii. in te locum habeat: An divitias bonitatis ejus (Dei) et patientiae et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.

Deinde quod ad Sacerdotium novi Testamenti evectus? Hoc ad omnes Sacerdotes praecipue pertinet. Nihil majus umquam ulli creaturae in coelo aut in terra collatum. Quid enim majus esse potest, quam posse peccata remittere, injurias Dei condonare, impios Deo reconciliare, animas ex faucibus inferni eripere, ex filiis irae, filios Dei creare, spiritum adoptionis infundere,

jus coelestis regni amissum, restituere: et quod his omnibus est admirabilius, divinissimam illam hostiam consecrare, Corpus et Sanguinem Christi (juncta anima et unione Verbi) conficere, et sui Conditoris, ut ita dixerim, esse conditorem et auctorem, aliaque stupenda, quae huic mysterio implicata, patrare, et divinum Numen humanis rebus conciliare? Nihil sane his admirabilius aut grandius animo concipi potest. Non enim minus est mirabilis aut difficilis peccati remissio, impii sanctificatio, hominis deificatio, Corporis Christi consecratio, quam coeli et terrae creatio; omnia enim infinitam virtutem et auctoritatem requirunt. Haec tamen potestas non Patriarchis aut Prophetis, non Angelis aut Archangelis, non Cherubinis aut Seraphinis nobilissimis purissimisque spiritibus, non ipsi denique Dei Matri sanctissimae concessa est; sed tibi indigno, terreno, luteo, peccatori, prae aliis innumeris te melioribus divina miseratione indulta.

Et quid beneficium sit pro Religiosis. Quod ad Religionem adductus! Magnum est hoc et inaestimabile beneficium, quibus ea sors obtigit: est enim consilium Christi magni Doctoris nostri, prioribus saeculis absconditum, mundo quidem ignotum et paradoxum, sed sapientiae et fructus plenissimum. Magni solatii est homini, si conscius sibi sit, quod consilium Dei sit secutus?

II.

Superest ut dicamus, quid debeamus tantae benignitati pro tot tamque inaestimabilibus et immensis bonis rependere, ne ingratitudinis vitium incurramus; quod sane vitium est pessimum et salutis peremptorium. Nam, ut Sanctus Bernardus sermone 51, in Cantica ait: Ingratitudo inimica est animae, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiae. Hoc ut evitemus, quatuor potissimum a nobis gratitudo, quae ei rependamus, deposcit: memoriam, amorem, servitutem seu obsequium, et perpetuam cum gratiarum actione laudem. Haec ordine ex virtute gratitudinis sequuntur, et per haec, quo potest modo, beneficia accepta compensat.

III.

Primum quod rependi debet, est beneficii memoria. Nihil sane minus referri potest benefactori, quam memoria beneficii, qua is qui accepit, illud sibi gratum esse, et a se aestimari ostendit. Unde ingratissimus est, qui beneficii accepti ne recordatur quidem, aut ad memoriam

aliquando revocat. Indicat enim eo neglectu, se illud parvi aut nihil ducere, nec mereri, ut ejus consideratione animum occupet.

Secundum quod debemus rependere, est amor in benefactorem. Cum enim nihil dignum in vicem tantorum beneficiorum reipsa possimus praestare, par est ut saltem affectu compensemus. Hoc autem fit amore, qui bonum quod conferre non potest, vel gratulatur si adsit, vel optat si desit, vel procurat si potest. Sed quo modo hunc amoris ignem in nobis accendemus? beneficiorum attenta et assidua commemoratione. Sicut enim solis radii speculo excepti, et in unum collecti, calorem ingentem et etiam ignem excitant, ita divina beneficia mente collecta, et attentius considerata, fervorem charitatis et amoris coelestem ignem in cordibus nostris accendunt. Unde contemplativi docent, non esse efficaciorem rationem ad extaticum amorem, quo mens a sensibus abducta in Deum veluti liquescit, pertingendi, quam per divinorum beneficiorum considerationem.

Deo rependere debemus gratiarum actio, laus et benedictio.

Certe nos debere Domino Deo nostro gratiarum actionem infinitam : nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu et significatione gratitudinis, et infinita cum animi demissione. Ratio est, quia beneficia ejus et sempiterna sunt, et infinitae aestimationis, tum in seipsis, tum ratione modi quo nobis sunt collata : et nos illis infinite quodammodo indigni. Simili modo debemus illi infinitam laudem et benedictionem, infinitum amorem et obsequium, tum quia infinito amore, obsequio, benedictione et laude ob infinitam suam perfectionem in se dignissimus est : tum quia ipsus beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamvis ex parte creaturae ea praestari non possit. Ut tamen ex parte nostra praestemus quod possumus, animos nostros ad laudes divinas crebro excitemus, et cum Propheta dicamus. Ps. cxliv.: Exaltabo te Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in seculum, et in seculum seculi. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum, et in seculum seculi. Rursus Ps. lxxxviii. : Misericordias Domini in aeternam cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo, &c. Ps. xxxiii.: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, &c.

Actus.

I.

Misericordias Domini in aeternum cantabo (Psalm lxxxviii.), *miserationes ejus magnas et stupendas, antiquas et novas, quarum non est numerus. Misericordia enim Domini plena est terra, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ps. xxxii. Tu, Domine Deus meus, primitus de nihili tenebris in lucem essentiae, in speciem et naturam nos eduxisti; in naturam eximiam, inexterminabilem, vultus tui signaculo insignitam, et maximis ornamentis cumulatam; nimirum ut notitiam aliquam et sensum tui ac bonorum tuorum habere possemus. Ornasti sensuum vigore, quo totum hunc mundum corporeum, et omnia quae in illo continentur (in quibus potentiae, sapientiae, et pulchritudinis tuae vestigia mire elucent) possemus comprehendere et discernere. Ornasti mente et rationis judicio ad notitiam veri, ad judicium boni et mali, ad ascensum ex sensibilibus ad intelligibilia; ornasti memoria ad recordationem praeteritorum, ne semel percepta effluerent, ne novo semper opus esset ad intelligendum labore: ornasti voluntate ad fugam mali et sequelam boni, ad fruitionem finis obtenti, et in primis ut tibi summo bono, et amore conjungamur, et fruitione inhaereamus. Et admirando plane et inaudito consilio nostram perditionem miseratus Filius tuus tibi consubstantialis et coaeternus nostram naturam assumeret, et homo passibilis similis nobis effectus, divinae justitiae nostro nomine suis cruciatibus suaque morte satisfaceret.

Nostram naturam apprehendens, et arctissime in unitatem personae sibi adstringens, nascitur ex virgine, prodit in mundi hujus tenebras, nostrae mortalitatis excepturus miserias, famen et sitim, frigus et aestum, nuditatem et pauperiem, labores et fatigationes, probra et contumelias, persecutiones et insectationes, moerores et dolores, acerbitates et cruciatus, crucem denique et mortem. Nascitur in stabulo ut pauper et peregrinus pannis involvitur et fasciatur ut infans, vagit ut mortalis circumciditur ut Legi subjectus, fugit ut invalidus, latet ut imbecillis,

vitam agit ut obscurus, parentibus obedit ut subditus, conversatur ut homo vulgaris, tempus manifestationis suæ expectans: quo appetente, baptizatur a servo quasi peccator, jejunat in deserto, tentatur a diabolo, rudes sibi adoptat discipulos, sensimque eos erudit ad perfectionem, obit totam cum eis regionem, salutis viam docens populos, sanans infirmos, consolans afflictos, oppressos a diabolo liberans, peccatores justificans, ignorantiae tenebras discutiens, mundum illuminans, miraculis coruscans, et Divinitatis suae veluti stricturas quasdam mortalibus ostentans, ad vitae emendationem et salutis curam omnes excitans.

II.

Vicisti, Domine, misericordia tua omnia exempla, vicisti omnia ingenia, et omnem expectationem creaturarum omnium. Quis ista considerans, non vicissim amet te? quis non sit paratus se totum in tuum obsequium et honorem addicere ac impendere, qui tam multis modis teipsum totum in nostram salutem impendisti et superimpendisti? Quid enim sunt obsequia nostra ad beneficia tua, ad actiones et passiones tuas, et vita nostra ad vitam tuam? gutta ad mare, calculus ad montem, pulvisculus ad globum terrae, imo adhuc longe minus; quia finite ad infinitum nulla proportio. Quid ergo rependimus tibi, cum vitam nostram et omnia nostra tibi consecramus, praesertim cum tot aliis nominibus et titulis haec tibi sint obnoxia et debita? Debit quispiam decem millia talentorum Principi ex furto, et alia decem millia ex damno dato, et alia ex mutuo, et tantumdem ex exemptione, habet tantum minuta duo: an Princeps ille putabit duobus minutis sibi pro tot debitis tam ingentibus satisfactum? minime gentium. Sed haec est bonitas et misericordia tua. Etsi tanta et tot nominibus tibi debeamus: tamen si duo nostra minuta, animam scilicet et corpus, obsequio tuo tradimus, acquiescis, et satis tibi factum putas, majora non exigens: et tamen ea ipsa in re non tibi prosumus, sed nobis consulimus. Servire enim tibi, regnare est: et omnibus relictis tibi soli vacare, soli inhaerere, summum bonum nostrum.

III.

Vae mortalium caecitati, quae haec non considerat! Illumina tenebras meas, lux mea, ut magnitudinem misericordiae tuae, et multitudinem miserationum tuarum, cognoscam, et cognitam aestimem, et suis appretiem momentis, quantum fas in tenebris hujus vitae, eaque mihi semper ob oculos versentur, ut anima mea tanta benignitate tantisque beneficiis provocata, vicissim inflammetur in amorem tui, seque totam tibi devoveat et consecret. Serviat tibi omnis vita mea, intenta sit in gloriam tuam omnis cogitatio, omnis fortitudo, omne studium, omnis actio mea. Exhauriantur in tuum obsequium omnes vires animi ac corporis mei, ut aliquid saltem tuo rependam amori, nec omnino ingratus coram te inveniar. Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino; et noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum, quando renovabitur ut aquilae juventus tua. Ps. cii. Benedicite pariter mecum Domino omnes Angeli et Archangeli, omnes Principatue et Potesates, omnes Virtutes et Dominationes, omnes Throni, Cherubim quoque atque Seraphim benedicite, laudate et superexaltate illum in saecula, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Laudent illum coeli, terra, mare, et omnia quae in eis sunt, laudent et superexaltent in saecula. Illi honor, illi benedictio, illi gratiarum actio ab omni creatura, in omni loco dominationis ejus, in omnes generationes saeculi saeculorum.

DE ULTIMO FINE.

RECOLLECTIO.

DEUM ESSE ULTIMUM FINEM, CUJUS GRATIA SUNT OMNIA.

I.

Sicut Deus est suprema et prima causa efficiens omnium, ita etiam est ultimus finis. Unde Apocalypsis i.: Ego sum . . . principium et finis. Quibus verbis Deus declarat, se esse qui omnibus rebus per creationem initium dedit, et iisdem finem imponet terminando cursum hujus seculi, &c. Quare cum universitas rerum creatarum subsit dominio Dei, sitque natura sua ad hoc instituta ut illi serviat, ipsum esse finem cujus gratia omnia.

II.

Finis igitur quem Deus ultimo in creatione et gubernatione totius universi spectavit, debuit esse quid extrinsecum, quale est, habere filios similes sibi; participes gloriae et beatitudinis Divinae, ipsa Dei objectiva extrinsica potissimum consistit in his filiis, cum in illis tanquam in imagine profectissime reluceant et representententur omnes divinae perfectiones multo magis quam in ulla alia re creata, vid, potentia, sapientia, bonitas, majestas, &c. Deinde etiam gloria formalis in iisdem sita erit, vel ab illis proveniet: gloria enim formalis est excellentiam divinam videri, amari, quotari. Ex omnibus justi enim etsi in hac vita dicantur filii ejus Dei. Joan. i.; Rom. viii.

III.

Unde considerandum, Deum in scripturis omnes vocare ad salutem, omnes justos hortari ad perseverantiam, et ad assiduum in justitia profectum, omnibus perseverantibus promittere vitam eternam, omnibus non perseverantibus, et omnibus peccatoribus minari damnationem? de sacerdotibus—quid?

ACTUS.

I.

Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? Ps. iv. Vanitas sunt omnia ista, quae tanto studio sectamini, honores, divitiae, voluptates, quorum causa omnes animae opes, quibus solida et aeterna po-

teratis comparare, frustra expenditis. Vanitas vanitatum et omnia vanitas, dixit Ecclesiastes i., ista omnia expertus, et alta mente contemplatus. Merito vanitas, quia ad finem, ad quem conditi sumus, nihil prosunt, sed plerumque etiam plurimum obsunt. Mendacia sunt omnia ista, promittentia felicitatem, et adferentia miseriam. Vere filii hominum non filii Dei, qui ista quaerunt, mente caeca, cupiditate inconsulta, labore inutili et pernicioso. Non ad ista creati sumus, et in hoc mundo constituti; non in illis situm bonum nostrum, et requies nostra, terrena sunt et temporanea, non possunt animum, cujus natura cœlestis et aeterna, cujus capacitas immensa, cujus dignitas suppar angelis, perficere vel satiare. Quod ergo est verum bonum nostrum? Quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti laetitiam in corde meo. Ps. iv. Solum lumen fidei hoc bonum nobis ostendere potest, et viam qua ad illud pervenitur: cujus rei cognitio incredibilem animo laetitiam adfert. Quid enim optabilius quam nosse summum bonum, finemque ultimum, et tenere viam certissimam, qua ad illud pervenitur? sine hac notitia, omnis alia sapientia inutilis, nec sapientiae nomine digna.

II.

Oh admirabilem, beatam et gloriosam unionem in qua simul et summum bonum nostrum, et summa gloria tua reposita! per illam enim efficimur participes Divinitatis et omnium bonorum ac gaudiorum tuorum; et per eamdem Divinitas tua summe fulget extra se in speculo mentis creatae, sicut intra se fulget sibi. In aliis rebus creatis, ut in mundi fabrica, et variis rerum gradibus, elucent tenues quidam radii Divinitatis tuae, ex quibus tuam potentiam, sapientiam, bonitatem quasi conjectando cognoscere possumus; at in mente nostra sic elevata et unita tibi splendet tota Divinitatis plenitudo, totaque relucet ejus pulchritudo: ita ut quamvis in se unica sit, miro tamen modo multiplicetur, ut tot videantur esse Divinitates, quot sunt beatae mentes. In hac unione omnia bona nobis affluent, eritque omnium nostrorum desideriorum consummatio: affluet potentia; quia erimus reges et filii Dei: affluet sapientia; quia ipsum sapientiae fontem tenebimus, et contem-

plabimur: affluet sanctitas; quia eximius ille amor est summa sanctitas et omnium virtutum perfectio: affluent divitiae; quia regnum coelorum et omnes ejus opes nostrae erunt: affluent honores; quia omnes tamquam filii Dei excipiemur et honorabimur: affluet pulchritudo; quia corpore instar solis fulgebimus, mente instar Divinitatis: affluent gaudia et delectationes; quia omnes inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos (Ps. xxxv.); sicut enim erit incomprehensibilis copia bonorum, ita etiam erit et gaudiorum ac delectationum: affluet pax et securitas; quia nihil nec foris, nec intus umquam turbare poterit: nihil accidere triste vel quod minus gratum, simulque certissimi erunt, hunc statum fore eis sempiternum.

III.

Itaque haec unio in qua et summum bonum nostrum, et summa Dei gloria, nobis unice sit cordi, et ad eam supra omnia adspiremus. Bona hujus vitae quantumvis magna videantur, prae illo bono vilescant nobis omnia, et instar nihil reputentur. Omnes nostrae cogitationes, curae et labores ad illud tendant, nec usquam nisi in illo sit menti nostrae requies. Verum, quia tantum bonum longe positum est supra vires nostras, ad te confugimus, O benignissime Deus, ut qui sola bonitate tua infinita nos ad tantum et tam sublime bonum ab aeterno destinasti, et ut ad illud nos perduceres, mundum condidisti, carnem assumpsisti, mortem sustinuisti, et alia innumerabilia designasti: benignitatem tuam in nos continues, neque illam ob ingratitudinem vel negligentiam nostram, vel alias humanae vitae labes, quae subinde per fragillitatem subrepunt, abrumpas vel imminuas: sed potius adaugeas, memor aeterni consilii tui et omnium miserationum tuarum, quas hactenus praestitisti nobis. Illumina mentes nostras lumine Spiritus tui, quo et mundi istius, cujus praestigiis plerique pereunt, vanitates et pericula, et aeternorum bonorum, quae nobis in te praeparasti, excellentiam et suavitatem possimus cognoscere. Fac ut illa nobis semper ob oculos versentur, et vehementem in animis nostris impressionem faciant, qua ad caducorum omnium contemptum, et ad ae-

ternorum amorem ac studium impellamur. Numquam flaccescant desideria, suspiria, et conatus nostri, donec ad vitae hujus terminum perventum fuerit: in quo per gratiam tuam digni inveniamur regno tuo, et quiete illa aeterna, qua omnes Sancti in te ultimo fine et summo bono suo, per visionem et amorem cum ineffabili gaudio, omnium votorum suorum compotes effecti requiescent.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES

CUM ORATIONIBUS CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

PSALMUS I.

Ps. vi.—*Est pia poenitentis precatio.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri, &c.

Oratio contra superbiam.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus: factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ego vilissimus terrae vermiculus, ego pulvis et cinis, ego peccatorum maximus, qui millies infernum merui, non verear me animo efferre? Propitius esto mihi, Domine: agnosco, et detestor execrabilem arrogantiam meam. Ne, obsecro, cum superbo Lucifero, ejusque adseclis, in gehennae barathrum me deturbes: convertere, et eripe animam meam: adjuva me, et salvum me fac propter misericordiam tuam. Elegi inposterum abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ps. lxxxiii. 11.

PSALMUS II.

Ps. xxxi.—*Beatus, qui a peccato liber est.*

Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum : nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me : exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris : firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

Oratio contra Avaritiam.

Quid mihi est in coelo, et a te, quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum. Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu : satiabor, cum apparuerit gloria tua. Eheu! quod tanto hactenus studio Mammonae servivi : Et quid mihi proderit, si universum mundum lucratus fuero, animae vero meae detrimentum patiar? Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remittes, ut spero, impietatem peccati mei : pauperis in posterum miserebor, male parta restituam, et tuo me servitio ferventius impendam. Tu, Domine, adjuva me, qui reples in bonis desiderium meum. Ps. cii. 5.

Psalmus III.

Ps. xxxvii.—*Describitur miseria peccatoris.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meas

supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt, et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei, adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine, Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri, &c.

Oratio contra iram.

Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam! in hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur! quis exorabit pro delictis illius? His verbis mihi, Domine Deus, loqueris per servum tuum filium Sirach. Et ego posthac iram aut odium contra quemquam fovere audeam? Parce, Domine, parce malitiae et pertinaciae meae, in qua huc usque perseveravi. Ex anima nunc ignosco et remitto, quidquid ullus unquam in me peccavit; supplexque oro, Domine, ne in furore tuo

arguas me, neque in ira tua corripias me; utinam tamquam surdus in posterum non audiam, et sicut mutus non aperiam os meum, quando inimici mei contra me insurgunt, et vim faciunt, qui quaerunt animam meam. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me: quoniam tu es patientia mea. Ps. lxx. 6.

Psalmus IV.

Ps. l.—*Est pia Davidis poenitentis oratio.*

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae, et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Oratio contra Luxuriam.

Pater, peccavi in coelum, et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus. Quid faciam miser? Non enim per-

manebit spiritus tuus in homine, quia caro est. Ah! miserere mei, miserere. Quod enim tot reproborum milibus, quos hodie dum abominanda luxuriae pestis in gehennam praecipitat, raptus non sim, infinitae tuae bonitati adscribo. Ergone iterum peccabo? Iterumne pretiosissimum Sanguinem tuum, O Jesu! in ablutionem scelerum meorum effusum, amore bestialium voluptatum conculcabo? Absit, O Jesu! absit; obsecro te, O Fili castissimae Virginis Mariae; a spiritu carnis libera me. Amplius, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Psalmus V.

Ps. ci.—*Oratio est ad avertenda peccati mala.*

Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso

sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

Oratio contra Gulam.

Me miserum! qui te, Dominum Deum, fontem aquae vivae reliqui, et mihi fodi cisternas delectationum terrenarum, cisternas dissipitas, quae continere non valent aquas. Vere oblitus sum comedere panem meum, panem vitae, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem, ventremque porcorum siliquis implere studui: adhuc escae erant olim in ore filiorum Israël, cum ira Dei descenderet super eos: et mihi toties est parcitum, qui cibi potusque intemperantia, tuam, Deus, imaginem et similitudinem brutis non raro similem feci! utinam imposterum cinerem tamquam panem manducem, et potum meum cum fletu misceam! cibusque meus sit, tuam in omnibus facere voluntatem, qui torrente voluptatis tuae potabis nos. Ps. xxxv. 9.

PSALMUS VI.

Ps. cxxix.—*Ut a culpa et poena liberemur.*

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.
Gloria Patri, &c.

Oratio contra Invidiam.

Sic, mi Deus, dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares; ut omnis, qui credit in te, non pereat, sed vitam habeat aeternam. Tu solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos: et ego, dum aliis bene est, invidia exstimuler, omnia mihi ex voto evenire exoptem, proximi tamen vel minima felicitate contrister? O inhumana amantia! O virus infernale! Ignosce, clementissime Pater, quod in eo hactenus a me peccatum est. Benigna est misericordia tua. Fac, ut et ego ex hoc momento induam, sicut electus Dei, viscera misericordiae: benignitatam, et super omnia charitatem habere studeam, quod est vinculum perfectionis. Colos. iii. 34.

PSALMUS VII.

Ps. cxlii.—*Poenitens a via peccati optat reduci.*

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi, et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me, in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, &c.

Oratio contra Acediam.

Ecquando, mi Deus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis, uti par est, te amare et laudare incipiam, qui in charitate perpetua dilexisti me, tibique me sponsasti in sempiternum: Eheu! dormitavi; anima mea prae taedio. Vae mihi, qui adeo hactenus in tuo servitio fui tepidus, ut merito formidare possim, ne me incipias evomere ex ore tuo. Sed parce, Domine: non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Expando manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus. Spiritus autem tuus bonus deducet me in terram rectam. Et propter Nomem tuum, Domine, vivificabis me.

PSALMUS CXI.

Beati timentes Deum, miseri peccatores.

Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in seculum seculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors et miserator et justus.

Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio: quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri, &c.

Oremus.

Ut liberati a malo, confirmati semper in bono, tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone, Domine, finem peccatis nostris: da gaudium tribulatis: praebe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiemque defunctis: concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris, frange audaciam inimicorum nostrorum, et exaudi Deus, orationes servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hac die et in omni tempore. Per, &c. &c. ℟. Amen.

PSALMUS CXXVI.

Vanus labor est sine ope Dei.

Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est nobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii; merces fructus ventris.

Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, &c.

Oremus.

Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando a te toties discessi: quo enim ibo, nisi ad te? si tu me repellis, quis me sussepiet? si tu me condemnas, a quo veniam sperabo? firmissime quidem antehac statui servare justificationes tuas; omniaque peccata, potissimum illa . . . vitare; sed eheu! instabilis factus sum et concupiscentiae illecebris seductus, te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam? quo me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita et resurrectio nostra? Respice in me Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti et miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis quot ille, contestari possem. In tua misericordia, mi Jesu, quae major est quam mea sit iniquitas, spem omnem pono. Plus te potes dimittere quam ego committere. Ne projicias me a facie tua. Dic animae meae: Salus tua ego sum.

PSALMUS CXXVII.

Justi multis replentur bonis.

Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum qui manducabis: beatus es et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem, omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum; pacem super Israël.

Gloria Patri, &c.

Oremus.

Pater Sancte, non in justificationibus meis fundo preces ad te, sed in promissione unigeniti Filii tui. Ille nobis

dixit: quanto magis Pater coelestis dabit spiritum bonum petentibus se. Certe Filius tuus veritas est, non decepit nos; ideo adimple promissionem Filii tui, qui te clarificavit super terram, tibique obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. Da spiritum bonum petenti te, da spiritum timoris et amoris tui, ut servus tuus nihil diligat praeter te, et proximum in te. Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Amen.

Psalmus CXXXVIII.

Praedicatur Deo omnis scientia et Sanctitus, &c.

Domine, probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas praevidisti: quia non est sermo in lingua meae.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas dilucolo, et habitavero in extremis maris:

Etenim illuc manus tua deducet mea: et tenebit me dexter tua.

Et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me: et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meae.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terrae.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, super arenam multiplicabuntur; exurrexi et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatores: viri sanguinum declinate a me.

Quia dicitis in cogitatione:

Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam: et super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est, et deduc me in viam aeternam.

Gloria Patri, &c.

Oremus.

Christe, Redemptor mundi, parce et miserere mei, non secundum merita mea, sed secundum misericordiam tuam, noli me reprobare peccatorem, sed suscipe me secundum eloquium tuum et vivam. Non confundas me ab exspectatione mea. Miserere mei Domine, quia peccavi tibi, da mihi fontem lacrymarum, fons vitae et lux luminis: concede mihi in praesenti vita veram poenitentiam de peccatis meis, et in bono perseverantiam. Quaeso immensam tuam clementiam Deus, ne me pro mea iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in viam rectam disponas, nec sicut mereor, delinquenti irascaris, verum fragilitati meae invicta bonitate subvenias juxta misericordiae tuae copiam, secundam quam me indignum salvabis. Amen.

ADMONITIONES AD SPIRITUALEM VITAM UTILES.

DE IMITATIONE CHRISTI, ET CONTEMPTU OMNIUM VANITATUM MUNDI.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris (Joan. viii. 12): dicit Dominus. Haec sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam ejus et mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, et ab omni caecitate cordis liberari.

Summum igitur studium nostrum sit, in vita Jesu Christi meditari.

Doctrina Christi, omnes doctrinas Sanctorum praecellit: et qui spiritum haberet, absconditum ibi manna inveniret.

Si scires totam Bibliam exterius, et omnium Philosophorum dicta: quid totum prodesset, sine charitate Dei et gratia?

Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (Eccle. i. 2), praeter amare Deum, et illi soli servire.

Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna coelestia.

Vanitas igitur est, divitias perituras quaerere, et in illis sperare.

Vanitas quoque est, honores ambire, et in altum statum se extollere.

Vanitas est, carnis desideria sequi: et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri.

Vanitas est, longam vitam optare, et de bona vita parum curare.

Vanitas est, praesentem vitam solum attendere: et quae futura sunt, non praevidere.

Vanitas est, diligere quod cum omni celeritate transit: et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet.

Memento illius frequenter proverbii: quia non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.

Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere, et ad invisibila te transferre. Nam sequentes suam sensualitatem, maculant conscientiam, et perdunt Dei gratiam.

DE HUMILI SENTIRE SUI IPSIUS.

Omnis homo naturaliter scire desiderat; sed scientia sine timore Dei, quid importat?

Melior est profecto humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui se neglecto, cursum coeli considerat.

Qui bene seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis.

Si scirem omnia quae in mundo sunt, et non essem in charitate: quid me juvaret coram Deo, qui me judicaturus est ex facto?

Quiesce a nimio sciendi desiderio: quia magna ibi invenitur distractio, et deceptio.

Scientes libenter volunt videri, et sapientes dici.

Multa sunt, quae scire, parum vel nihil animae prosunt.

DE TOLERANTIA INJURIARUM, ET QUIS VERUS PATIENS PROBETUR.

Quid est quod loqueris, fili? Cessa conqueri, considerata mea et aliorum Sanctorum passione.

Nondum usque ad sanguinem restitisti.

Parum est quod tu pateris, in comparatione eorum qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati, tam multipliciter probati et exercitati.

Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut levius feras tua minima.

Et si tibi minima non videntur, vide ne et hoc tua faciat impatientia.

Sive tamen parva sive magna sint, stude cuncta patienter sufferre.

Quanto melius ad patiendum te disponis, tanto sapientius agis, et amplius promereris: feres quoque levius animo et usu ad hoc non segniter paratis.

Nec dicas: Non valeo haec ab homine tali pati, nec hujuscemodi mihi patienda sunt: grave enim intulit damnum, et improperat mihi, quae numquam cogitaveram: sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro.

Insipiens est talis cogitatio, quae virtutem patientiae non considerat, nec a quo coronan-

da erit, sed magis personas, et offensas sibi illatas perpendit.

Non est verus patiens, qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, et a quo sibi placuerit.

Verus autem patiens non attendit a quo homine, utrum a Praelato suo, an ab aliquo aequali, aut inferiori: utrum a bono et sancto viro, vel a perverso et indigno exerceatur.

Sed indifferenter ab omni creatura, quantumcumque, et quotiescumque ei aliquid adversi acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter accipit, et ingens lucrum reputat:

Quia nil apud Deum, quantumlibet parvum, pro Deo tamen passum, proterit sine merito transire.

Esto itaque expeditus ad pugnam, si vis habere victoriam.

Sine certamine, non potes venire ad patientiae coronam.

Si pati non vis, recusas coronari.

Si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter.

Sine labore, non tenditur ad requiem: nec sine pugna, pervenitur ad victoriam.

Fiat, Domine, mihi possibile per gratiam, quod mihi impossibile videtur per naturam.

DE PROVIDENTIA IN AGENDIS.

Non est credendum omni verbo, nec instinctui; sed caute et longanimiter res est secundum Deum ponderanda.

Proh dolor! saepe malum facilius quam bonum de alio creditur et dicitur: ita infirmi sumus.

Sed perfecti viri non facile credunt omni enarranti: quia sciunt infirmitatem humanam, ad malum proclivem, et in verbis satis labilem.

Magna sapientia, non esse praecipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis stare sensibus.

Ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere: nec audita vel credita, mox ad aliorum aures effundere.

Cum sapiente et conscientioso viro consilium habe: et quaere potius a meliore instrui, quam tuas adinventiones sequi.

Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum, et expertum in multis.

Quanto quis in se humilior fuerit, et Deo subjectior: tanto in omnibus erit sapientior, et pacatior.

DE CAVENDA NIMIA FAMILIARITATE.

Non omni homini reveles cor tuum: sed cum sapiente et timente Deum age causam tuam.

Cum juvenibus et extraneis rarus esto.

Cum divitibus noli blandiri; et coram magnatis non libenter appareas.

Cum humilibus et simplicibus, cum devotis et mortificatis sociare: et quae aedificationis sunt, pertracta.

Non sis familiaris alicui mulieri: sed in communi, omnes bonas mulieres Deo commenda.

Soli Deo et Angelis ejus opta familiaris esse; et hominum notitiam devita.

Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit.

Quandoque accidit, ut persona ignota, ex bona fama lucescat: cujus tamen praesentia oculos intuentium offendat.

Putamus aliquando aliis placere ex conjunctione nostra; et incipimus magis displicere, ex morum improbitate in nobis considerata.

QUOD DESIDERIA CORDIS EXAMINANDA SUNT ET MODERANDA.

Fili, oportet te adhuc multa addiscere, quae necdum bene didicisti.

Quae sunt haec, Domine?

Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum, et tui ipsius amator non sis, sed meae voluntatis cupidus aemulator.

Desideria te saepe accendunt, et vehementer impellunt: sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis.

Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocumque ordinavero: si autem de proprio quaesitu aliquid latet, ecce hoc est quod te impedit et gravat.

Cave ergo, ne nimium innitaris super desiderio praeconcepto, me non consulto: ne forte postea poeniteat, aut displiceat, quod primo placuit, et quasi pro meliore zelasti.

Non enim omnis affectio, quae videtur bona, statim est sequenda: sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda.

Expedit interdum refrenatione uti, etiam in bonis studiis et desideriis: ne per importunitatem, mentis distractionem incurras; ne aliis per indisciplinationem, scandalum generes; vel etiam per resistentiam aliorum, subito turberis et corruas.

Interdum vero oportet violentia uti, et viriliter appetitui sensitivo contraire, nec advertere quid velit caro, et quid non velit: sed hoc magis satagere, ut subjecta sit etiam nolens spiritui.

Et tamdiu castigari debet, et cogi servituti subesse, donec parata sit ad omnia, paucisque contentari discat, et simplicibus delectari, nec contra aliquod inconveniens mussitare.

CONTRA LINGUAS OBTRECTATORUM.

Fili, non aegre feras, si quidam de te male senserint: et dixerint quod non libenter audias.

Tu deteriora de teipso sentire debes, et neminem infirmiorem te credere.

Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volentia verba.

Est non parva prudentia, silere in tempore malo, et introrsus ad me converti, nec humano judicio disturbari.

Non sit pax tua in ore hominum: sive enim bene sive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Ubi est vera pax, et vera gloria? Nonne in me?

Et qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfruetur pace.

Ex inordinato amore, et vano timore, oritur omnis inquietudo cordis, et distractio sensuum.

ORATIO PRO PURGATIONE CORDIS, ET COELESTI SAPIENTIA.

Confirma me, Deus, per gratiam sancti Spiritus.

Da virtutem corroborari in interiori homine, et cor meum ab omni inutili sollicitudine et angore evacuare, nec variis desideriis trahi cujuscumque rei, vilis aut pretiosae; sed omnia inspicere sicut transeuntia, et me pariter cum illis transiturum:

Quia nihil permanens sub sole, ubi omnia vanitas, et afflictio spiritus. O quam sapiens, qui ita considerat!

Da mihi, Domine, coelestem sapientiam, ut discam te super omnia quaerere et invenire, super omnia sapere et diligere, et caetera, secundum ordinem sapientiae tuae, prout sunt, intelligere.

Da prudenter declinare blandientem, et patienter ferre adversantem:

Quia haec magna sapientia, non moveri omni vento verborum, nec aurem male blandienti praebere Sirenae: sic enim incepta pergitur via secure.

DE TENTATIONIBUS REPRIMENDIS.

Quandiu in mundo vivimus, sine tribulatione esse non possumus.

Unde in Job scriptum est: Tentatio est vita hominis super terram.

Ideo unusquisque sollicitus esse deberet circa tentationes suas, et vigilare in orationibus: ne diabolus locum inveniret decipiendi, qui numquam dormitat, sed circuit, quaerens, quem devoret. 1 Pet. v. 8.

Nemo tam perfectus est et sanctus, qui non habeat aliquando tentationes: et plene eis carere non possumus.

Sunt tamen tentationes homini saepe valde utiles, licet molestae sint et graves; quia in illis homo humiliatur, purgatur, et eruditur.

Omnes Sancti per multas tribulationes et tentationes transierunt et profecerunt.

Et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt, et defecerunt.

Non est aliquis Ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, ubi non sint tentationes vel adversitates.

Non est homo securus a tentationibus totaliter, quamdiu vixerit: quia in nobis est unde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus.

Una tentatione seu tribulatione recedente, alia supervenit: et semper aliquid ad patiendum habebimus, nam bonum felicitatis nostrae perdidimus.

Multi quaerunt tentationes fugere, et gravius incidunt in eas.

Per solam fugam non possumus vincere; sed per patientiam et veram humilitatem, omnibus hostibus efficimur fortiores.

Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem evellit, parum proficiet: imo citius ad eum tentationes redient, et pejus sentiet.

Paulatim, et per patientiam cum longanimitate (Dei juvante) melius superabis, quam cum duritia et importunitate propria.

Saepius accipe consilium in tentatione, et cum tentato noli duriter agere: sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri.

Initium omnium malarum tentationum, inconstantia animi, et parva ad Deum confidentia.

Quia sicut navis sine gubernaculo, hinc inde a fluctibus impellitur; ita homo remissus, et suum propositum deserens, varie tentatur.

Ignis probat ferrum, et tentatio hominem justum.

Nescimus saepe quid possumus: sed tentatio aperit quid sumus.

Vigilandum est tamen, praecipue circa initium tentationis: quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur; sed extra limen, statim ut pulsaverit, illi obviatur.

Unde quidam dixit:

Principiis obsta; sero medicina paratur,

Cum mala per longas invaluere moras.

Nam primo occurit menti simplex cogitatio: deinde fortis imaginatio: postea delectatio, et motus pravus, et assensio.

Sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio.

Et quanto diutius ad resistendum quis torpuerit; tanto in se quotidie debilior fit, et hostis contra eum potentior.

Quidam in principio conversionis suae graviores tentationes patiuntur; quidam autem in fine.

Quidam vero, quasi per totam vitam suam male habent.

Nonnulli satis leniter tentantur, secundum divinae ordinationis sapientiam et aequitatem, quae statum et merita hominum pensat, et cuncta ad electorum suorum salutem praeordinat.

Ideo non debemus desperare, cum tentamur; sed eo ferventius Deum exorare, quatenus nos in omni tribulatione dignetur adjuvare: qui secundum dictum Pauli, talem faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

Humiliemus ergo animas nostras sub manu Dei, in omni tentatione et tribulatione: quia humiles spiritu salvabit, et exaltabit.

In tentationibus et tribulationibus probatur homo, quantum profecit: et ibi majus meritum existit, et virtus melius patescit.

Nec magnum est, si homo devotus sit et fervidus, cum gravitatem non sentit: sed si tempore adversitatis patienter se sustinet, spes magni profectus erit.

Quidam a magnis tentationibus custodiuntur, et in parvis quotidianis saepe vincuntur: ut humiliati, numquam de seipsis in magnis confidant, que in tam modicis infirmantur.

DE MEDITATIONE MORTIS.

Valde cito erit tecum hic factum, vide aliter quomodo te habeas: hodie homo est, et cras non comparet.

Cum autem sublatus fuerit ab oculis, etiam cito transit a mente.

O hebetudo et duritia cordis

humani, quod solum praesentia meditatur, et futura non magis praevidet!

Sic te in omni facto et cogitatu deberes tenere, quasi hodie esses moriturus.

Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres.

Melius esset peccata cavere, quam mortem fugere,

Si hodie non es paratus, quomodo cras eris?

Cras est dies incerta; et quid scis, si crastinum habebis?

Quid prodest diu vivere, quando tam parum emendamur?

Ah! longa vita non semper emendat, sed saepe culpam magis auget.

Utinam per unam diem bene essemus conversati in hoc mundo!

Multi annos computant conversionis, sed saepe parvus est fructus emendationis.

Si formidolosum est mori, forsitan periculosius erit diutius vivere.

Beatus, qui horam mortis suae semper ante oculos habet, et ad moriendum quotidie se disponit.

Si vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia et tu per eamdem viam transibis.

Cum mane fuerit, puta te ad vesperum non perventurum.

Vespere autem facto, mane non audeas tibi polliceri.

Semper ergo paratus esto, et taliter vive, ut numquam te imparatum mors inveniat.

Multi subito et improvise moriuntur. Nam hora, qua non putatur, filius hominis venturus est.

Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua praeterita: et valde dolebis, quia tam negligens et remissus fuisti.

Quam felix et prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte.

Dabit namque magnum fiduciam feliciter moriendi, perfectus contemptus mundi, fervens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinae, labor poenitentiae, promptitudo obedientiae, abnegatio sui, et supportatio cujuslibet adversitatis pro amore Christi.

Multa bona potes operari, dum sanus es: sed infirmatus, nescio, quid poteris.

Pauci ex infirmitate meliorantur: sic et qui multum peregrinantur, raro sanctificantur.

Noli confidere super amicos et proximos, nec in futurum tuam differas salutem: quia citius obliviscentur tui homines, quam aestimas.

Melius est nunc tempestive providere, et aliquid boni praemittere, quam super aliorum auxilio sperare.

Si non es pro teipso sollicitus modo, quis erit sollicitus pro te in futuro?

Nunc tempus est valde pretiosum: Nunc sunt dies salutis: Nunc tempus acceptabile.

Sed proh dolor, quod hoc utilius non expendis, in quo promereri vales, unde aeternaliter vivas!

Veniet, quando unum diem seu horam pro emendatione desiderabis; et nescio, an impetrabis.

Eia charissime, de quanto periculo te poteris liberare, de quam magno timore eripere, si modo semper timoratus fueris, et suspectus de morte?

Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potius gaudere, quam timere.

Disce nunc mori mundo, ut tunc incipias vivere cum Christo.

Disce nunc omnia contemnere, ut tunc possis libere ad Christum pergere.

Castiga nunc corpus tuum per poenitentiam, ut tunc certam valeas habere confidentiam.

Ah stulte! quid cogitas te diu victurum, cum nullum diem habeas securum?

Quam multi, putantes diu vivere, decepti sunt, et insperate de corpore extracti?

Quoties audisti a dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit?

Alius ligne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit: et sic omnium finis mors est, et vita hominum tamquam umbra subito petransit.

Quis memorabitur tui post mortem? et quis orabit pro te?

Age, age nunc charissime, quidquid agere potes: quia nescis quando morieris; noscis etiam quid te post mortem sequetur.

Dum tempus habeas, congrega tibi divitias immortales.

Praeter salutem tuam, nihil cogites; solum quae Dei sunt, cures.

Fac nunc tibi amicos, venerando Dei Sanctos, et eorum actus imitando: ut cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in aeterna tabernacula.

Serva te tamquam peregrinum et hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis.

Serva cor liberum, et ad Deum sursum erectum, quia non habes hic manentem civitatem.

Illuc preces et gemitus quotidianos cum lacrymis dirige, ut spiritus tuus mereatur ad Dominum, post mortem, feliciter transire.

DE JUDICIO, ET POENIS PECCATORUM.

In omnibus rebus respice finem, et qualiter ante districtum stabis Judicem, cui nihil est occultum: qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit: sed, quod justum est, judicabit.

O miserrime et insipiens peccator, quid respondebis Deo, omnia mala tua scienti; qui interdum formidas vultum hominis irati?

Ut quid non praevides tibi in die judicii, quando nemo poterit per alium excusari vel defendi; sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi?

Nunc labor tuus est fructuosus, fletus acceptabilis, gemitus exaudibilis, dolor satisfactorius, et purgativus.

Habet magnum et salubre purgatorium patiens homo, qui suscipiens injurias, plus dolet de alterius malitia, quam de sua injuria: qui pro contrariantibus sibi libenter orat, et ex corde culpas indulget, qui veniam ab aliis petere non retardat: qui facilius miseretur, quam irascitur: qui sibi ipsi violentiam frequenter facit, et carnem omnino spiritui subjugare conatur.

Melius est modo purgare peccata, et vitia resecare, quam in futuro purganda reservare.

Vere nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus.

Quid aliud ignis ille devorabit, nisi peccata tua?

Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, et carnem sequeris: tanto durius postea lues, et majorem materiam comburendi reservas.

In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis perurgebuntur; et gulosi ingenti siti ac fame cruciabuntur.

Ibi luxuriosi, et voluptatum amatores, ardenti pice et foetido sulphure perfundentur: et sicut furiosi canes, prae dolore invidiosi ululabunt.

Nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habebit.

Ibi superbi omni confusione replebuntur: et avari miserrima egestate arctabuntur.

Ibi erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in gravissima poenitentia.

Ibi nulla requies est, nulla consolatio damnatis: hic tamen interdum cessatur a laboribus, atque amicorum fruitur solatiis.

Esto modo sollicitus et dolens pro peccatis tuis, ut in die judicii securus sis cum beatis.

Tunc enim justi stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et depresserunt.

Tunc stabit ad judicandum, qui modo se subjicit humiliter judiciis hominum.

Tunc magnam fiduciam habebit pauper et humilis, et pavebit undique superbus.

Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse, qui pro Christo didicit stultus et despectus esse.

Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpessa, et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Tunc gaudebit omnis devotus, et moerebit omnis irreligiosus.

Tunc plus exultabit caro afflicta, quam si in deliciis fuisset semper nutrita.

Tunc splendebit habitus vilis, et obtenebrescet vestis subtilis.

Tunc plus laudabitur pauperculum domicilium, quam deauratum palatium.

Tunc juvabit plus constans patientia, quam omnis mundi potentia.

Tunc amplius exaltabitur simplex obedientia, quam omnis saecularis astutia.

Tunc plus laetificabit pura et bona conscientia, quam docta philosophia.

Tunc plus ponderabit comtemptus divitiarum, quam totus thesaurus terrigenarum.

Tunc magis consolaberis super devota oratione, quam super delicata comestione.

Tunc potius gaudebis de servato silentio, quam de longa fabulatione.

Tunc plus valebunt sancta opera, quam multa pulchra verba.

Tunc plus placebit stricta vita et ardua poenitentia, quam omnis delectatio terrena.

Disce te nunc in modico pati, ut tunc a gravioribus valeas liberari.

Hic primo proba, quid possis postea.

Sic nunc tam parum valés sustinere, quomodo aeterna tormenta poteris sufferre?

Si modo modica passio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet?

Ecce vere non potes duo gaudia habere, delectari hic in mundo, et postea regnare cum Christo.

Si usque in hodiernam diem semper in honoribus et voluptatibus vixisses: quid totum tibi profuisset, si jam mori in instanti contingeret!

Omnia ergo vanitas, praeter amare Deum, et illi soli servire.

Qui enim Deum ex toto corde amat; nec mortem, nec supplicium, nec judicium, nec infernum metuit: quia perfectus amor securum ad Deum accessum facit.

Quem autem adhuc peccare delectat, non mirum, si mortem et judicium timeat.

Bonum tamen est, ut si necdum amor a malo te re-

vocat, saltem timor gehennalis coerceat.

Qui vero timorem Dei postponit, diu stare in bono non valebit, sed diaboli laqueos citius incurret.

DE FERVENTI EMENDATIONE TOTIUS VITAE NOSTRAE.

Esto vigilans et diligens in Dei servitio; et cogita frequenter: Ad quid venisti, et cur saeculum reliquisti? Nonne ut Deo viveres, et spiritualis homo fieres?

Igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies: nec erit tunc amplius timor, aut dolor, in finibus tuis.

Modicum nunc laborabis, et magnam requiem, imo perpetuam laetitiam invenies.

Si tu permanseris fidelis et fervidus in agendo, Deus procul dubio erit fidelis et locuples in retribuendo.

Spem bonam et firmam retinere debes, quod ad palmam pervenies: sed securitatem capere non oportet, ne torpeas, aut elatus fias.

Cum quidam anxius, inter metum et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice moerore confectus, in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, haec intra se revolvit, dicens: O si scirem, quod adhuc perseveraturus essem! statimque audivit divinum intus responsum: Quod si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles et bene securus eris.

Moxque consolatus, et con fortatus, divinae se commisit voluntati, et cessavit anxia fluctuatio.

Noluitque curiose, investigare, ut sciret, quae sibi essent futura: sed magis studuit inquirere, quae esset voluntas Dei beneplacens et perfecta, ad omne opus bonum inchoandum et perficiendum.

Spera in Domino, et fac bonitatem (ait Propheta) et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

Unum est, quod multos a profectu et ferventi emendatione retrahit: horror difficultatis, seu labor certaminis.

Enimvero, illi maxime prae caeteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quae sibi magis gravia et contraria sunt, virilius vincere nituntur.

Nam ibi homo plus proficit, et gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, et in spiritu mortificat.

Sed non omnes habent aeque multum, ad vincendum et mortificandum.

Diligens tamen aemulator, valentior erit ad proficiendum, etiamsi plures habeat passiones, quam alius bene morigeratus, minus tamen fervens ad virtutes.

Duo specialiter ad magnam emendationem juvant: videlicet, subtrahere se violenter ad quod natura vitiose inclinatur; et ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget.

Illa etiam studeas magis cavere et vincere, quae tibi frequentius in aliis displicent.

Ubique profectum tuum capias: ut si bona exempla videas vel audias, ad imitandum accendaris.

Si quid autem reprehensibile consideraveris, cave ne idem facias; aut si aliquando fecisti, citius emendare te studeas.

Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab aliis notaris.

Quam jucundum et dulce est, videre fervidos et devotos fratres, bene morigeratos et disciplinatos!

Quam triste est et grave, videre inordinate ambulantes: quia ea, ad quae vocati sunt, non exercent!

Quam nocivum est, negligere vocationis suae propositum: et ad non commissa sensum inclinare!

Memor esto arrepti propositi, et imaginem tibi propone Crucifixi.

Bene verecundari potes, inspecta vita Jesu Christi: quia necdum magis illi te conformare studuisti, licet diu in via Dei fuisti.

Religiosus, qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi, abundanter ibi inveniet: nec opus est, ut extra Jesum aliquid melius quaerat.

O si Jesus crucifixus in cor nostrum veniret, quam cito et sufficienter docti essemus!

Religiosus fervidus omnia bene portat et capit, quae illi jubentur.

Religiosus negligens et tepidus habet tribulationem super tribulationem, et ex omni parte patitur angustiam: quia interiori consolatione caret, et exteriorem quaerere prohibetur.

Religiosus extra disciplinam vivens, gravi patet ruinae.

Qui laxiora quaerit et remissiora, semper in angustiis erit: quia aut unum aut reliqum sibi displicebit.

Quomodo faciunt tam multi alii religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplina claustrali?

Raro exeunt, abstracte vivunt, pauperrime comedunt, grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, et se in omni disciplina custodiunt.

Attende Carthusienses, Cistercienses, et diversae Religionis monachos ac moniales:

qualiter omni nocte ad psallendum Domino assurgunt.

Et ideo turpe esset tibi in tam sancto tempore pigritare, ubi tanta multitudo religiosorum incipit Deo jubilare.

O si nihil aliud faciendum incumberet, nisi Dominum Deum nostrum toto corde et ore laudare!

O si numquam indigeres comedere, nec bibere, nec dormire: sed semper posses Deum laudare, et solummodo spiritualibus studiis vacare! tunc multo felicior esses quam modo, cum carni ex qualicumque necessitate servis.

Utinam non essent istae necessitates, sed solummodo spirituales animae refectiones, quas (heu) satis raro degustamus!

Quando homo ad hoc pervenit, quod de nulla creatura consolationem suam quaerit, tunc ei Deus primo perfecte sapere incipit: tunc etiam bene contentus de omni eventu rerum erit.

Tunc nec pro magno laetabitur, nec pro modico contristabitur: sed ponit se integre et fiducialiter in Deo, qui est ei omnia in omnibus: cui nihil utique perit nec moritur, sed omnia ei vivunt, et ad nutum incunctanter deserviunt.

Memento semper finis, et quia perditum non redit tempus. Sine sollicitudine et diligentia, numquam acquires virtutes.

Si incipis tepescere, incipies male habere.

Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem laborem, propter Dei gratiam, et virtutis amorem.

Homo fervidus et diligens, ad omnia est paratus.

Major labor est resistere vitiis et passionibus, quam corporalibus insudare laboribus.

Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores.

Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuose.

Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum: et quidquid de aliis sit, non negligas teipsum.

Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.

QUAM SEVERE SACERDOTUM CULPAS CASTIGAT OMNIPOTENS.

I.

Peccata Sacerdotum gravissima.

Amos.—Deus sic ait: Quia tantummodo vos (sacerdotes) cognovi ex omnibus cognationibus terrae: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

Deut.—Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum omne negotium, et quidquid mundum, vel immundum est, judicetur.

Nobis sacerdotibus dictum est illud. Ps. lxviii. 27. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.

Raro obliviscitur Deus peccatorum sacerdotum.

De peccato Heli ait: idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus usque in aeternum.

Peccatum Ozae, levissimum, buam severe punitum fuit.

Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum, et mortuus est juxta arcam: O terribilia judicia Dei! Quis non timebit te, rex virtutum?

Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?

Et per Isa.—Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentilium, et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: Exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini. Dominus paravit mensam populo suo, ac habitaculum Filio suo, ministros immundos respuit, ut patet Malachiae.

Munus non accipiam de manu vestra, v. 11. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Oblatio munda requirit ministros mundos, v. 12.

Ne sacrilegium nobis accidat, verba apostoli ac doctoris gentilium meditemur.

Vos enim estis templum Dei vivi. Sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et ambulabo inter eos, et ero illorum Deus, ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, et

separamini; dicit Dominus: et immundum ne eligeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios.

II.

Sequitur idem argumentum.

Postquam Deus Ezechieli ostendit abominationes futurorum sacerdotum, ait: Non parcet oculus meus, nec miserebor, et cum clamaverint ad aures meas voce magna non exaudiam eos.

Per os Malachiae ait Deus: Et nunc ad vos mandatum hoc, O sacerdotes, si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. O comminatio tremenda, O poena horribilis: Et paulo post ait.

Propter quod, et ego dedi vos contemptibiles, et humiles in omnibus populis, sicut non servastis vias meas.

Propter scelera nostra permittit Deus nos parvipendi a laicis, et gravari pensionibus. Quid ergo agendum, ut tanta flagella vitemus? Custodiant praecepta mea, ut non subjaceant peccato, et moriantur in sanctuario, cum polluerint illud. In revelationibus sanctae Brigittae saepissime Deus conqueritur super iniquitate sacerdotum exaggerans gravitatem, &c.

Vocans eos: Pejores judaeis, et paganis, et omnibus aliis delinquentibus, asserens majora tormenta inferni esse illis reservata, et majori supplicio puniendos quam judam. Et in quodam capite replet eos mille horrendis maledictionibus, et in fine maledicit Jesus: quidquid edunt, bibunt, tangunt, elementa, quae eos sustentant?

Deut.—Percutiet te Dominus egestate, febri, frigore, et ardore, et aestu, et aere corrupto, ac rubigine, et persequatur donec pereas.

Punivit Dominus Moysem et Aaronem sacerdotes, propter peccatum leve reputatum, quia haesitaverant in fide ad percussionem petrae, &c., nolens propter hoc ingredi terram promissionis.

Nadab et Abiu filii Aaron statim ac fuerunt ordinati fuerunt a Deo morte improvisa percussi, qui in thuribulis posuerunt ignem non institutum a Deo, peccatum, prima facie, admodum leve.

Quid fiet de sacerdotibus, qui vel vendunt Christum, ignem divinum; vel ignem luxuriae ad altare circumferunt, heu horror!

III.

Deus adeo severe punit culpas sacerdotum, quia ipsi sunt petra scandali et causa peccatorum populi.

Div. Greg.—Ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit. Et alibi. Quanto mun-

dus gladio feriatur aspicitis, quibus quotidie percussionibus populus puniatur; videtis enim hoc, nisi ex sacerdotum peccato agitur. Nos causa qui esse debemus duces ad vitam, ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia nostra negligentia, ad vitam erudita non est.

D. Ambros.—Populum videmus nugacem et indoctum, eo quod tales habeat sacerdotes.

D. Chrysost.—Si sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum; ideo sacerdotes non solum pro suis, sed pro omnium peccatis rationem redditur i sunt.

Idem D. Joan. Chrysost.—Sicut de templo omne bonum egreditur; sic et de templo omne malum procedit, cum videris populum indisciplinatum, cognosce, quia in sacerdotibus culpa est.

REMEDIA CONTRA OMNIA PECCATA.

Attende tibi, et teipsum salvum facias. 1 Tim. iv.
Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. Eph. vi.

I. REMEDIA GENERALIA

Contra omnia peccata.

1. Frequens et accurata confessio apud eundem Confessarium.
2. Quotïdianum conscientiae examen, fervensque in hoc, et per diem contritionis exercitium.
3. Fuga otii, occasionum, et societatum, quibus ad peccandum induci solemus.
4. Custodia externorum sensuum, maxime oculorum, linguae, manuum et aurium.
5. Quotidiana librorum spiritualium lectio.
6. Sedula et devota oratio.
7. Memoria praesentiae Dei, Angeli Custodis, &c.
8. Meditatio de Vita, et maxime de Passione Christi, de morte, judicio, inferno, et coelisti gloria.
9. Crebra Dei per pias aspirationes invocatio.
10. Corporis afflictio per jejunia, &c. Item Eleëmosynae, aliaque charitatis et misericordiae opera.
11. Resistentia in principio tentationis.

II. REMEDIA PARTICULARIA

Contra Luxuriam.

1. Fuge quam primum. Pugnatur quidem cum aliis vitiis, hoc sola fuga vincitur. Non sine causa dicit Apostolus: Fugite fornicationem. 1 Cor. vii. Ignis Libido est, quo magis huic indulges, pabulumque subministras, tanto magis exardescit et saevit: Numquam expletur: Numquam dicit, sufficit. Obsequeris hodie? majora cras imperabit: Negas? vim faciet. Dum servitur Libidini (inquit S. Aug. lib. Conf.), fit consuetudo: tenet denique obstrictum miserum (heu !) Libidinis mancipium Dura necessitas.

2. Custodi oculos, manus, aures: quo omnis lubrico huic vitio praecludatur aditus. Pepigi foedus (inquit Job xxxi. 1) cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus? si nimirum hoc non facerem. Recte quoque

monet Apostolus. 1 Cor. i. Bonum est homini mulierem non tangere. Et Eccl. xxviii. 28. Sepi aures tuas spinis.

Fuge occasiones et consortia, quibus alias in hanc tentationem inductus es, maxime vero femineum sexum vita. De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas veri. Eccl. xlii. 13. Per linguae blandimenta decipit. Prov. xxviii.

4. Expende jacturam honoris, fortunarum, valetudinis, perturbationes animi, tristitiam, aliaque innumera mala, quae praeter offensam Dei, gratiaeque amissionem ex hoc vitio pullulant, graphice a Salomone descripta (Prov. vii.) et alibi. Utinam semper ab ipsomet Salomone observata! Tu illius malo cautior excipe saluberrimam monentis vocem. Fili mi audi me. Ne abstrahatur mens tua in viis illius (Lascivientis mulieris) viae inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

5. Considera, quam pauci huic vitio dediti salventur: S. Remigii sententia est: demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur: Nec mirum est. Nam Verbum sapiens audivit luxuriosus, et displicuit illi, et projiciet illud post tergum suum. Eccl. xxi. 18.

Osee v.: Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in modio eorum. Ob hoc vitium non solum Sodomam et Gomorrham coelesti igne. Gen. xix. Verum et universum genus humanum diluvio deleri necesse fuit, nulla alia ratione abominabile hoc vitium tolli aut emendari potuit.

6. Propone tibi ob oculos aliquod ex tuorum vel tuarum nuper familiarium defunctorum cadaver in putredine sua, et foetidissimorum vermium corrosione constitutum: an ad hujus amplexum propendes? amplectere, et has ab eo voces excipe: Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum; mihi heri, et tibi hodie. Eccl. xxxviii. 23.

7. Repraesenta tibi luxuriosorum cruciatus in stagno ignis ardentis sulphure. Apoc. xix. 20. Eheu! Momentaneum est quod delectat: Eternum quod cruciat. Quod quia miseri in tempore non considerarunt, hinc aeterna illa damnatorum est lamentatio: ergo erravimus a via veritatis, transierunt omnia tamquam umbra. Sap. v.

8. Praesentiam Dei, et Angeli Custodis considera, tibique dictum illud puta. Quocumque porrexeris, memento te deprehensum. Gen. xx. 16.

9. Confuge in expansa Crucifixi Domini nostri Jesu Christi brachia, te ad amorem sui provocantis, tuosque amplexus avide expectantis. O quanto majoribus hinc anima tua voluptatibus perfundetur, quam ab iis, quae promittit caro!

accurre, et dic: Haec requies mea, vel, Quid mihi est in coelo, &c.

10. Carnis petulantiam, jejuniis, &c., cum Davide coërce, aliaque remedia adhibe, quae supra inter generalia insinuantur.

III. REMEDIA

Contra Superbiam, et vanam gloriam.

1. Bene considera Spiritus sancti sententiam per Siracidem prolatam. Eccl. x. Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis. Exemplo sit Lucifer. Isa. xiv.

2. Peccata tua, et imperfectiones ob oculos pone; quae multitudine sua, et gravitate omnem laudis materiam facile tollent. Manassen arrogantissimum Regem commissorum peccatorum consideratio exclamare coegit: Non sum dignus intueri et aspicere altitudinem coeli Oratio ejusdem.

3. Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, &c. Phil. ii. Et terrae vermiculus extolletur?

4. Ex vana gloria quid obsecro utilitatis captatur. Aranearum laborem suades, aeternaeque gloriae fructum aufers. Receperunt enim vanae gloriae sectatores in hac vita mercedem suam. Matt. vi. O vanitas!

5. An non experimur quaerendo gloriam amitti? ab iisdem contemnimur, a quibus illam petimus. Proinde audiamus vocem Domini sic nos bene adhortantis per Jer. ix. 24. In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et noscere me, quia ego sum Dominus.

IV. REMEDIA

Contra Iram, et Odium proximi.

1. Expende terribilem Dei comminationem. Eccl. xxviii. 3. Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius?

2. O quoties Deus justam contra tua scelera conceptam iram continuit, tibique pepercit, multis interim millenis hominibus, ob minora et pauciora peccata, quam tu commisisti, aeternum damnatis. An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Rom. ii. Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Jac. ii.

3. Quam multa non modo Deus, sed et homines in te tolerant, quae tu amore proprio excaecatus non vides? Qua ergo mensura vis ut alii tuos metiantur defectus, eadem tu metire aliorum.

4. Inspice et fac secundum

exemplar, quod tibi in monte (Calvariae) monstratum est. Exod. xxv. 40. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. 1 Pet. ii. 23.

5. Considera, te una insigni tui ipsius victoria in irae aut odii remissione plus apud Deum mereri posse, quam plurimis precibus, jejuniis, corporisque afflictionibus? quod in Davide implacabili hosti suo Sauli parcente manifestum est. Nam hujus solius virtutis commemoratione a Deo summa quaeque pro se, et filio impetrare confidit. Ps. cxxxi. Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus, &c.

V. REMEDIA

Contra Detractionem.

1. Considera hoc peccatum simile esse, immo gravius furto. Melius enim est nomen bonum quam divitiae multae. Prov. xxii. 1. Sicut ergo non dimittitur furti peccatum nisi reparatur damnum proximo illatum per infuriam, sic nec detractionis.* Quam autem est difficile violatum semel honorem redintegrare?

2. Expende, quot et quanta ex detractione gignantur peccata, quorum omnium detractor fit reus, crimen semel revelatum, quot vicibus, quot locis deinceps ab aliis propalatur? hujus mali detractor se autorem fecit. Numquid talis Lingua ignis est? quam magnam silvam incendit? Jac. iii. 6.

3. Ecquid obsecro commodi aut emolumenti a detractione provenit? In caput detrahentis redundat, quod in alios derivari voluit. In quo enim (inquit Apost. Rom. xxi.) alterum quis judicat, seipsum condemnat, &c.

VI. REMEDIA

Contra consuetudinem lusuum noxiorum, v. g. chartarum, &c.

1. Considera praeter offensam Dei, jacturam temporis, &c., quae fit ab iis, qui existimant lusum esse vitam nostram. Sap. xv. 12. Ecce nunc tempus acceptabile (monet Apost. 2 Cor. vi. 2). Ecce nunc dies salutis numquam reversuri, Vocavit (Deus) adversum me tempus: lamentatur Sion. Thren. i. 15. An non idem sibi in extremo die eventurum metuat lusor?

2. Perpende, quae ex lusu utilitas sperari possit: lucrum, si quod aliquando obtines, velut fumus dissipatur; bonis enim sic partis Deus non benedicet. Damnum, si quod pateris, quantum cruciaris? solidum numquam in lusibus gaudium invenitur. Proinde Tobias ait: Numquam cum ludentibus miscui me, neque

* (Restitutionis obligatio non oritur tantum ex furto, sed etiam ex damno quod fit proximo cum ejus injuria.) S. Lig. lib. 3.

cum his, qui in levitate ambulant: Tob. iii. 17, et Jer. xv. 17. Non sedi cum concilio ludentium.

3. Cogita, quae fraudes, rixae, &c., ex chartarum, et alearum lusu oriri soleant, postquam inter opera carnis recensuit Apost. iras, rixas, &c., subdit, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

VII. REMEDIA

Contra immoderatam tristitiam, animique perturbationem.

1. Labora imprimis, ut conscientiam ab omnibus gravioribus noxis liberes. Gaudium enim et gloria nostra haec est (inquit Apost. 2 Cor. i.) testimonium conscientiae bonae. Praeterea per SS. Eucharistiae Sacramentum illum saepe excipe qui ait: Pacem meam de vobis, &c. Joan. xiv. Gaudebit in illo cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollet a nobis. Joan. xiv.

2. Stude mansuetudini et humilitati; Christus enim his suis verbis: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, addit: Et invenietis requiem animabus vestris. Fili, inquit Siracides (Eccl. iii. 19) in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Hinc utique optata animo pax et tranquillitas nascitur.

3. Observa, quod idem Sapiens suadet, l. cit. Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper. Arduis, multisque adversis casibus et pertubationibus obnoxius est ascensus ad alta; dulcissima pace et tranquilitate fruitur, qui parvo et humili contentus vivit.

4. Rebus alienis te non immisce juxta ejusdem Sapientis consilium. Eccl. xi. 9. De ea re, quae te non molestat, ne certeris. Et iii. 32. Ne fueris curiosus, non est enim tibi necessarium, ea, quae abscondita sunt, videre. Quod Christus Petro dixit, tibi saepius ingemina, Quid ad te? recte Thom. a Kemp. de Imit. Christi, lib. i. cap. 11. Multam possemus pacem habere, si non vellemus nos aliorum dictis et factis, et quae ad nostram curam non spectant, occupare. Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet?

5. Te totum in manus Dei trade, ejusdem providentiae committe. Et dic cum Psalmographo Ps. xxii. Dominus regit me, et nihil mihi deerit, &c. Et cum Abac. iii. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Concludes tandem his verbis: In pace in idipsum dormiam, et requiescam. Ps. iv.

TABULA BREVIS PECCATORUM.

COGITATIONES.

Toties . . . . inhaesi voluntarie cum consensu Cogitationibus.

Superbis — Otiosis — Vagis in Oratione — Impuris — Cupidis — Invidiosis— Iracundis cum odio—Vindicativis—Suspiciosis, cum temerario judicio—Desperabundis.

VERBA.

Toties . . . . cum scandalo vel detrimento proximi locutus sum Verba.

Otiosa—Jactatoria—Superba — Impudica — Irrisoria — Maledica — Execratoria—Detractatoria — Contumeliosa— Mendacia — Ironica — Adulatoria—Seductoria.

OPERA.

Toties . . . . peccavi his Operibus.

Fui otiosus—Neglexi ista . . —Pecuniam inutiliter impendi—Orationes, ad quas obligor, omisi — Conscionem neglexi —Dies Festos male impendi— Jejunia violavi—Superbus fui in vestibus, &c.—Avarus et durus in pauperes—Impudicus mecum vel cum aliis— Intemperans in cibo et potu— Segnis in rebus divinis—Injuriam feci—Laesi in honore alium—Inobediens fui—Contumax — Scandalum dedi — Grav . . tot . . aliis.

Nota.—Ad conservandam et alendam devotionem conceptam, haec potissimum commendari poterunt: (1.) Ut conservet usum meditandi quotidie per dimidiatam horam. (2.) Ut singulis diebus faciat examen conscientiae. (3.) Ut octavo quoque die confiteatur. (4.) Eligat aliquem Confessarium stabilem, eumque accipiat ut ducem hujus spiritualis itineris, et cum eo tractet omnia, quae ad suam animam pertinent. (5.) Legat saepe pios libros, et habeat bonorum hominum conversationem, malorum autem fugiat summopere. (6.) Curet proficere quotidie in virtutibus, praesertim in humilitate, patientia et charitate. Et in summa nitatur ipse quoque ad eam summam perfectionem, quam in suo statu et juxta mensuram divinae gratiae acquirere poterit. Haec autem sunt fere generalia. Alia sunt deinde quae juxta cujusque statum particularem indigentiam addi poterunt.

MATERIA EXAMINIS PARTICULARIS CIRCA SINGULAS VIRTUTES.

I. *De humilitate.*

1. Nulla verba proferre, quae in laudem aestimationemque mei queant redundare.

2. Non efferri laetitia, quando me quis alius laudat aut bene de me loquitur; sed ex hoc ipso aliquam potius mei humiliandi et confundendi occasionem capere, videndo me non esse talem, qualem aut alii me reputant, aut qualis esse deberem. His addi potest, gaudere, cum alius quis laudatur, aut aliorum sermone celebratur; et cum inde aliquem dolorem, vel invidiae motum in me percipiam, eum ut defectum ac peccatum a me repellare; uti, et dum quamdam complacentiam aut vanam laetitiam ex aliorum honorificis de me verbis, in me persentisco.

3. Nihil prorsus ob humanos aliquos respectus agere, nec ut ab hominibus videar, vel aestimer, sed omnia pure propter Deum.

4. Non excusare me; multo minus culpam in alium tam exterius, quam interius derivare.

5. Vanas, elatas, superbasque cogitationes ad honorem et aestimationem mei quomodolibet spectantes, mox cum insurgant, rejicere et praescindere.

6. Omnes quasi me superiores ducere, non speculative tantum, sed etiam practice et reipsa; ea me erga quoslibet humilitate et submissione habendo, ac si mei superiores forent.

7. In bonam partem accipere omnes, quae mihi se offerent, humilitatis occasiones. Atque in hoc me in dies crescere, proficere, et per hos tres gradus ascendere opertet: primo, humiliationes patienter; secundo, prompte ac facile; tertio, alacriter et laete ferendo, nec ante cessare, quam plane gaudeam et exsultem, quod ab alio contemnar et despiciar, ut sic Christo, qui mei causa contemptus, illusus et ludibrio habitus est, assimiler, eumque imiter.

8. De eo quoque particulare examen quis instituere tam in hac materia, quam in alia simili, potest, ut aliquot humilitatis, aut alterius cujusque virtutis (de qua examen particulare faciet) actus exercitiave concipiat, tam interiora, quam exteriora; tot nimirum mane, et tot vespere exercendo; primo pauciora, postea plura, atque ita assidue increscendo, donec quendam virtutis ejus habitam consuetudinem induat.

II. *De charitate fraterna.*

1. De proximo non detrahere, neve ullum ejus peccatum, tametsi levissimum ac publicum, commemorare: ejus gesta et opera, verbis non deterere, neve ullum vilipendii ejus aut despectus, sive illo praesente, sive absente, signum ostendere; sed de omnibus ita loqui, ut eos bonos, honorabiles, et aestimatione dignos esse, quivis ex ore meo verbisque colligere queat.

2. Nunquam dicere alteri: Talis hoc de te dixit; praesertim si ejusmodi res sit, quae ipsum contristare queat, etsi alioquin minima: hoc enim est discordias et zizania dissensionis inter fratres serere.

3. Nulla scommata dicere, non verba, quae proximum pungant, aut amaricent, non quae impatientiam aliquam spirent. Non contendere obstinatius verbis, alteri non contradicere nec alium quempiam reprehendere, nisi ad hoc e peculiari obligatione tenear.

4. Omnes amice benevoleque complecti; idque reipsa declarare, studendo, prout fas erit, ipsis prospicere, juvare et delectare. Quando vero quis ex officio aliis tenetur providere, tunc in hoc potissimum intendat oportet; et quod opere non poterit praestare, agendi saltem suavitate, bonis responsis, ac verbis lenibus supplere satagat.

5. Quamcumque aversionem cavere, et multo minus eam exterius ostendere; qualis esset, ob aliquam offensiunculam alium alloqui, aut eum quapiam in re nolle (si commode possit) juvare, aut signo quopiam significare, non adeo sibi illo complacere, seque ab eo alieniorem esse.

6. Cavere omnem in conversatione cum proximo singularitatem; declinando scilicet particulares familiaritates et amicitias, quae alios offendunt. Neminem dijudicare, sed potius defectus aliorum, tum apud se, tum apud alios excusare conari, bene laudabiliterque de singulis sentiendo.

III. *De mortificatione.*

1. In omnibus se offerentibus rebus et occasionibus me mortificare, non tamen eas ultro quaerendo; et sive immediate a Deo proficiscantur, sive a superioribus, sive a proximis nostris et fratribus, vel demum alia quacumque ratione nobis obveniant, aequo animo suscipere, et fructum ex iis aliquem capere studere.

2. In omnibus illis me mortificare, quae me impediunt quominus vel praecepta observem, vel ea, quae quotidie et ordinarie ago, tam spiritualia, quam exteriora et corporalia, rite exequar. Plerique enim defectus, quos in iis committimus, inde ut plurimum ortum habent, quod

vel nos in laboris ac difficultatis alicujus susceptione non superemus et mortificemus, vel aliqua delectatione ac voluptatula carere nolimus.

3. Mortificare me in incessu, ut ea incedam gravitate ac modestia, quae sacerdotem decet; ac praesertim in illis, quae ad oculos et inguam spectant, si quis mihi hac in parte sit defectus.

4. Mortificare me quoque in quibusdam rebus, quas licite alioquin facere possem, cujusmodi est, non egredi domo, nolle videre pulchra et curiosa; non interrogare vel inquirere, quae scire mea non intersit; nolle dicere, quod libenter dicerem; aliaque id genus innumera.—In examine proponam tot mortificationes mane, tot vesperi facere, a minoribus incipiendo, et semper ad majora progrediendo. Harum enim mortificationum voluntariarum, tametsi in rebus parvis, exercitium magnam afferre utilitatem solet.

5. In iis demum rebus me mortificare, quas alioquin ex officio facere teneor. Verbi gratia, dum ad mensam, studia, lectionem, praedicationem, aut aliud quodcunque exercitium, quod delectat, peragendum abeo, appetitum, voluntatem, pronumque in haec opera affectum meum mortificabo, in corde dicendo: Nolo id, Domine, agere, quia mihi placet aut me delectat; sed ideo tantum, quia ita tu fieri jubes.

IV. *De abstinentia vel gula.*

1. Contentum esse iis cibis, qui communiter apponuntur, alios novosque non quaerendo, nec alio novoque modo coctos, vel conditos, nullam quoque singularitatem, extra evidentem necessitatem, admittendo.

2. In communibus illis cibis, quoad quantitatem, temperantiae regulam non excedere.

3. Appositis vesci, nec nimis avide, nec festinanter; sed modeste ac decenter, videndo ne ab appetitu et delectatione gulae extra debitos limites abripiar.

4. Non loqui de rebus ad escam vel potum pertinentibus, multo minus de cibis subministratis conqueri vel murmurare.

5. Omnes de gula cogitationes rescindere ac repellere.

V. *De patientia.*

1. Nullum exterius impatientiae, sed potius summae pacis, animique compositi, tum in verbis et operibus, tum in ipso vultu signum edere: omnes in contrarium motus et affectus compescendo.

2. Non permittere, ut aliqua in cor perturbatio, malignus sensus indignatio, vel tristitia ingrediatur: multo

minus aliqua vindictae, quantumvis levioris, appetentia.

3. Quaelibet adversa, quae mihi obvenient, accipere, velut a Dei manu, ad majus animae bonum, et profectum meum immissa: quomodocunque et undecunque demum, ea eveniant.

4. In horum praxi tribus hisce gradibus me exercere: omnia, quae mihi occurrent, primo, patienter; secundo, prompte et facile; tertio, cum gaudio et hilariter tolerando: quod illa Dei sit voluntas et beneplacitum.

VI. *De obedientia.*

1. In exteriori obedientia exactissimum esse, relicta etiam littera imperfecta, et ad minimum voluntatis superiorum nutum ac significationem parendo, expressum mandatum non exspectando.

2. Obedire ex voluntate et corde sincero, ut idem velle et voluntatem eandem habeam, quam Superior.

3. Obedire quoque intellectu ac judicio interno, ut idem plane sentiam et censeam, quod Superior, omnibus in contrarium judiciis aut rationibus exclusis.

4. Superioris vocem, pro Dei voce habere; et non secus ac ipsi Christo Domino, ex animo obedire.

5. Exercere obedientiam caecam, idest, non indagare, nec scrutari praecepti rationes, quam scilicet ob causam, et ad quid sic imperetur; sed omnis rationis instar mihi sit, quod id obedientia mandarit, ac Superior injunxerit.

6. Ad ipsos etiam voluntatis actus transire, ut nimirum assuescam cogitare, dum obedio, in eo me facere voluntatem Dei; et hoc, unica mea voluptas, et omne gaudium sit.

VII. *De castitate.*

1. Oculos caute custodire, eas personas et res non intuendo, quarum aspectu castitas periclitaretur, vel quae tentationis carnalis esse incentivum possent.

2. Nulla loqui, nec audire verba, quae ad hanc materiam attinent, quaeque motus, appetitus et cogitationes inhonestas excitare possint; nec similia e libris legere.

3. Nullis cogitationibus etiam remote huc spectantibus, locum dare, sed eas exorientes statim summa cum diligentia ac celeritate repellere.

4. Nullius personae manus, nedum caput aut vultum, contingere; nec se ab aliis tangi sinere.

5. Magna erga seipsum decentia et honestate uti, proprium corpus non intuendo, nec denudando, nec tangendo, nisi expressa id necessitas requirat.

6. Particulares amicitias non colere, nulla etiam munuscula aut res comestibiles dare, vel accipere; cum iis personis, quae esse possent

tentationis occasio, et erga quas peculiariter se quis affici et inclinari senserit, caute circumspecteque se gerere, illorum familiaritatem conversionemque, quoad ejus fieri potest, evitando: quod unicum esse solet in his rebus remedium.

VIII. *De operibus ordinariis bene obeundis.*

1. Non sinere ullum effluere diem, quo spiritualia exercitia mea complete perfecteque non faciam, tempus omne destinatum, ipsis impendendo; et, si necessaria urgentique occupatione tunc temporis distinebor et impediar, defectum hunc alio tempore supplere et resarcire.

2. Orationem mentalem, et examen conscientiae tam generale, quam particulare, bene riteque peragere; examinis quidem methodum exacte observando, at simul dolorem et confusionem de delictis meis, nec non emendationis propositum concipiendo potius, quam anxie quoties impegerim disquirendo: nam in prioribus illis tota examinis vis et fructus consistit; cujus rei defectu multi ex hoc exercitio parvum fructum capiunt.

3. Reliqua exercitia spiritualia pari accuratione peragere: puta Missam celebrare, spiritualem librum legere, et poenitentias et mortificationes obire, ex horum singulis finem et fructum, ob quem instituta sunt, colligere procurando; non autem e consuetudine, vel dicis causa, vel duntaxat tanquam exteriorem quamdam cerimoniam haec suscipiendo.

4. Officio et ministeriis meis omnibus rite fungi, faciendo quoad potuero, et quantum in me erit, ut ea bene succedant et peragantur, tanquam propter Deum et coram Deo illa exsequerer.

5. Nullum sponte et plena voluntate in iis errorem committere.

6. Etiam parva et tenuia permagni facere.

7. Et quoniam in his operibus ordinariis, quae quotidie agenda occurrunt, bene obeundis, omnis meus profectus et perfectio consistit, quotiescunque advertero, me in hoc deficere et intepescere, sedulo curabo, ut examen meum particulare per aliquot dies ei rei applicem ut hoc pacto spiritum renovem, meque in illis perfecte exsequendis velut instaurem.

IX. *De rebus omnibus pure propter Deum faciendis.*

1. Nihil ob respectum aliquem humanum, aut ut ab hominibus videar vel aestimer, vel ob commodum, utilitatem, delectationem aut voluptatem propriam facere.

2. Universa opera mea pure propter Deum agere, assuescendo paullatim, etiam actuali intentione omnia ad Deum

referre. Primo quidem mane, simul ac expergiscor: deinde sub operis cujusque initium: tertio, in ipso operis medio, saepenumero cor meum in eo ad Deum sustollendo, ac dicendo: Propter te, Domine, et propter gloriam tuam, et quia tu ita cupis, hoc facio.

3. Examen hoc facere de eo, ut scilicet quae hactenus dicta sunt, tot vicibus mane, et tot vesperi exerceam; incipiendo primo a minoribus et paulatim ad majora ascendendo: donec habitum quemdam et consuetudinem contraxero, cor et intentionem frequentissime ad Deum inter ipsas actiones sustollendi; inque illis aliud non spectem, quam divinae ejus majestati pure complacere.

4. Non ante hoc examen et exercitium intermittendum est, quam eo perveniam, ut sic faciam opera mea, quasi qui Deo servit, et non hominibus; et usque dum ita ea peragam, ut semper actualiter in iis amem Deum, gaudeamque, quod in illis ejus voluntatem faciam, et omnis mea in iis voluptas et delectatio sit isthaec. Sic prorsus, ut, dum opus perago, magis amare videar, quam operari.

5. Haec scilicet esse debet continua Dei praesentia, in qua jugiter stare debeo et ambulare: haec continua oratio, quam habere procurare debeo. Ea namque animae ...e perutilis et bona futura magnoque adjumento, ut omnia opera mea bene perfecteque peragam.

X. *De conformitate voluntatis nostrae cum divina.*

1. Omnia, quae occurrent et quaslibet occasiones, seu magnae sint, seu parvae, quomodocunque illae veniant, accipere, velut de manu Dei, qui eas mihi ex affectu, et visceribus paternis, ad majus bonum et utilitatem meam, utque hoc pacto me cum sanctissima et divina voluntate ipsius conformem, immittit: perinde ac si Christum ipsum coram viderem, mihique audirem dicentem: volo, fili, ut hoc nunc agas vel patiaris.

2. Operam dare, ut in hac mea cum divina voluntate omnibus in rebus conformitate, quotidie proficiam, semperque progrediar, idque per tres hosce gradus: primo, eas cum patientia; secundo, cum promptitudine et facilitate; tertio, cum gaudio et alacritate ferendo, quod nimirum haec Dei sit voluntas et beneplacitum.

3. Hoc in examine et exercitio tamdiu manere et exerceri debeo, donec visceralem quemdam gustum et delectationem in anima percipiam, quod Domini voluntas, tametsi in eo aliqui labores, despectus et dolores subeundi sint, adimpleatur; quod tota mea voluptas et oblectatio sit, ipsa Dei voluntas et beneplacitum.

4. Nihil omittere eorum, quae cognovero esse Dei voluntatem, et ad majorem ejus gloriam et servitium tendere: imitari in eo conando Redemptorem nostrum Jesum, qui ait; Ego quae placita sunt ei (Patri meo aeterno) facio semper.

5. Exercitii hujus usus, optima et utilissima ratio erit semper in Dei praesentia, et continua oratione ambulandi.

6. Examen de mortificatione, quod supra posuimus, melius fiet, si per modum conformitatis cum divina voluntate assumatur; omnia scilicet, quae accidunt et ingruunt, velut a Dei manu venientia, acceptando. Atque hoc pacto evadet id facilius, sapidius et utilius; erit enim quoddam amoris divini exercitium. "Nec plus, nec minus, nec aliter." St. Berd., Serm. 3.

METHODUS CONFITENDI S. FRANCISCI DE SALES.

Veni Sancte Spiritus, &c.

Suprema et adoranda Majestas, quam hic praesentem credo, me respicientem et auscultantem, scrutantemque profundissimas cogitationes cordis me, adoro te, teneo te, et agnosco te Deum, Creatorem et legitimum Dominum meum, illum unicum, qui est, et qui cum per naturam suam plenitudo essentiae sit, non potest non esse; ideo debitam tibi soli adorationem exhibeo, inclinans animam meam et flectens genua coram te: ut hoc latriae cultu agnoscam supremum et absolutum dominium tuum, quod habes in omnes creaturas tuas.

O Deus lucis, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, coela, si placet, in corde meo lucis, amoris, et doloris ductum: ut bene agnoscam, oderim et detester omnia peccata mea, quorum sum reus ante faciem tuam.

Hic facienda est reflexio accurata, in quibus contra Dominum Deum, contra te et proximum peccaveris: cogitatione, verbo, opere et omissione, dispecto et notato numero et specie saltem mortalium peccatorum. Dein sequens Contritionis actus elici poterit.

Actus Contritionis.

Deus meus, super omnia amabilis! fateor peccata mea multiplicata esse super capillos capitis mei et arenas maris,

et licet eorum non foret nisi unicum, illo perfectiones tuas infinitas offendi. O utinam mihi essent infiniti dolores et poenitentiae motus, cum mihi suppetant causae multiplices, quae me obligent ad dolendum! Peccavi in bonitatem tuam, praehabens vilem creaturam, vanum honorem, transitoriam voluptatem, bonum leve amori tuo. Offendi supremam Majestatem tuam, quam adorare, cui servire, quam omni reverentia omnique contentione honorare debuissem.

Ah Domine! propter tuimet amorem ignosce mihi peccata mea; O Pulchritudo, O Bonitas infinita! quomodo ausus sum te odisse et aspernari! Proh! quantum doleo de hoc brutali et irrationali odio in proximum! de inordinato amore creaturarum, vel auri et opum! Ah! nunquam amplius te offendam nec verbo, nec desiderio malo, nec cogitatione, nec opere. Malo millies bonorum, honoris aut vitae jacturam pati, quam displicere Deo tam bono; et imprimis per tale medium tali vel tali peccato obicem ponam.

Quod, ut primum poteris, faciendum.

Oratio.

Supreme et juste Judex vivorum et mortuorum, qui vides et agnoscis secretissima cordis mei! An fieri potest, ut audeam apparere coram te, postquam tibi fui infidelis? Sed eheu, quocunque me vertam, non possum te fugere: ubique enim es, nec me possum abscondere coram te, cum omnia videas. Quid ergo? Violavi toties sanctitatem praesentiae tuae tot cogitationibus et conspectui tuo abominabilibus actionibus, ego, qui tum metuebam testem habere novissimum hominem. Ah Deus meus! ne judices me in rigore justitiae tuae, sed ignosce secundum magnitudinem misericordiarum tuarum. Detestor ex toto corde meo, quidquid tibi in me displicere potuit et paratus sum (adminiculo gratiae tuae) quam potero optime, injurias tibi factas expiare.

Dolor, quem habeo, te offendisse, O Deus meus! et odium, quo feror in peccata mea, cum sint aequo debiliora, supplico tibi, O Deus sanctitatis infinitae! ut acceptes odium, quo ipsemet ea aversaris et odium Filii tui Jesu Christi in peccata suscipias, una cum sancta ejus vita et morte dolorosa, quam tibi offero in satisfactionem omnium offensarum mearum.

Actus Spei et boni Propositi.

O Deus meus! qui tam facile motus fuisti precibus publicani, lachrymis Magdalenae et petitione latronis poenitentis, tu, qui expansis brachiis tantaque bonitate re-

cipis omnes peccatores revertentes ad te, et implorantes clementiam tuam; ah! omnipotens Domine, numquid invitasti me, sicut quemcunque alterum ad sperandum de tua misericordia?

Spero itaque, O Deus meus! quod eandem mihi gratiam facturus sis: qui decrevi te ultra nunquam offendere. Et quamvis miser sum venia indignus, confido tamen factae mihi promissioni tuae, quae mihi asseverat, te non velle mortem peccatoris, sed ut convertatur. O quantas habeo rationes in te sperandi, Redemptor meus: cum tanta passus fueris in expiationem peccatorum meorum. Hinc protestor tibi, Pater benignissime et misericordissime, quod si mihi obtingere possit felicitas tecum in gratiam redeundi et participandi divinos charitate plenos favores, quos cum dilectis tuis communicas, decreverim, tibi semper fidus permanere et mori potius, quam te deinceps quomodocunque offendere.

Invocatio Deiparae Virginis et Sanctorum.

O beata et gloriosa virgo, Mater Dei, in qua nequissimi peccatores inveniunt salutis aeternae auxilium, tu qui semper prompta es ad sublevandos miseros, Mater misericordiae! nullus unquam in te speravit qui confusus permanserit; ideo ad te recurro, ut adjutus meritis tuis et suffultus gratia Filii tui, digne possim confessionem meam peragere. Angeli, qui mihi dati estis indices consilii et viae, adsistite mihi et orate pro me; et vos Sancti et Sanctae Dei, sub quorum protectionem me constitui, quaeso vos, impetrate mihi intercessionibus vestris, remissionem peccatorum meorum, et gratiam, hanc Confessionem perficiendi adeo integram et absolutam, ac si vitae meae foret ultima.

Alia actus Contritionis formula, cum bono proposito conjuncta.

Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, Creator, Redemptor et Salvator meus, solo amore tui doleo ex toto corde, quod te Deum Creatorem meum offenderim, quem amare debui et volo super omnia: firmiter ergo statuo ac propono, solo amore tui non amplius peccare, omnes peccandi occasiones devitare, peccata mea confiteri, poenitentiam injunctam exsolvere, et si quid alicui debeam, restituere.

Amore etiam tui remitto omnem injuriam a quocunque mihi illatam: insuper ad expianda peccata mea offero Majestati tuae vitam, labores et sudores, ac opera mea bona universa. Ut vero peccatorum meorum veniam humillime

efflagito, ita confido ea ab infinita bonitate tua mihi esse remittenda, praestandam etiam gratiam, qua vitam meam serio emendem et in sanctissimo tuo servitio constanter in finem usque perseverem. Amen.

Breviores affectus.

Laus sit meo Salvatori
Quod det mihi peccatori
Tempus poenitentiae.

In te, O mi Deus, spero,
Amo te corde sincero,
Quia Deus bonus es.

Dolet meum cor malignum
Quod te Deum tam benignum
Vel semel offenderim.

Nolo amplius peccare,
Sed te, mi Jesu, amare
Volo totis viribus.

Ut peccata detestati
Sunt unquam omnes Beati
Sic et ego horreo.

Sanguis Christi et factorum
Merita sint peccatorum
Meorum redemptio.

POST CONFESSIONEM.

Actus fidei.

Credo firmiter, O Deus meus! peccata mea per merita pretiosi Sanguinis tui in hoc poenitentiae Sacramento jam suscepto mihi esse condonata, si omnes dispositiones ad id attulerim, quas in hoc statu exigit justitia tua. Credo etiam esse solam ejusdem sanguinis virtutem, quae actiones meas meritorias facere possit. Mihi igitur, O Domine! totam ejus efficaciam applica; ita, ut reparans quod est defectuosum in Confessione mea, te nil impediat, quominus in coelo absolutionem confirmes, quam mihi Minister tuus in terra impertivit.

Actus gratiarum.
Preces ad Deum Patrem.

O Deus meus, Pater misericordiarum, non scio, quas grates rependam extremae charitati tuae ob beneficium inaestimabile, quod mihi exhibuisti, propter quod me nunquam satisfacere posse confiteor nisi offerendo tibi merita et perfectiones infinitas supremi Domini mei Jesu Christi, Filii tui unici, qui se mihi propitium praebuit.

O Deus meus! Ecce, ego peccator a bonis operibus nudus, a virtutibus inanis et non habens, quo tibi satisfaciam pro peccatis meis, praesento tibi merita Jesu Filii tui, quae pretio infinito enormitatem

offensarum mearum omniumque hominum peccata transcendunt.

O Pater aeterne! offero tibi redemptionis meae pretium eandemque quam Salvator meus exspirans in crucis stipite pro me praestitit solutionem. Converte, Pater sancte! oculos tuos in divinam faciem ejus, et respice corpus ejus, quod quasi mortuum tamen vivit super Altare, et pretiosum ejus Sanguinem in calice, et quamvis nullum ibi verbum profert, pauciora tamen ipsi ora non sunt, quam vulnera, nec voces pauciores, quam sanguinis guttae, quae magis clamant, quam crimina nostra: exaudi eas igitur Domine, qui es Deus clementiae, et si audivisti vocem sanguinis Abel, qui a te vindictam postulabat, multo magis audi vocem Sanguinis Filii tui et fratris nostri, qui a te gratiam petit, qui oravit te pro nobis exspirando, et qui adhuc ex hac ara ad te clamat, sicut fecit in Calvariae monte: Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt, implorans pro nobis misericordiam tuam, qui sumus miseri peccatores, et qui eum millies crucifiximus offensis nostris.

Ignosce igitur, benignissime Pater! ignosce luxui et vanitatibus meis per humilitatem dilectissimi Filii tui.

Per amorem et charitatem ejus largire mihi veniam criminum meorum, et per paupertatem ejus ignosce avaritiae meae et in proximum atrocitati.

Per carnem ejus virgineam et nuditatem in praetorio et cruce, parce impudicitiis meis internis et externis.

Per famem et sitim, quam Salvator meus passus est in deserto, in cruce et fere tota vita remitte mihi intemperantiam et gulam meam.

Per suavitatem hujus Agni sine macula da veniam irae, indignationibus, odio, inimicitiis et ultionibus meis.

Per diligentiam, quo operatus est salutem nostram, remitte mihi pigritiam et acediam meam.

Denique per omnia merita et omnes perfectiones Salvatoris mei indulge mihi remissionem omnium facinorum, defectuum et imperfectionum mearum.

Quodsi praeterea Pater excelse super omnia! a me postulas poenitentiam interiorem, ut, quod delectavit carnem, animae tristitiam pariat, et quod placuit animae et carni, corpus dolore afficiat; ecce me humiliter prostratum ad pedes Majestatis tuae, coram qua quodvis peccatum detestor, et abominor omnes occasiones, quae aditum ad illud parare possunt; intime quoque et summe doleo, quod ullum unquam admiserim, non tam propter supplicium, quod promerentur offensae meae, quam propter bonitatem tuam infinitam et amorem tui, qui es Deus meus

summe adorandus et omni honore dignus: firmiter autem statuo, O Domine! auxiliante sancta gratia tua, nunquam relabi in peccata mea, omnes eorum occasiones fugere et vitare, et in poenitentiam et satisfactionem pro tot criminibus, quibus me inquinavi, patiar libenter, si velis, omnes cruciatus, luctus, injurias, dolores et morbos, quidquid denique adversi et dolorosi mihi contigerit, seu a te directe seu ab aliqua Creatura secundum ordinationem providentiae tuae, cui me ex toto corde submitto, ad ultimum usque vitae halitum. Scio enim te nihil determinasse in exitium meum, cum non creasti me nisi ut salves me, dummodo ex parte mea internis correspondeam gratiae tuae motibus. Fac igitur in me O Deus meus! quidquid jubes me facere, et jube quidquid lubet. Amen.

Affectus breviores.

Laus sit Dei bonitati,
Quae me lavit a peccati
    Sorde, Christi Sanguine.
Amo Dei bonitatem;
Ob hanc autem foeditatem
    Peccatorum horreo.

Per amorem Christi Dei
Ejus plagae loco mei
    Patri satisfaciant.
Ah! peccatum jam est satis,
Server posthac a peccatis
    Tua Deus gratia!

Per crucem et mortem tuam
Fac, ne posthac unquam ruam,
    Jesu dilectissime.
Malo mori, quam foedari
Et a Deo separari
    Peccato vel unico.

METHODUS CONFITENDI, &c.

"Quod veniale est plebi, criminale est sacerdoti."—
Petr. Bles., Serm.

Quid tandem proderit mihi, si universum mundum lucratus fuero, animae vero meae detrimentum faciam? quid ex mundi gloria mihi erit, si ad infernum descendam? quid a coelo, quid a terra sperare possum, te Deo meo offenso? Agnosco, Deus meus, inique me hactenus egisse, et in multis proximo injuriam intulisse: ignosce culpam agnoscenti in satisfactionem, et tuae voluntatis adimpletionem, propono et statuo, te adjuvante, omnium damna a me sive in honore, sive in bonis proximo illata, quantum

possum, resarcire, et aliquam insuper eleëmosynam elargiri. Aufer a me, quod hactenus fovi, cor lapideum, durum, et invidum; et redde cor carneum, cor humanum, cor mite, tuaeque benignitati conforme, ut et ego inter filios Abrahae a te electos, recenseri merear. Tu enim Venisti salvum facere, quod perierat. Luc. xix. 10.

ORATIO.

Juxta exemplum Latronis in Cruce, si quis poenitentiam distulerit.

Sero ad te venio, O Jesu crucifixe! tempus est, ut me tibi conciliem, quod enim juvenes aeque ac senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi? an non et ego una cum illis e medio tolli aeternumque damnari potuissem? quid te, mi Jesu, movit, ut mihi prae aliis parceres nisi bonitas tua infinita? ne ergo me quaeso nunc a te repellas, nemo unquam serio poenitens ad te sero nimis venit. Latroni in Cruce ultimo vitae articulo condonasti, quidquid omnibus vitae suae annis peccavit, eodemque die in Paradisum recepisti. Per insigne hoc tuae misericordiae et clementiae opus te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris et doloris affectu) oro, O Jesu Nazarene, miserere mei, et in tuam, licet indignum, me gratiam recipe. Fateor amarissimae tuae passionis, et crucis causam esse delicta mea, quae proinde ex animo nunc detestor cum firmissimo proposito, ea me deinceps cum tua gratia nunquam repetiturum. Misererem ei, O Jesu, miserere mei, O Jesu, miserere mei, qui Misereris omnium propter poenitentiam. Sap. xi. 24.

ORATIO.

Juxta parabolam ovis perditae. Luc. xv.

Erravi sicut ovis, quae periit, Pastor bone, pie Jesu, quaere servum tuum, et reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: Visitabo oves meas: quod perierat, requiram; et quod abjectum erat, reducam; quod confractum; alligabo, et quod infirmum, consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, et sana ea. Tuis me humeris licet indignum excipe; et adduc ad gregem electorum tuorum: Ibi Misericordias Domini in aeternum cantabo. Ps. lxxxviii. 2.

ORATIO.

Juxta parabolam incidentis in latrones. Luc. x.

Me miserum! qui ab Jerusalem in Jericho descendi: qui loco verae pacis deserto fallaces mundi et carnis delectationes sectatus sum, et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiae

veste spoliatus, et ad mortem animae miserando spectaculo vulneratus sum! Propitios in me oculos converte, O pie Samaritane, et miserere mei in sanguine peccatorum meorum volutantis. Non est, qui possit aut velit misero mihi in hoc statu salutarem praebere manum praeter te, Domine Jesu; in te solo omnis vitae spes est posita: tu unicus es animae meae medicus, huic, obsecro, amoris tui vinum et misericordiae oleum infunde, et induc in vulnus sacratissimi Lateris tui. Haec requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Ps. cxxxi. 14.

Oratio.

Regis Manassis.

Domine omnipotens, importabilis est magnificentia gloriae tuae, et insustentabilis ira comminationis tuae super peccatores: immensa vero, et investigabilis misericordia promissionis tuae: quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis, et multum misericors, et poenitens super malitias hominum. Tu, Domine, secundum multitudinem bonitatis tuae, promisisti poenitentiam, et remissionem iis, qui peccaverunt tibi, et multitudine miserationum tuarum decrevisti poenitentiam peccatoribus in salutem. Tu igitur, Domine Deus justorum, non posuisti poenitentiam justis, Abraham, et Isaac, et Jacob, iis qui tibi non peccaverunt, sed posuisti poenitentiam propter me peccatorem; quoniam peccavi super numerum arenae maris; multiplicatae sunt iniquitates meae, et non sum dignus intueri, et aspicere altitudinem coeli prae multitudine iniquitatum mearum. Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare peto, rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in aeternum iratus, reserves mala mihi, neque damnes me in infima terrae loca, quia tu es Deus, Deus, inquam, poenitentium; et in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, et laudabo te semper omnibus diebus vitae meae: quoniam te laudat omnis virtus coelorum, et tibi est gloria in secula seculorum. Amen.

FORMA BREVIS.

Actus Fidei.

Credo Domine Deus, quidquid per Scripturam, unigenitumque Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et SS. Apostolos revelasti, mihique per Ecclesiam, quae columna est, et firmamentum veritatis, credendum proposuisti. In hac Catholica Fide per tuam gra-

tiam vivere et mori statuo. Amen.

Actus Spei.

In te benignissime Pater, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, omnem spem meam ac fiduciam repono. Magna quidem et multa sunt delicta mea; tua tamen infinite major est bonitas, quae non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: hac tua immensa bonitate fretus, remissionem omnium meorum peccatorum et vitam aeternam me consecuturum plane confido.

Actus Charitatis.

Quis te non amet amantissime Deus, qui in charitate perpetua dilexisti nos, Filiumque tuum unigenitum dedisti pro nobis? Quando mi Deus, veniam et apparebo ante famen tuam, cupitisque complexibus tuis aeternum fruar?

ORATIO

Ad Spem excitandam. S. August. cap. xiii. med.

Peccavi Domine, peccatum grande et multorum sum mihi conscius delictorum; sed nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia: qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te Deum esse misericordem. Magnam injuriam tibi facit, qui de tua misericordia diffidit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine Jesu, in mentem meam venerit. Clavi et Lancea clamant mihi, quod tibi reconciliatus sum, si te amavero. Longinus aperuit mihi Latus tuum et ego intravi, et ibi requiesco securus; nullum tam potens amoris erga te incitamentum est, quam mors tua, mi Jesu, qua me redemisti. Inclinas Caput tuum in morte ut osculum mihi, quamvis peccatori, des: extendis brachia tua in Cruce et expandis manus tuas, paratus in amplexus meos. Inter brachia tua et vivere volo et mori cupio. Amen.

Actus Contritionis.

Utinam te Domine, Deus meus ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis super omnia (quod opto) diligam? Utinam ipsum Seraphinorum amorem exaequem, in eoque aeternum persistam? Tu scis Domine, quia amo te, magisque amare cupiam: quod millies malim mori, quam in talia .... peccata relabi. O quam doleo, quod te summum et amantissimum bonum meum unquam offenderim: Utinam (quod firmissime tua fretus ope propono) te nunquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es, cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

PRECES POST CONFESSIONEM.

Oratio.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis Beatae semper Virginis genitricis tuae Mariae, et omnium Sanctorum grata et accepta ista Confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua: et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Gratiarum actio post Confessionem, juxta exemplum Leprosi. Luc. xvi.

Ad te, O benignissime Jesu, revertor, et gratias ago, quod a foetidissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit Nomen tuum, O Jesu, benedictum in secula. Vere tu Jesus, hoc est, Salvator es, qui neminem a te quemlibet flagitiosum repellis, qui omnes serio poenitentes in gratiam recipis, et in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiae tuae viscera, O Jesu, agnosco et amplector: meque totum servitio tuo deinceps addico. Adjuva, obsecro, imbecillitatem meam, ut nunquam hujus tui mihi praestiti beneficii oblitus amore ullius delectationis, aut praeposteri affectus impulsu, in priora peccata velabar, meque a te separem. Cor et animam meam dilectionis tuae brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo audeam: Quis me separabit a charitate Christi? Rom. viii. 35.

Alia praeclara gratiarum actio post Confessionem, per Ps. ii.

Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae juventus tua.

Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

Miserator et misericors Do-

minus: longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem Coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, his, qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

Aspr. "Da Domine Deus meus, cordi meo poenitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem." St. Aug. Medit. c. I.

ORATIO AD RENOVANDAM GRATIAM ORDINATIONIS.

Omnipotens Deus, qui non meis meritis, sed unica gratia tua posuisti in me verbum reconciliationis, et pro Christo legatione et sacerdotio ejus fungi tribuisti: resuscita in me; et in omnibus ministris tuis, gratiam presbyteri, quam dedisti nobis cum impositione manuum. Fac me dignum tuis altaribus ministrum, fidelem et prudentem, dispensatorem mysteriorum tuorum tamque sanctum, irreprehensibilem et placentem tibi mediatorem inter te et populum, ut semper placem te, et exaudies me. Combure me zelo gloriae tuae, et meae omniumque hominum salutis eorum imprimis, quos commisisti mihi.

Attendam lectioni, exhortationi, et doctrinae. Mundum oderim, et fugiam, diligam vero solitudinem, duc animam meam in eam ibi loquere ad cor meum et doce me, quid primus faciam, et alios doceam. Utque mihi et illis

necessarium gratiae tuae anxilium obtimeam, fac me virum disideriorum, et orationis continuae.

Sacrificia mea consumantur et placeant tibi, Domine, quotidie; jugi mortificatione carnis et spiritus immoler ipse supra sacrificium, gestemque in pectore meo judicium omnium in conspectu tuo semper, ut mihi et illis, quidquid scis opus esse, concedas, per summum Pontificem nostrum Jesum Christum, filium tuum, &c. Amen.

VISITATIO SS. VENERABILI.

PRECES ET PIAE ASPIRATIONES ANTE SS. CORPUS CHRISTI PERSOLVENDAE, ITEM ANTE VEL POST SACRUM.

Argumentum.

"Ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam." Matt. ii. Cur? Illi respondent: venimus adorare Regem Judeorum.

Trini illi viri, tum graves aetate tam longam et asperam non horruere viam, ut Jesum in praesepi viderent et adorarent.

Ecce, tu potes Jesum in Ecclesia; ubi in SS. Eucharistia veluti in praesepio latet, quotidie longe faciliori modo invisere, videre atque adorare, et tamen tergiversaris?

Non te pigeat invisere et adorare Deum tuum, quem non piguit amore tui descendere e celo usque ad terram. Noli suo gaudio fraudare Jesum tuum; "cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum." Prov. viii. Saepius visita S. venerabile, ibique Jesu tuo cum tribus regibus munera offer, aurum, nemphe dilectionis, thus, orationis, myrrham, contritionis.

Non tardes accedere ad ecclesiam, Jesus te ibi exspectat. Veni ad eum ex templo ne solus sit in templo.

O quam avide ad fontem, e quo manaret omnis sanitas, sapientia, felicitas, curreres; imo, contenderes primus ex eo haurire.

Quid autem manat e SS. venerabili?

Profecto ipsa Salus, ipsa Sapientia, Beatitudo, Deus homo?

In SS. venerabile est tibi Jesus omnia, per quem facta sunt omnia, "Omnia habemus in Christo, et omnia Christus est nobis." S. Ambros: "Si sites; fons est; si esuris; panis est; si aegrotas; medecina est; si ignoras; scientia est; si periclitaris; auxilium est; si contristaris; solatium est. Cur ergo ad hunc fontem

tam salutiferum accurere negligis?"

Mundus clamat; ergo deficio,—caro clamat; ergo inficio,—Diabolus clamat; ergo desipio, — Christus clamat; ergo reficio; hinc bonus non est mundus, non caro, non diabolus: "Nemo bonus, nisi solus Deus." Luc. xviii.

Fidelis minister Christi, Quid ergo tibi cum mundo et asseclis ejus? Quid vagaris, per multa quaerens bona animae et corporis? "Quaere unum bonum, in quo est omne bonum; et sufficit." St. Anselm. Ega? "Quemadmodum desiderat cervus ad fontes a quarum," ita accurere ad SS. venerabile, veluti ad fontem vivum.

"Quam dilecta tabernacula Dei hujus," concupiscit et deficit anima mea in atria ejus; surgam et ibo ad illum, veni, anima mea, et videamus hoc Verbum quod factum est veni, et offeramus ei munera aurum, thus, et myrrham. Sed Sacerdos es, homo templi, homo sanctuarii, homo altaris, homo Dei, tuum est inter vestibulum et altare plorare. Tuum est in ira mea stare contra me, et lacare, tuum est pro delictis omnium exorare.

O Sacerdos! O minister Summi Regis; num relinques illum solum?

O discipule, num optimum Magistrum tuum fugies; utique, Domine, quolibet vespere veniam videre sepulcrum, in quo vivens tu ipse homo Deus humiliter et amenter quiescis.

Ibi adorabo pronus in terram; confitebor adversum me iniquitatem meam; laudabo nomen tuum cum cantico, magnificabo te in laude; petam, et accipiam; pulsabo, et aperietur mihi.

Ibi discam semitas justitiae tuae, ibi edocebor non tamere mala, ibi fortis effeciar contra omnes qui tribulant me; ibi misericordia tua circumdabit me, ut subsequatur me omnibus diebus vitae meae, donec inhabitem in domo tua celesti, in longitudinem dierium. Memorl. Vit. Sac.

PETITIONES VARIAE

(Ex quibus una alterave elegi potest).

---

1. *Jesus verus Deus.*

O Jesu, Deus verus de Deo vero! Esto mihi in Deum protectorem; et in domum refugii, ut salvum me facias. Ps. xxx. 3.

O Jesu, imago Patris! Renova spiritum mentis meae, et sicut portavi imaginem hominis terreni, portem et celestis. 1 Cor. xv.

O Jesu, Sapientia aeterna! Omnem a me vanam scientiam aufer; nihil enim scire cupio, nisi te Jesum meum crucifixum. 1 Cor. ii. 2.

Pro conclusione singulae visitationis, *vide* page 265—*Commendatio, et Petitio.*

2. *Jesus verus Homo.*

O Jesu, Verbum incarnatum, habitans in nobis! Fac me divinae tuae consortem naturae. 2 Pet. i. 4.

O Jesu, Fili hominis! qui cum esses in forma Dei, formam servi accepisti; superbia numquam in sensu meo dominetur. Tob. iv. 14.

O Jesu, Primogenite in multis fratribus! Fac mihi, sicut promisisti, locum in Regno Patris tui: ut ubi tu es, et ego sim. Joan. xiv. 3.

3. *Jesus Redemptor.*

O Jesu, Redemptor meus! Tuus sum ego: accipe me; nam tuo Sanguine, pretio sane magno, emisti me. 1 Cor. vi. 20.

O Jesu, Salvator meus! salva me: nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. iv. 12.

O Jesu, Auctor vitae meae! Tibi vivit anima mea; mihi enim vivere tu Christus es, et mori lucrum. Phil. i. 21.

4. *Jesus Dominus.*

O Jesu, Dominus meus, et Deus meus! Posside me; quia ego servus tuus, et filius ancillae tuae. Ps. cxv. 6.

O Jesu, Rex meus! impera mihi: Agnosco jugum tuum vere suave esse, et onus tuum leve. Matt. xi. 30.

O Jesu, Defensor meus! sub umbra tua protege me: pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Job. xvii. 3.

5. *Jesus Sponsus.*

O Jesu, Sponsus Sanguinum tu mihi es! Sponsa te mihi in misericordia et in misera-

tionibus, in sempiternum. Osse. ii. 19.

O Jesu, Amor meus, speciosus prae filiis hominum! Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Ps. lxxii. 24.

O Jesu, Solatium et gaudium meum! Introduc me in cellaria tua; exultabo et laetabor in te. Cant. i. 3.

6. *Jesus Pastor.*

O Jesu, Pastor bone! qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis; propter Nomen tuum deduces me, et enutries me. Ps. xxx. 4.

O Jesu, Panis vive, qui de coelo descendisti! tu solus es qui reples in bonis desiderium meum. Ps. cii. 5.

O Jesu, Fons vitae! Sitivit anima mea ad te; fac ut hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isa. xii. 3.

7. *Jesus Magister.*

O Jesu, Magister a Deo nobis misse! Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Ps. cxviii. 66.

O Jesu, Doctor et Praeceptor meus! Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Ps. cxviii. 35.

O Jesu, Lux mundi! Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deducant in montem sanctum tuum, et in [ta]bernacula tua. Ps. xlii. 3.

8. *Jesus Advocatus.*

O Jesu, Advocate noster apud Patrem! Sis propitiatio non tantum pro peccatis meis; sed etiam totius mundi. 1 Joan. ii. 2.

O Jesu, Mediator meus! Patri tuo me reconcilia; unus enim mediator Dei et hominum tu es, Christe Jesu. 1 Tim. ii. 5.

O Jesu, Refugium meum! Intra vulnera tua absconde me; hic in pace in idipsum dormiam et requiescam. Ps. iv. 9.

9. *Jesus Medicus.*

O Jesu, Medice corporis et animae meae, qui dolores nostros ipse portasti: livore tuo sanati sumus. Isa. liii. 4, 5.

O Jesu, vere Samaritane! Infunde vinum et oleum in vulnera mea, et sana animam meam, quia peccavi tibi. Ps. xl. 4.

O Jesu, Agne innocens pro me ad occisionem ducte! Munda cor meum; tu enim tollis peccata mundi. Joan. i. 29.

10. *Jesus Judex.*

O Jesu, Judex! qui venturus es judicare vivos et mortuos; non intres in judicium cum servo tuo. Ps. cxlii. 2.

O Jesu, Justitia mea! Responde pro me; quia ego non potero respondere unum pro mille. Job. ix. 3.

O Jesu, Auctor spei meae! Statue me a dextris inter oves tuas; et ab auditione mala non timebo. Ps. cxi. 6.

11. *Jesus Glorificatur.*

O Jesu, Pars hereditatis meae, et portio mea in terra viventium! Hereditatem meam restitue mihi. Ps. xv. 5.

O Jesu, Merces mea magna nimis! Admitte me in bona Domini, quae praeparasti diligentibus te. 1 Cor. ii. 9.

O Jesu, Vita, Salus et Resurrectio mea! Cupio dissolvi, et esse tecum; mihi enim adhaerere tibi bonum est. Ps. lxxii. 27.

SEPTEM DIVINI AMORIS JACULA.

Quando te, mi Jesu, brachiis animae meae constringam; ne, oro, peccatis excludar: vere eorum me nunc amore tui poenitet.

Utinam te solum, mi Jesu, possideam et in aliis omnibus sim pauper! prae te vilescunt mihi omnia mundi bona, tu solus places.

Felix, qui omni rerum terrenarum cura solutus, tibi soli, mi Jesu, vacat, et videt, quam suavis sit in omnibus Spiritus tuus!

Amo te, suavissime Jesu, super coelum et terram et omnia, quae in iis continentur, in te solo cor meum conquiescit.

O charissime Sponse, en ego sto ad ostium tuum, et pulso; admitte me: omnibus hujus mundi voluptatibus lubens renuntio.

O Jesu, permitte me quiescere super sacratissimum pectus tuum, ut inde cor meum accendatur semperque ardeat.

O Vita mea, per quam vivo, sine qua morior: concede ut tibi conjungar, et in amplexu tuo moriar.

QUINQUE AMANTIS ANIMAE SUSPIRIA.

Jesu mi Deus et omnia! cur umquam offendi te qui usque in finem dilexisti me? An non et ego amem te? Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. 1 Cor. xvi. 22.

Emitte, mi Jesu, lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deducant et adducant in montem sanctum tuum et in Tabernacula tua. Ibi secure exultabo in te Deo Jesu meo. Ps. xlii. 3.

Salve, O Imago aeterni Patris! O speciose forma prae

filiis hominum! in quem desiderant Angeli prospicere. O cordis mei desiderium! Ostende mihi faciem tuam, et salvus ero. Ps. lxxix. 20.

Utinam, O Bonitas infinita, amoris victima pro me facta, totus vicissim tibi in amoris victimam consecrer! faciasque (quod unice exopto) ut vere dicam: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Gal. vi. 14.

Suavissime Jesu, aufer spiritum meum, et tuum in me transfunde: tuo enim Spiritu animatus exclamabo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Gal. ii. 20.

Hymnus.

Jesu, dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius
Quam Jesus Dei Filius.

Jesus, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quaerentibus,
Sed quid invenientibus!

Jesu dulcedo cordium
Fons vivus, lumen mentium
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere
Nec littera exprimere
Expertus potest credere
Quid sit Jesum diligere.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine
Mundum replens dulcedine.
Amen.

Oratio ad Jesum Salvatorem.

O Bone Jesu! O piissime Jesu! O dulcissime Jesu! O Jesu Fili Mariae Virginis, plene misericordia et pietate: O dulcis Jesu! secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu! te deprecor per illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me respicias miserum et indignum, humiliter veniam petentem, et hoc Nomen sanctum Jesu invocantem. O Nomen Jesu, Nomen dulce! Nomen delectabile! Nomen confortans! Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Ergo Jesu, propter Nomen sanctum tuum, esto mihi Jesus et salva

me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu! recognosce quod tuum est, et absterge quod alienum est. O benignissime Jesu! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendero in aeternam corruptionem? Non mortui laudabunt te, Domine Jesu, neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu! O desideratissime Jesu! O mitissime Jesu! admitte me intrare in numerum Electorum tuorum. O Jesu, salus in te credentium! O Jesu, solatium ad te confugientium! O Jesu, dulcis remissio omnium peccatorum! O Jesu, Fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem et humilitatem: ut possim te perfecte diligere, te laudare te perfrui, tibi servire, et in gloriari, et omnes qui invocant Nomen tuum, quod est Jesus. Amen.

ADORATIO CHRISTI IN EUCHARISTIA.

O Domine Jesu Christe, verus Deus et Homo. Ego te hic vere praesentem agnosco, supplex adoro, de vivae Carnis tuae et Sanguinis, Corporisque et animae veritate nihil omnino dubitans. Utinam vero eo te modo contemplari, et cognoscere, diligere, laudare, et glorificare queam quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, diligunt, et glorificant in coelis! Quantum enim tibi debeo, quod amore mei e coelo descenderis, teque in ara Cruce pro me obtureris? Et te in immortale monumentum amoris tui mihi in Sacramento reliqueris? Vae mihi, si amorem hunc amore non compensem?

Actus Fidei, Spei, Charitatis, et Oblationis.

O Sapientia infinita! O aeterna veritas! O bonitas immensa! quae nec falli, nec fallere potest credo in te, et credo tibi in omnibus, quae revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. In primis vero credo, te in sanctissimo hoc Sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, omnibusque sensibus. Et pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, O bonitas infinita! teque per inexhaustam misericordiam tuam, et pretiosissima merita, veniam, gratiam, et gloriam mihi promissam, daturum confido.

Amo, et amabo te, et omnia, quae tu amas propter te, O fons infinite omnis boni! quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore, et gloria tibi ab electis tuis, et omnibus hominibus unquam reddita, et in aeternum reddenda.

Te, tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentia, fiduciae, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero, aut passus fuero in hoc mundo, cedat ad tuam gloriam.

Totus sum tuus: fac de me quidquid vis, nunc et aeternum. Amen.

LAUS SS. SACRAMENTI.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quod in celo stellae, in igne scintillae, in aere atomi, in mari guttae, in terra pulveres: quot in vere flores, autumno folia, hyëme nives et grandines: quot corporeae in universo sunt creaturae, quia dignus es, Domine, universorum, qui sub corporeis vini, panisque speciebus lates. Vere tu es Deus absconditus. Isa. xlv. 15.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot ullo opere exhiberi: quot ore proferri: quot corda omnium hominum excogitari unquam potuere, vel possunt; quia dignus es tu, Domine, Pater noster, qui nos cibas et potas quotidie, cujus redempti sumus pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati. 1 Pet. i. 19.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot omnes Angeli, ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest; quia dignus es, Domine Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, Dominus meus, et Deus meus, vere laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in secula. Dan. iii. 52.

Petitio.

Benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, a quo omnia a nobis mala arcentur averte a me omnem

vanitatem, mentis elationem carnis libidinem, oris licentiam, avaritiae ardorem, et quidquid demum divinae Majestati tuae displicet; ut tibi Deo meo in veritate serviam, et in corde perfecto laudem, et glorificem in secula. Amen.

Commendatio sui.

Commendo me tibi, O bone Jesu: intra melifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium: in morte viaticum; in aeternitate praemium. Id rogo te pro me, et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem, et Sanguinem tuum. Amen.

Petitio Benedictionis.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et Sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper, et in omnibus, nunc et in hora hortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

HYMNUS.

O mi Jesu! Agnus Dei!
Jesu miserere mei
    Peccatoris maximi!
Dolet meum cor malignum
Quod te Deum tam benignum
    Vel semel offenderim.

Nolo, nolo jam peccare
Sed te, Jesu mi! amare
    Volo totis viribus.
Non sum dignus, non sum
    dignus,
Ut tu Deus tam benignus
    Cordes mei hospes sis.

Non sum dignus, sed te tamen
Cordis unicum solamen
    Mi Jesu desidero!
Ad te, mi Jesu! accedo:
In te spero, in te credo,
    Amo te medullitus.

Veni Jesu me dignare
Peccatorem satiare
    Corpore et sanguine.
In adspectu SS. Sacramenti.
Jam, quod quaesivi; video.

BREVIORES AFFECTIONES.

Veni, o veni Domine! qui es totus bonus et amabilis, veni operare excellenter in me id, propter quod venis. O dilecte cordis mei, ne ultra distuleris adventum tuum.

Ah mi Jesu! quam ardenter te suscipere desidero intra cor meum.

Est fateor habitaculum te indignum sed adeo bonus, adeoque magnificus es, ut ex illo habitaculum tuum facere, illudque donis tuis exornare non dedigneris.

Veni igitur, dilecte Salvator! fateor me non esse nisi peccatum, corruptionem metalitiam; sed scio misericordias tuas esse supra omnes iniquitates.

O Deus meus! intra in animam meam et sanctifica eam: posside cor meum et purifica illud. Veni in corpus meum et conserva illud, nec permitte, ut me unquam separem abs te.

Combure, O ignis consumens! quidquid in me vides tua praesentia indignum et quidquid potest facere obstaculum gratiae et amori tuo.

O coeleste Manna! utinam ita gustem te, ut omnes mundi voluptates mihi insipidae fiant.

RECOLLECTIONES PRECATORIAE DE IMITATIONE CHRISTI.

De amore Jesu super omnia.

Beatus, qui intelligit, quid sit amare Jesum; et contemnere seipsum, propter Jesum.

Oportet dilectum pro dilecto relinquere, quia Jesus vult solus super omnia amari.

Dilectio creaturae, fallax et instabilis.

Dilectio Jesu, fidelis et perseverabilis.

Qui adhaeret creaturae, cadet cum labili.

Qui amplectitur Jesum, firmabitur in aevum.

Illum dilige, et amicum tibi retine, qui, omnibus recedentibus, te non relinquet, nec patietur in fine perire.

Ab omnibus oportet te aliquando separari, sive velis, sive nolis.

Teneas te apud Jesum, vivens ac moriens: et illius fidelitati te committe, qui, omnibus deficientibus, solus te potest juvare.

Dilectus tuus talis est naturae, ut alienum non velit admittere: sed solus vult cor tuum habere, et tamquam rex in proprio throno sedere.

Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi pure Deus, aut de Deo sit.

Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura.

Amans Deum anima, sub Deo despicit universa.

Solus Deus aeternus et immensus, implens omnia, solatium animae, et vera cordis laetitia.

QUOD TOTO CORDE ANIMA DEVOTA CHRISTI UNIONEM IN SACRAMENTO AFFECTARE DEBET.

Quis mihi det, Domine, ut inveniam te solum, et aperiam tibi totum cor meum, et fruar te, sicut desiderat anima mea: et jam me nemo despiciat, nec nulla creatura me moveat vel respiciat, sed tu solus mihi loquaris, et ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum loqui, et amicus cum amico convivari?

Hoc oro, hoc desidero, ut tibi totus uniar, et cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque per sacram Communionem, ac frequentem celebrationem, coelestia et aeterna sapere discam.

Ah Domine Deus, quando ero tecum totus unitus, et absorptus, meique totaliter oblitus?

Tu in me, et ego in te; et sic nos pariter in unum manere concede.

Vere tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae.

Vere tu pacificus meus, in quo pax summa et requies vera, extra quem labor et dolor, et infinita miseria.

Vere tu es Deus absconditus; et consilium tuum non est cum impiis, sed cum humilibus et simplicibus sermo tuus.

O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo, de coelo descendente, illos reficere dignaris.

Vere non est alia natio tam grandis, quoe habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu, Deus noster, ades universis fidelibus tuis; quibus ob quotidianum solatium, et cor erigendum in coelum, te tribuis ad edendum et fruendum.

Quae est enim alia gens tam inclyta, sicut plebs Christiana?

Aut quae creatura sub caelo tam dilecta, ut anima devota, ad quam ingreditur Deus, ut pascat eam carne sua gloriosa?

O ineffabilis gratia! O admirabilis dignatio! O amor immensus homini singulariter impensus!

DE FAMILIARI AMICITIA JESU.

Quando Jesus adest, totum bonum est, nec quidquam difficile videtur: quando vero Jesus non adest, totum durum est.

Quando Jesus intus non loquitur, consolatio vilis est: si autem Jesus unum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur.

Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco, in quo flevit, quando Martha illi dixit: Magister adest, et vocat te?

Felix hora, quando Jesus vocat de lacrymis ad gaudium spiritus!

Quam aridus et durus es sine Jesu! Quam insipiens et vanus, si cupis aliquid extra Jesum! Nonne hoc est majus damnum, quam si totum perderes mundum?

Quid potest tibi mundus conferre, sine Jesu?

Esse sine Jesu, gravis est infernus: et esse cum Jesu, dulcis paradisus.

Si fuerit tecum Jesus, nullus poterit nocere inimicus.

Qui invenit Jesum, invenit thesaurum bonum, imo bonum super omne bonum.

Et qui perdit Jesum, perdit nimis multum, et plus quam totum mundum.

Pauperrimus est, qui vivit sine Jesu: et ditissimus, qui bene est cum Jesu.

Magna ars est, scire cum Jesu conversari; et scire Jesum tenere, magna prudentia.

Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus.

Sis devotus et quietus, et manebit tecum Jesus.

Potes cito fugare Jesum, et gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora declinare.

Et si illum effugaveris et perdideris, ad quem fugies, et quem tunc quaeres amicum?

Sine amico, non potes bene vivere: et si Jesus non fuerit tibi prae omnibus amicus, erit nimis tristis et desolatus.

Fatue igitur agis, si in aliquo altero confidis, aut laetaris.

Eligendum est magis, totum mundum habere contrarium, quam Jesum offensum.

Ex omnibus ergo charis, sit Jesus solus dilectus specialis.

Diligantur omnes propter Jesum, Jesus autem propter seipsum.

Solus Jesus Christus singulariter est amandus, qui solus bonus et fidelis prae omnibus invenitur amicis.

Propter ipsum, et in ipso, tam amici quam inimici, tibi sint chari: et pro omnibus his exorandus est, ut omnes ipsum cognoscant et diligant.

Numquam cupias singulariter laudari vel amari, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet.

Nec velis, quod aliquis tecum in corde suo occupetur, neque tu cum alicujus occuperis amore: sed sit Jesus in te, et in omni bono homine.

Esto purus et liber ab intus, sine alicujus creaturae implicamento.

Oportet te esse nudum, et purum cor ad Deum gerere; si vis vacare et videre, quam suavis est Dominus.

Et revera ad hoc non pervenies, nisi gratia ejus fueris praeventus et intractus: ut omnibus evacuatis et licentiatis, solus cum solo uniaris.

Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: et quando re-

cedit tunc pauper et infirmus erit, et quasi tantum ad flagella relictus.

In his non debet dejici, nec desperare; sed ad voluntatem Dei aequanimiter stare, et cuncta supervenientia sibi ad laudem Jesu Christi perpeti: quia post hiemem sequitur aestas; post noctem redit dies, et post tempestatem magna serenitas.

DE DIE AETERNITATIS, ET HUJUS VITAE ANGUSTIIS.

O Supernae civitatis mansio beatissima! O dies aeternitatis clarissima; quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat; dies semper laeta, semper secura, et numquam statum mutans in contraria.

O utinam dies illa illuxisset, et cuncta haec temporalia finem accepisent!

Lucet quidem Sanctis perpetua claritate splendida, sed non nisi a longe et per speculum peregrinantibus in terra.

Norunt coeli cives, quam gaudiosa sit illa: gemunt exules filii Evae, quod amara et taediosa sit ista.

Dies hujus temporis parvi et mali, pleni doloribus et angustiis: Ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur, deliciis enervatur, egestate cruciatur.

O quando finis horum malorum? quando liberador a misera servitute vitiorum?

Quando memorabor Domine tui solius? quando ad plenum laetabor in te?

Quando ero sine omni impedimento in vera libertate, sine omni gravamine mentis et corporis?

Quando erit pax solida, pax imperturbabilis et secura, pax intus et foris, pax ex omni parte firma?

Jesu bone, quando stabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus!

O quando ero tecum in regno tuo, quod praeparasti dilectis tuis ab aeterno?

Relictus sum pauper et exul in terra hostili, ubi bella quotidiana, et infortunia maxime.

Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te suspirat omne desiderium meum.

Nam onus mihi totum est, quidquid hic mundus offert ad solatium.

Desidero te intime frui, sed nequeo apprehendere.

Opto inhaerere coelestibus,

sed deprimunt res temporales, et immortificatae passiones.

Mente omnibus rebus superesse volo, carne autem invite subesse cogor.

Sic ego homo infelix mecum pugno, et factus sum mihimetipsi gravis, dum spiritus sursum, et caro quaerit esse deorsum.

O quid intus patior, dum mente coelestia tracto, et mox carnalium turba occurrit oranti! Deus meus, ne elongeris a me, neque declines in ira a servo tuo.

Fulgura coruscationem tuam, et dissipa, eas : emitte sagittas tuas, et conturbentur omnes phantasiae inimici.

Recollige sensus meos ad te: fac me oblivisci omnium mundanorum: da cito abjicere, et contemnere phantasmata vitiorum.

Succurre mihi aeterna Verita, ut nulla me moveat vanitas.

Adveni coelestis suavitas, et fugiat a facie tua omnis impuritas.

Ignosce quoque mihi, et misericorditer indulge, quoties praeter te aliud in oratione revolvo.

Confiteor etenim vere, quia valde distracte me habere consuevi.

Nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo: sed ibi magis sum, quo cogitationibus feror.

Ibi sum, ubi cogitatio mea est. Ibi est frequenter cogitatio mea, ubi est quod amo.

Hoc mihi cito occurrit quod naturaliter delectat, aut ex usu placet.

Unde tu Veritas aperte dixisti: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Si coelum diligo, libenter de coelestibus penso.

Si mundum amo, mundi felicitatibus congaudeo, et de adversitatibus ejus tristor.

Si carnem diligo, quae carnis sunt saepe imaginor.

Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector.

Quaecumque enim diligo, de his libenter loquor, et audio; atque talium imagines mecum ad domum reporto.

Sed beatus ille homo, qui propter te, Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit; qui naturae vim facit, et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit: ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat, dignusque sit angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris et intus exclusis.

ORATIO AD IMPLORANDAM DEVOTIONIS GRATIAM.

Domine Deus meus, omnia bona mea tu es: et quis ego sum, ut audeam ad te loqui?

Ego sum pauperrimus servulus tuus, et abjectus vermiculus: multo pauperior et

contemptibilior, quam scio, et dicere audeo.

Memento tamen, Domine, quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo.

Tu solus bonus, justus et sanctus, tu omnia potes, omnia praestas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens.

Reminiscere miserationum tuarum, et imple cor meum gratia tua, qui non vis esse vacua opera tua.

Quomodo possum me tolerare in hac misera vita, nisi me confortaveris misericordia et gratia tua?

Noli avertere faciem tuam a me: noli visitationem tuam prolongare: noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Domine, doce me facere voluntatem tuam: doce me coram te digne et humiliter conversari; quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognosscis, et cognovisti antequam fieret mundus, et antequam natus essem in mundo.

ORATIO PRO ILLUMINATONE MENTIS.

Clarifica me, Jesu bone, claritate interni luminis: et educ de habitaculo cordis mei tenebras universas.

Cohibe evagationes multas, et vim facientes elide tentationes.

Pugna fortiter pro me, et expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas: ut fiat pax in virtute tua, et abundantia laudis tuae resonet in aula sancta, hoc est, in conscientia pura.

Impera ventis et tempestatibus: animae meae; et erit tranquillitas magna.

Emitte lucem tuam et veritatem, ut luceant super terram: quia terra sum inanis et vacua, donec illumines me.

Effunde gratiam desuper: perfunde cor meum rore coelesti: ministra devotionis aquas, ad irrigandam faciem terrae, ad producendum fructum bonum et optimum.

Eleva mentem pressam mole peccatorum, et ad coelestia totum desiderium meum suspende: ut, gustata suavitate supernae felicitatis, pigeat de terrenis cogitare.

Rape me, et eripe ab omni creaturarum indurabili consolatione: quia nulla res creata appetitum meum valet plenarie quietare et consolari.

Junge me tibi, inseparabili dilectionis vinculo: quoniam tu solus sufficis amanti, et absque te frivola sunt universa.

HYMNUS.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia;
Sed super mel et omnia;
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Quis es futurus praemium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper secula.

Jesu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae;
Te quaerunt piae lacrymae,
Te clamor mentis intimae.

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine;
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.

Jesu, flos Matris Virgine,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor nomine,
Regnum beatitudinis.
Amen.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus defiderabilis:

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas;
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet caritas.

Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite;
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite.

Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostrite mores exprimant;
Te corda nostra diligant,
Et nunc, et in perpetuum.
Amen.

O Jesu, vivens in Maria!
Veni et vive in famulo tuo,
In Spiritu Sanctitatis tuae,
In plenitudine Virtutis tuae,
In perfectione Viarum tuarum,
In communione Mysteriorum tuorum;
Dominare omni adversae potestati,
In Spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen.

Ad Mariam.

O Domina mea, Sancta Maria!
Me in tuam benedictam fidem
Ac singularem custodiam;
Et in sinum misericordiae tuae,
Hodie et quotidie et in hora exitus mei,
Animam meam et corpus meum tibi commendo;
Omnem spem et consolationem meam,
Omnes angustias et miserias meas,
Vitam et finem vitae meae tibi committo;
Ut per tuam sanctissimam intercessionem,
Et per tua merita, omnia mea dirigantur
Et disponantur opera, secundum tuam tuique
Filii voluntatem. Amen.

ORATIO S. ALPHONSI PRO VISITATIONE QUOTIDIANA SS. SACRAMENTI.

Domine mi Jesu Christe, qui pro tuo in homines amore nocte dieque in hoc Sacramento permanes pietate et amore totus plenus, exspectans, vocans, et excipiens omnes, qui te visitatum veniunt, credo te esse praesentem in Sacramento altaris; ex abysso nihili mei te adoro, gratiasque tibi pro omnibus a te mihi collatis beneficiis ago, praecipue quod mihi dederis temetipsum in hoc Sacramento, tuamque sanctissimam Matrem Mariam in advocatum, et quod vocaveris me ad visitandum te in hac ecclesia. Sanctissimum cor tuum hodie saluto, illudque salutare intendo triplicem in finem. Primo in gratiarum actionem pro magno hoc dono. Secundo in compensationem omnium injuriarum, quas ab inimicis tuis accepisti in hoc Sacramento. Tertio hac visitatione intendo adorare te in omnibus terrae locis, in quibus in hoc Sacramento minus es honoratus magisque derelictus. Mi Jesu, toto corde te amo. Doleo me quondam toties contristasse bonitatem tuam infinitam. Propono pro futuro non amplius te offendere mediante tua gratia; et pro praesenti, quantumvis sim miserabilis, tibi consecro me totum; dono et trado tibi totam meam voluntatem, affectus, desideria, omnia mea. Ex hoc nunc fac de me et de rebus meis quidquid tibi placet. Unum a te peto, unum desidero, sanctum tuum amorem, perseverantiam finalem, et perfectam tuae voluntatis adimpletionem. Commendo tibi animas purgatorii, illas praesertim, quae erga sanctissimum Sacramentum et Bea-

tissimam Virginem Mariam magis devotae fuerunt. Commendo etiam tibi omnes miseros peccatores. Unio tandem, mi care Salvator, omnes affectus meos cum affectibus amorosissimi tui cordis, et ita unitos offero illos aeterno tuo Patri, eumque in nomine tuo oro, ut propter amorem tuum eos accipiat et exaudit.

LITANIA DE SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi, Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Panis vive, qui de coelo descendisti,
Deus absconditus et Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis et deliciae regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agne absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum, habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Sacrificium vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima Dominicae passionis commemoratio,
Donum transscendens omnem plenitudinem,

Miserere nobis.

Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Incruentum sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes,
Vinculum caritatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futurae gloriae,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione,
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavisti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum, Sacramentum instituisti,
Per Sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera huius tui Corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,

Libera nos, Domine.

Peccatores,
Ut in nobis fidem, reverentiam et devotionem erga hoc admirabile Sacramentum augere et conservare digneris,
Ut ad frequentum usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,
Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris,
Ut sanctissimi huius Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris,
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,
Fili Dei,

Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, &c., parce nobis, Domine.
Agnus Dei, &c., exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, &c., miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Pater noster.

O benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, per quem omnia mala a nobis arcentur; averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiae ardorem, et quidquid demum divinae majestati tuae displicet, ut tibi Deo meo in veritate serviam, et te corde perfecto laudem et glorificem in saecula. Amen.

O bone Jesu, quem hic vere agnosco praesentem, fac, obsecro, ut sentiat anima mea virtutem praesentiae tuae, et infunde in eam gratiae tuae lumen. Da mihi sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, profectum in studiis, processum in conceptis, solamen in adversis, tutelam in prosperis, ut, quocumque me verterim, ubique gratia et misericordia tua praecedat me. Si errem, reduc me; si ignorem, doce me; si peccem, corripe me; si trister, consolare me; si cadam, erige me; da mihi gratiam, verius te cognoscendi, ardentius te diligendi, sincerius in te credendi et tutius te sequendi.

O dulcissime Jesu, qui vere hic es Deus absconditus! concede mihi, quaeso, quae tibi placent, diligenter et ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Vias tuas demonstra mihi et semitas tuas edoce me; quod a me requiris tribue, ut sciam, et da exsequi, sicut oportet et expedit animae meae.

Illumina oculos meos (Ps. xii.), Lux primaeva, dissipa tenebras animae meae, Sol aeterne! Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ut me deducant et adducant in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua (Ps. xlii.). Tu enim omnis lucis et intelligentiae origo, omnis mentis et sensus auctor. Sine tua irradiatione omnia in tenebris et nocte ignorantiae sepulta jacent: omnes artes et scientiae, tenues sunt adumbrationes tui: tota sapientia Angelorum scintilla quaedam exigua infinitae lucis tuae. Tu fons omnis pulchri et amabilis, omnis formae et speciei, omnis ordinis et proportionis, omnis congruentiae et concordiae, gratiae et misericordiae. Tibi gloria, plenitudo lucis, plenitudo veritatis: tibi gloria ab omni creatura, et supra omnem creaturam apud

teipsam, ubi clara et consummata excellentiae divinae notitia. Splendet quidem excellentia tua in mentibus Angelorum et Sanctorum, estque hic splendor gloria quaedam tua, verum infinite clarius splendet in sapientia tua : sicut infinita lux clarius lucet quam scintilla modica. Ibi ergo sapientia laudet animam suam, ibi glorificet se, et omnis creatura congaudeat et congratuletur illi, laudet, benedicat, et glorificet illam. Non eges gloria et laude nostra: infinitae claritati per scintillam nulla fit accessio. Sed haec prosunt nobis. Nosse enim et laudare te, summum bonum nostrum, et vita eterna est. Amen.

PIAE PETITIONES S. AUGUSTINI.

Domine Jesu, noverim me, noverim te, Nec aliquid cupiam nisi te. Oderim me, et amem te, Omnia agam propter te. Humiliem me, exaltem te. Nihil cogitem nisi te. Mortificem me et vivam in te. Quaecumque eveniant, accipiam a te. Persequar me, sequar te, Semperque optem sequi te. Fugiam me, confugiam ad te, Ut merear defendi a te. Timeam mihi, timeam te. Ut sim inter electos a te. Diffidam mihi, fidam in te. Obedire velim propter te. Ad nihil afficiar, nise ad te, Et pauper sim propter te. Aspice me, ut diligam te; Voca me, ut videam te, Et in aeternum fruar te.

Commendo me tibi, O bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me et pro omnibus fratribus et amicis meis, per lacrymas, sudorem et Sanguinem tuum.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper et in omnibus, nunc et in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

SALUTATIO SANCTISSIMI CORDIS JESU.

Salve, cor Jesu dulcissimum, suavisonum sanctissimae Trinitatis instrumentum! Salve, cor Jesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum aerarium! Millies et millies benedico et saluto tuam divinam bonitatem, quia

es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum cor Jesu Christi! per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te ob abundantiam omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae! O cor Jesu, cor dulce! O cor Jesu, cor suave! O cor Jesu, cor amabile! O cor Jesu, manans dulcedine, redundans pietate, affluens caritate! In tua intima penetralia immergo spiritum meum et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores; tibi dedico omnes meas angustias et miserias; tibi commendo vitam et finem vitae meae. Benedico tibi, cor Jesu nobilissimum, ob illum amorem, quo a Spiritu sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum! Glorifico, te, cor Jesu dulcissimum, ob illum amorem, quo a sanctissima Trinitate omnibus coelestibus donis es decoratum. Magnifico te, cor Jesu mitissimum, ob illum amorem, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, cor Jesu benignissimum, ob illum amorem, quo in cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo te, cor Jesu fidissimum, ob illum amorem, quo lancea transfigi, sanguinemque et aquam destillare voluisti. Te igitur, O sanctissima omnique laude dignissima Trinitas per illud cor summe benedictum laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum, affectu et reverentia offero tuae supremae majestati idipsum cor dulcissimum atque unice dignissimum omni honore, quia plenum est divina gratitudine ac beatitudinis perfectione excellens in perpetuum, atque oro, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris quidquid mali commisi et in omni boni neglexi. Amen.

ACTUS CONSECRATIONIS AD SACRATISSIMUM COR JESU.

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es; ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me ceterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas injurias omnes a me et ab

aliis quibuscumque in hoc infiniti amoris mysterio cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens, me divini cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo, huiusque purissimo cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens, me huius piissimae matris cultum juxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

PIAE ASPIRATIONES AD COR JESU.

Oh! quam bonum et quam jucundum habitare in corde hoc! Quis tam amans non redamet! S. Bern., de Pass. Cor Jesu, cor novum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Cor Jesu amabilissimum! quis separabit cor meum ab amore tui? Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum, dirige cor nostrum secundum te. Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

RHYTHMUS AD SS. COR JESU.

Cor Jesu, cor purissimum,
Cor, ara sanctitatis!
Cor meum purga sordidum,
Infectum tot peccatis.

Qui movet tibi vomitum,
Auferto hinc teporem,
Infunde novum spiritum
Et spiritus fervorem.

Cor mite, cor humillimum,
Cor plenum bonitatis,
Cor tuo da simillimum,
Da ignem caritatis.

Ut ergo te diligere,
Cor Jesu, possim satis,
Immensum da, quo amas te
Ardorem caritatis.

Hoc, hoc amoris jaculo
Cor meum accendatur,
Et huius ab incendio
In cineres solvatur.

O mors exoptatissima,
Sic mori vi amoris!
Amoris sit cor victima,
Pro corde Redemptoris.

Amore tui moriar,
Cor Jesu, amor meus!
Ut novo corde ordiar
Amare te, O Deus! Amen.

LITANIA DE SACRATISSIMO CORDE JESU.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili, Redemptor mundi, Deus,
Spiritus sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Cor Jesu, verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, sanctae Trinitatis templum,
Cor Jesu, sapientiae abyssus,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiae thronus,
Cor Jesu, thesaurus nunquam deficiens,
Cor Jesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jeus, virtutum omnium exemplar,
Cor Jesu, infinite amans et infinite amandum,
Cor Jesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, propter nos amaritudine repletum,
Cor Jesu, usque ad mortem in horto tristissimum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, amore vulneratum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, etiam nunc ab ingratis hominibus in sanctissimo amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo debilium,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, perseverantia justorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, cultorum tuorum dulce praesidium,
Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium,

} *Miserere nobis.*

Cor Jesu, adjutor noster in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis, miserere nobis.
Agnus Dei, &c., parce nobis, Domine.
Agnus Dei, &c., exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, &c., miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Pater noster.
Ave Maria.

V. Jesu mitis et humilis corde,

R. Fac cor nostrum secundum cor tuum.

Oremus.

Concede quaesumus omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes, praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Domine Jesu, qui ineffabiles cordis tui divitias ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es; concede, ut huius sacratissimi cordis amori respondere, et injurias eidem afflictissimo cordi ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

COMMEMORATIO CORDIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

V. Cor Mariae immaculatum,

R. Amore Jesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem miserorumque perfugium cor sanctissimum et immaculatum Mariae divino cordi Filii Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi cordis memoriam agimus, secundum cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem Dominum nostrum, &c. Amen.

ORATIO AD COR JESU PRO AGONIZANTIBUS. (INDULG.)

(*Indulg.* 100 *dierum.* *Pius IX.* 2 *Febr.* 1850.)

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam cordis tui sanctissimi et per dolorem matris tuae immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros.

Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium.

ALIAE PRECES IN VISITATIONIBUS SS. SACRAMENTI PERSOLVENDAE.

"Laudetur et superexaltetur omni momento sanctissimum et divinissimum (Eucharistiae) Sacramentum." (Indulg.) Coram te, O sanctissimum Sacramentum summa cum reverentia procido et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus cumque omni militia coelestis exercitus hymnum gloriae tuae concino dicens: "Centies millies laudetur sanctissimum Sacramentum!" Et vos sancti Angeli et Patroni mei, mecum et pro me istum Dominum meum hic praesentem adorate et magnificate omni modo et omni tempore.

O Domine Jesu Christe, verus Deus et homo. Ego te hic vere praesentem agnosco, supplex adoro de vitae carnis tuae et sanguinis, Corporisque et animae veritate nihil omnino dubitans. Utinam vero eo te modo contemplari, et cognoscere, diligere, laudare, et glorificare queam, quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, diligunt, glorificant in coelis! Quantum enim tibi debeo, quod amore mei e coelo descenderis, teque in ara crucis pro me obtuleris? Et in immortale monumentum amoris tui te mihi in Sacramento reliqueris? vae mihi, si amorem hunc amore non compensem!

Ecce quousque processit caritas tua immensa, O mi Jesu amantissime! Tua Carne et pretiosissimo Sanguine divinam mihi praeparasti mensam, ut teipsum mihi donares; quid unquam te impulit ad tales summi amoris actus? Certe nihil aliud, quam Cor tuum amore maximo plenum. O Cor adorandum Jesus mei! O fornax ardentissima divini amoris, suscipe in plagas tuas sacratissimas animam meam, ut in ista caritatis schola redamare discam hunc Deum, qui tam admirabilia amoris sui argumenta mihi exhibuit. Amen.

Suavissime Jesu, qui excessu prodigiosissimi amoris in Sacramento altaris apud nos manere voluisti! agnosco te supremum Dominum et Deum meum profundissima qua possum humilitate et devotione, te hic praesentem adoro, gratiasque tibi ago ex toto corde de infinito tenerrimoque amore, quem nobis in hoc Sacramento exhibeas, etsi saepe indignissimis modis te tractamus.

ACTUS FIDEI, SPEI, CARITATIS ET RESIGNATIONIS CORAM SS. SACRAMENTO.

O Sapientia infinita! O aeterna Veritas! O Bonitas immensa! quae nec falli, nec fallere potes, credo in te, et credo tibi in omnibus, quae revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. Imprimis vero credo, te in sanctissimo hoc Sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, omnibusque sensibus. Et pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, O Bonitas infinita, teque per inexhaustam misericordiam tuam, et pretiosissima merita, veniam, gratiam et gloriam mihi promissam, daturum confido.

Amo, et amabo te, et omnia, quae tu amas, propter te, O fons infinite omnis boni, quia tu omni amore dignus es. O Jesu amabilissime, propter infinitam bonitatem et amabilitatem tuam, amo te super omnia, et omnium Sanctorum cordibus ardentissime te amare desidero; et cum S. Francisco Xaverio, ad pedes tuos prostratus, ex animo dico:

O Deus, ego amo te! Nec amo te, ut salves me; Aut quia non amante te Aeterno punis igne. Tu, tu, mi Jesu, totum me Amplexus es in cruce; Tulisti clavos, lanceam, Multamque ignominiam, Innumeros dolores, Sudores et angores, Ac mortem, et haec propter me, Ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, O Jesu amantissime! Non ut in coelo salves me, Aut ne aeternum damnes me, Nec praemii ullius spe; Sed sicut tu amasti me, Sic amo et amabo te, Solum quia rex meus es, Et solum quia Deus es.

Auge, mi Deus, fidem meam per virtutem huius divini Sacramenti, conforta spem meam, accende caritatem meam, reple et incende cor meum amore tui, ut nihil praeter te aspiret, nec vivat amplius, nisi propter te.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore, et gloria tibi ab electis tuis, et creaturis omnibus unquam reddita, et in aeternam reddenda.

Te, tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero in omnem aeternitatem, aut passus fuero, cedat ad tuam gloriam.

Totus sum tuus; fac de me quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

LAUS SS. SACRAMENTI.

I.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot in coelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari guttae, in terra pulveres: quot in vere flores, aestate grana, autumno folio, hyeme nives et grandines: quot corporeae in universo sunt creaturae; quia dignus es, Domine universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. Vere tu és Deus absconditus. Isa. xlv.

II.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot ullo opere exhiberi; quot ore proferri; quot corde omnium hominum excogitari unquam potuere, vel possunt; quia dignus es tu, Domine, Pater noster, qui non cibas, et potas quotidie, cujus redempti sumus pretioso Sanguine, quasi agni immaculati. 1 Pet. i.

III.

Laudetur sanctissimum Sacramentum, tot laudibus, quot omnes Angeli, ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest, quia dignus es, Domine Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, Dominus meus, et Deus meus, vere laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in secula. Dan. iii.

PETITIO QUOTIDIANA.

O Jesu, praeter te nihil aliud desidero. Pro tui amore, Jesu, amor meus, omnibus hujus mundi pompis et vanitatibus, mihi quoque ipsi in anima et corpore, abrenutio, et te solum in me meque in te vivere cupio.

Te, Jesu, in dominum meum, in patrem, in sponsum, in fratrem, in amicum eligo.

O benignissime Domine, adjuva et defende me, servum et mancipium tuum, contra visibilium et invisibilium inimicorum meorum impetus.

O amantissime pater, auxiliare mihi indignissimo filio tuo in omnibus actionibus meis.

O venustissime sponso, animam meam, sponsam tuam, virtutum margaritis et pretioso charitatis vestimento exorna.

O charissime frater, recordare, obsecro, inopiae meae; meque divitiarum tuarum participem effice.

O fidelissime amice, succurre mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus et angustiis meis.

Benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, a quo omnia a nobis mala arcentur; averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiae ardorem, et quidquid demum divinae majestati tuae displicet; ut tibi, Deo meo in veritate serviam, et in corde perfecto laudem et glorificem in secula. Amen.

Suavissime Jesu, qui excessu singularis tui erga nos amoris in Sacramento altaris nobiscum manere voluisti! agnosco te supremum Dominum ac Deum meum; profundissima cum humilitate te hic praesentem adoro, gratiasque tibi ago ex toto corde pro infinito tenerrimoque amore, quem nobis in hoc Sacramento exhibes, etsi saepe indignissimis modis te tractemus. Plenus dolore de hac summa injuria et ingratitudine, O Deus majestatis! ad te supplex venio, deprecaturus pro omnibus profanationibus, sacrilegiis et impietatibus contra adorandum hoc Sacramentum unquam admissis, aut deinceps admittendis. Obliviscere, Domine, iniquitatum mearum, ut recorderis solummodo misericordiae tuae. Ratum habe sincerum, quo flagro, desiderium, ut una mecum omnes te honorent in hoc Sacramento amoris. Ita Domine! toto affectu cupio te in eo amare, benedicere, laudare, adorare, quantum omnes Sancti et Angeli te amant, benedicunt, adorant, rogans per hoc adorandum Corpus et Sanguinem pretiosum, quibus, supplex advolvor, ut deinceps tanta cum reverentia te adorem, tamque digne suscipiam, ut post mortem tuas laudes cum omnibus Sanctis merear in aeternum praedicare.

O Jesu, totus, corpore et anima, tuus esse cupio.

Jesu, quando talis ero, ut nihil in me reperiatur nisi Jesus? Quando dicere potero: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus? Gal. ii.

Jubila, anima mea, et dic: Vivat Jesus. Exulta, anima mea, et dic: Sit benedictus Jesus.

Lauda, anima mea, Jesum. Invita, anima mea, creaturus omnes ad praedicandum et laudandum sponsum tuum Jesum.

O anima mea, nihil tibi vivat, nisi solus Jesus.

O Jesu dulcis, Jesu suavis, Jesu amor, Jesu omne bonum meum! Moriar ego, et vivat Jesus.

Breviores actus virtutum.

Credo in te, O suprema Veritas.
Revereor te, immensa Majestas.
Adoro, te, tremenda Potestas.
Benedico te, profusa Benignitas.
Spero in te, aeterna Felicitas.
Amo te, incomprehensa Bonitas.
Glorifico te, sanctissima Deitas.
Doleo medullitus, quod unquam offendi te!

INVOCATIO IN HONOREM SS. SACRAMENTI.

Anima Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, lava me. Passio Christi, conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meae voca me. Et jube me venire ad te. Ut cum Sanctis tuis laudem te. In secula seculorum. Amen.

ORATIO DEVOTISSIMA.

(*Indulg.* 300 *dierum. Leo XII.* 3 *Martii* 1827.)

O Pater, O Fili, O Spiritus sancte, O SS. Trinitas. O Jesu, O Maria, O Joseph, O Angeli, O Sancti, O Sanctae paradisi, has gratias vos rogo per Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi: Ut faciam semper voluntatem Dei. Ut maneam semper cum Deo. Ut nihil cogitem praeter Deum. Ut amem solum Deum. Ut faciam omnia propter Deum. Ut quaeram solummodo gloriam Dei. Ut meipsum sanctificem solummodo propter Deum. Ut bene cognoscam nihilum meum. Ut semper magis cognoscam voluntatem Dei mei.

Maria sanctissima, offer aeterno Patri Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi pro anima mea, pro animabus purgatorii, pro necessitatibus S. ecclesiae, pro conversione peccatorum et pro toto mundo.

Ter Gloria Patri in honorem pretiosissimi Sanguinis Jesu Christi; semel Ave Maria in honorem Beatissimae Virginis desolatae; semel Requiem aeternam in suffragium animarum purgatorii.

OBLATIONES PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. CH.

(*Indulg.* 300 *dierum. Pius IX.* 18 *Junii* 1854.)

Pater aeterne, offero tibi Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi in unione Beatissimae Virginis immaculatae, et in nomine ejus; in unione et in nomine omnium beatorum, qui sunt in coelo, et omnium electorum, qui sunt in terra; in gratiarum actionem pro donis et privilegiis, quibus

eam tanquam obedientissimam tuam filiam ornasti, praecipue pro immaculata ejus conceptione. Offero tibi etiam pretiosum hunc Sanguinem pro conversione miserorum peccatorum; pro dilatatione et exaltatione Ecclesiae; pro conservatione et prosperitate Summi Pontificis et secundum ejusdem intentiones. Gloria Patri, &c.

Verbum aeternum et incarnatum, offero tibi pretiosissimum tuum Sanguinem in unione Beatissimae Virginis immaculatae, et in nomine ejus; in unione et in nomine omnium beatorum, qui sunt in coelo et omnium electorum, qui sunt in terra, in gratiarum actionem pro donis et privilegiis, quibus eam tanquam dilectissimam tuam matrem ornasti, praecipue pro immaculata ejus conceptione. Offero tibi etiam pretiosissimum tuum Sanguinem pro conversione miserorum peccatorum; pro dilatatione et exaltatione Ecclesiae; pro conservatione et prosperitate Summi Pontificis, et secundum ejus intentiones. Gloria Patri, &c.

Aeterne Spiritus sancte Dei, offero tibi Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi in unione Beatissimae Virginis immaculatae, et in nomine ejus; in unione et in nomine omnium beatorum, qui sunt in coelo, et omnium electorum, qui sunt in terra, in gratiarum actionem pro donis et privilegiis, quibus eam tanquam fidelissimam tuam sponsam ornasti, praecipue pro immaculata ejus conceptione. Offero tibi etiam pretiosum hunc Sanguinem pro conversione miserorum peccatorum; pro dilatatione et exaltatione Ecclesiae; pro conservatione et prosperitate Summi Pontificis et secundum ejus intentiones. Gloria Patri, &c.

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

(Leonar Lessius. De Perft Morib Divinis : Sacrae Theo mysteria explicantur.)

AD QUID DATUM SIT NOBIS HOC SACRIFICIUM, ET QUANTAM VIM HABEAT.

I.

Datum est hoc Sacrificium potissimum ad quatuor. Primo, Ad dignitatem Religionis Christianae. Cum enim haec Religio sit eminentissima, decuit etiam illam ornari, vel potius perfici eminentissimo Sacrificio.

Consistit excellentia Religionis Christianae potissimum in septem rebus. Primo, In sublimitate et certitudine doctrinae. Tradit enim certissima et eminentissima de natura divina, de personarum processionibus, de providentia, justitia, misericordia Dei, de mundi creatione et gubernatione, de finibus bonorum et malorum, de recta salutis via : quae omnia Philosophis et aliis religionibus fuere prorsus incognita, vel incerta et ambigua. Secundo, In perfectione et sanctitate Legis : Vetat enim Lex Christiana omne vitium quantumvis parvum, quantumvis a Philosophis pro non vitio habitum : et dirigit ad summam perfectionem, ut ad contemptum rerum caducarum, ad studium aeternorum, ad amorem Dei, ad dilectionem inimicorum, ad reddendum pro malo bonum, ad ponendam vitam pro honore Dei, pro salute proximi, et quovis virtutis officio. Utrumque insinuat Propheta Psa. xviii. : Lex Domini immaculata, convertens animas. Immaculata, quia nullum omnino peccatum permittit, sed omnia omnino prohibet. Convertens, animas, quia omnis conversio incipit a divinae Legis consideratione, et ad eam terminatur. Philosophi et aliae religiones multa vitia et peccata vel ignorarunt, vel tamquam licita permiserunt. Tertio, In praestantia et efficacitate Sacramentorum. Habent enim vim delendi peccati, et constituendi nos filios Dei, heredesque aeterni regni.

Nulla umquam religio caerimoniam aliquam habuit, quae animos expiare, et coelestibus bonis ornare posset.

Quarto, *In Excellentia Sacerdotii.* Nam Sacerdotium nostrae Religionis continet duplicem potestatem prorsus divinam, ac etiam coelestibus spiritibus stupendam; nimirum, potestatem condonandi peccata, et consecrandae Eucharistiae, ut omittam aliorum Sacramentorum ministerium. Quanta res est, posse condonare peccata, liberare a morte aeterna, sanctificare animas, efficere filios Dei, et tribuere jus vitae aeternae? Quis haec possit, nisi Deus ipse, vel divina auctoritate praeditus, cui Deus suum locum, suas vices, et suum veluti tribunal supremum concesserit? Magna potestas est posse illuminare caecos, erigere claudos, excitare mortuos: sed longe major potestas est posse illuminare animas, easque intus ita immutare, ut Deiformes, et plane similes Divinitati efficiantur, expulsa peccati caligine et morte. Potestas consecrandi etiam magis est stupenda, et merito cum potestate creandi conferri, eique aequiparari potest, ut infra patebit. Nulla itaque dignitas, nulla potestas sive Regia, sive Imperatoria, nec ipsam quidem totius mundi Monarchia cum Sacerdotali potestate et dignitate ulla ex parte conferri potest. Quinto, In excellentia Sacrificii. Sacrificium enim est primarium Religionis munus, vel potius complementum. Itaque decebat, ut excellentissima Religio, qua nulla alia perfectior aut sublimior esse potest (quae quidem naturae humanae sit accommodata) nobilissimum haberet Sacrificium, quale est Sacrificium Eucharistiae, a quo ipsa Religio praecipuam suam excellentiam habet. Sexto, In perpetua assistentia et gubernatione divini Spiritus, quo ita regitur et protegitur Ecclesia, ut neque in dogmatibus neque in legibus possit errare, aut umquam deficere et extingui, juxta illud Matt. xvi.: Portae inferi non praevalebunt adversus eam, et Matt. xxviii.: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Septimo, Quod omnia bona opera justorum faciat esse meritoria vitae aeternae. Ita statuit Dominus mera sua benignitate et liberalitate: potuisset enim aliter ordinare, nimirum, ut non essent meritoria, sed solum satisfactoria; vel ut sola excellentissima essent meritoria. Totum enim negotium meritorum et praemiorum, gratiae et gloriae, sicut et remissionis peccatorum, non oritur ex naturis rerum earumque justa proportione, aut lege naturae (etsi huic aliquo modo consonum sit) sed ex libera, benigna, et liberali ordinatione Dei. Haec obiter de excellentia nostrae Religionis, quam potissimum illustrat hoc Sacrificium.

II.

Secundo *datum est hoc Sacrificium*, *Ad gratiarum actionem*, ut habeamus quo dignas Deo gratias perpetuo agamus pro ingentibus ipsius in nos beneficiis, maxime redemptionis. Tanta enim beneficiorum ejus immensitas, tam insolitae et inauditae omnibus seculis miserationes, singularem quoque et inauditam gratiarum actionem a nobis postulabant. At nulla poterat esse major aut praestantior gratiarum actio, quam quae oblatione hujus Sacrificii perficitur: partim quia nihil praestantius aut gratius pro omnibus beneficiis acceptis offerri Deo poterat, juxta illud Ps. cxv.: Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo: partim quia nulla alia re magnitudinem beneficiorum ejus magis commemorare ac referre poteramus. Testamur enim ipsum esse auctorem redemptionis et salutis nostrae, ipsum misisse Filium in carnem ad nos salvandos, et bonis omnibus cumulandos; ipsius voluntate pro nobis mortem suscepisse: ipsam quoque mortem Filii in eo Sacrificio commemoramus, et veluti ob oculos ponimus, dum Corpus et Sanguis seorsim sub specie panis et vini, tamquam hostiae occisae et immolatae, vi consecrationis constituitur: juxta illud Domini mandatum, Hoc facite in meam commemorationem, hoc est, ut Apostolus I Cor. xi., explicat, in commemorationem meae mortis et sacrificii crucis. Hac ratione istud Sacrificium vocatur Eucharisticum sacrificium, id est laudis et gratiarum actionis, et respondet holocaustis veteris Legis.

III.

Tertio, *Ad impetrandum auxilium gratiae divinae*, *protectionis*, *excitationis*, *directionis* (hoc enim triplex auxilium est necessarium ad perseverandum), et alia tum temporalia tum spiritalia beneficia ad salutem opportuna, ut ad pacem, victoriam, frugum abundantiam, sanitatem, negotiorum felicem exitum, et similia. Ad haec enim omnia a Deo obtinenda, maximam vim habet istud Sacrificium, sed maxime ad auxilium divinae gratiae, quia per se et directe ad salutem tendit. Alia non sunt absolute petenda, sed solum quatenus ipse novit ea nobis fore ad salutem conducibilia. Haec omnia tum ex sacro Canone Missae, tum ex aliis Ecclesiae praecibus sunt manifesta: hac ratione hoc Sacrificium respondet hostiis pacificis veteris Legis.

Quarto, *Ad veniam peccatorum impetrandam tum vivis, tum defunctis, et ad iram divinam placandam, flagellaque mundo impendentia avertenda;* qua ratione est Sacrificium

hilasticon, seu propitiatorium, et respondet hostiae pro peccata. Remissa culpa et poena aeterna per Sacramenta, et etiam culpis venialibus deletis, saepe ingens debitum poenae temporalis restat luendum. Ad hoc in primis valet istud Sacrificium: applicat enim satisfactionem Christi, qua debitum illud solvatur et compensetur. Unde non requirit ullam realem in eo pro quo offertur mutationem: nam condonatio poenae absque ulla hominis mutatione, postquam voluntas a culpa recessit, commode fieri potest. Non enim fit per infusionem donorum, aut aliquam internam hominis renovationem, ut remissio culpae, saltem mortiferae, et forte etiam venialis, sed per nudam condonationem extrinsecam, exhibita per aliquem pro reo congrua solutione. Delet etiam culpam, non tamen immediate et sine mutatione peccatoris, sicut delet reatum poenae; sed mediante contritione ad quam per hoc Sacrificium impetratur auxilium excitans ut docet Conc. Trident. sess. xxii. cap. 2: Hujus, inquit, oblatione placatus Dominus, gratiam (excitantem) et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit: una enim eademque est hostia, &c. Hoc modo per istud Sacrificium fit remissio culpae, non aliter: quia ad remissionem culpae opus est poenitentia.

Quinto, *Habet etiam vim flagella temporalia, quae peccatis hominum provocantur, amoliendi, et ut ita dixerim, averruncandi.* Si enim id precibus Sanctorum saepe obtineri potest, quanto magis hoc Sacrificio, in quo id quod prae omnibus Sanctis Deo est acceptum, et ipse fons sanctitatis cum omnibus suis meritis offertur? Si unica hujus hostiae oblatione Deus mundo perdito est reconciliatus, et flagellum aeternae damnationis, illi impendens, amotum; mirum non est, si ob eamdem hostiam saepius oblatam, mundo jam reconciliato saepe parcat, et flagella temporalia, quae in multorum perniciem cederent, vel omnino condonet, vel temperet, vel suspendat ac differat.

Sexto *denique, valet ad succurrendum aliis vitae humanae necessitatibus*, ut docet Concil. Trid. supra: et constat tum ex usu Ecclesiae, tum exemplis variis.

Quam vero late pateat hujus Sacrificii fructus, vel ex eo intelligi potest, quod offeratur pro tota Ecclesia militante, et pro omnibus fidelibus defunctis. Nam in oblatione panis ita dicitur: suscipe sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero pro omnibus fidelibus Christianis vivis et defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam: ubi per immaculatam hostiam non intel-

ligitur panis: quia panis non est immaculatus ea puritate quae Deo placeat: neque dici potest, hostia, quae rem vivam designat: sed intelligitur Corpus Christi, quod statim ex pane fiet. Itaque tantae est virtutis haec hostia oblata, ut omnibus prodesse possit. Et in oblatione calicis: Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute ascendat. Et in prima Oratione Canonis dicitur offerri pro Ecclesia Catholica, et omnibus Orthodoxis, item pro omnibus Sacrificio praesentibus. Et in secunda Oratione post consecrationem, pro omnibus in Christo quiescentibus.

IV.

Ex quibus manifestum videtur, non solum orationes pro Ecclesia, pro vivis et defunctis, et pro assistentibus Sacrificio fieri in Missa, sed etiam ipsum Sacrificium offerri pro iisdem, et fructum, qui ex vi sacrificii quasi ex opere operato provenit, ipsi communicari: ac proinde hunc fructum amplissimum esse, et latissime patere. Quod etiam colligi potest ex Concilio Tridentino, sess. xxii. cap. 2, ubi dicit, fructus oblationis cruentae, quae peracta est in cruce, uberrime per hanc oblationem percipi. At quomodo uberrime percipiuntur isti fructus, si totus fructus, quem vi sua habet, restringitur ad eum pro quo peculiariter offertur? Sacramenta instituta sunt ad sanctificandos singulos per realem et externam applicationem singulis factam: at hoc Sacrificium, cum unicum sit et publicum Ecclesiae Sacrificium, principaliter institutum est pro bono communi, et ipsa Ecclesia, cui applicatur ordinatione et praescripto Ecclesiae in Liturgia expresso, cui Sacerdos se debet accommodare. Unde in Canone dicitur: In primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica; quasi bonum Ecclesiae principaliter in hoc Sacrificio intendatur. Deinde recensentur a Sacerdote illi, pro quibus ipse peculiariter intendit offerre. Quod si, quando Sacrificium pro aliquo privatim offertur, nullus fructus istius oblationis, quem vi sua habet, perveniret ad Ecclesiam, vel defunctos, vel circumstantes, sed solus fructus precum; valde angustus esset hujus Sacrificii fructus, et parum commodi ex eo Ecclesia et defuncti perciperent. Tenetur itaque Sacerdos, accommodando se intentioni Ecclesiae, etiam pro bono Ecclesiae et defunctorum ipsum Sacrificium offerre, ejusque fructum, quem habet vi sua, et quasi ex opere operato, juxta intentionem Ecclesiae ipsis applicare. Non tamen hinc sequitur, hac ratione futurum, ut nihil remaneat fructus, quod possit applicare

huic vel illi, pro quo peculiari intentione offert: quia non ita potest applicari ab homine Ecclesiae vel defunctis, ut nihil supersit; quia etiam pro privatis vivorum necessitatibus est institutum, ita ut si illis peculiariter applicetur, etiam peculiari modo prosit. Simili modo non ita potest applicari privatis, ut nullus fructus remaneat qui possit applicari Ecclesiae vel defunctis: fructus enim Sacrificii tam amplus est, ut omnibus istis possit prodesse; et ita a Deo distributus, determinatus et taxatus pro causis tum communibus tum privatis, habita ratione dispositionis personarum et communitatum pro quibus offertur, ut Sacerdos sua intentione non possit mutare, vel totum in unum confundere. Etsi enim ex ipsius intentione pendeat, ut pro his vel illis fiat oblatio; tamen non pendet ex ipsius intentione determinatio fructus, quem quisque debet percipere. Alioquin uno Sacrificio posset quamvis animam liberare: imo, inquit Gabriel Vasquez in 3 p. disp. 131, n. 50, ex Antonio de Corduba, totum Purgatorium evacuare.

V.

Hinc colligunt multi DD. hoc Sacrificium vim habere quodam modo infinitam, quia non est determinatum ad certum numerum personarum. Sive enim loquamur de vivis in Ecclesia, sive de defunctis, sive de assistentibus Sacrificio; non minus quisque particeps est fructus illius, dum plures sunt, quam cum pauciores: nec plus ad singulos pervenit cum pauciores sunt, quam cum plures. Nisi enim ita res se haberet, non recte Ecclesia praescriberet pro istis omnibus offerri: neque consultum esset interesse Sacro, ubi plurimi conveniunt; sed potius quisque deberet curare, ut intersit, ubi paucissimi, vel nulli, ut totum fructum circumstantibus deputatum habeat: quae tamen aliena sunt ab usu Ecclesiae. Itaque quando generatim offertur pro aliqua multitudine, valde credibile, non minus fructus ex vi hujus Sacrificii provenire ad singulos, sive pauci sint in ea multitudine, sive multi. Idem non improbabiliter sentiunt iidem Doctores de illis, pro quibus non generatim, sed peculiari intentione offertur: qui modus offerendi est efficacior pro singulis, quam modus offerendi in genere; quia fit perfectior applicatio, et petitur ut singulari modo ipsis prae reliquis prosit: singulos enim, etiamsi plures sint, v. g. tres, quatuor, vel quinque, non minus fructus ex vi Sacrificii percepturos, quam si pro ipsis solis oblatum fuisset. S. Thomas docet hoc Sacrificium ex se sufficere ad delendam qualemcumque poenam peccatis debitam: tamen singulis prodesse secundum propriam dispositionem. Illi autem

pro quibus hoc modo offertur, singuli percipiunt fructum ex vi Sacrificii secundum propriam dispositionem. Optima autem dispositio est status gratiae cum peculiari devotione et cooperatione ad hoc Sacrificium.

Hinc tamen non sequitur, posse Sacerdotem plura stipendia pro uno Sacrificio accipere : quia, qui pro se curat Sacrificium offerri, totam fructum expectat, quem Sacerdos per Sacrificium conferre potest, juxta receptum in Ecclesia morem: ac proinde non solum expectat fructum, quem habet Sacrificium per se, sed etiam quem habet ex devotione offerentis, et ipsa actione liturgica, qui fructus in plures distributus minuitur. Addo, quando Sacerdos pro aliquo, vel certa aliqua causa offerre tenetur, non debet sequi opiniones incertas, sed meliori modo quo potest, salva Ecclesiae ordinatione, fructum Sacrificii applicare.

DE VENERABILI EUCHARISTIA, UT EST ALIMENTUM ET SACRAMENTUM.

I.

Non solum in Sacrificium seipsum Dominus nobis in Eucharistia reliquit, sed etiam in alimentum; non quod Eum nos in nostram mutaremus substantiam mortalem, sicut alimenta terrena, et sicut manna, quod datum Israelitis in deserto (cum ipse sit immutabilis) sed quod nos in se quodammodo converteret, et ad suam traheret qualitatem, immortalitatis donum communicando. Sicut enim potentissimum aliquod medicamentum intus assumptum, a natura vinci nequit, sed eam victam et domitam sibi assimilat, suas ei proprietates impertiens: ita Corpus Domini in Eucharistiae mysterio a nobis intro assumptum, non potest a nostra natura mutari, sed sua vi corpora nostra immutat, suas eis proprietates, immortalitatem, claritatem, subtilitatem, et agilitatem inserens. Quod ut Dominus nobis inculcaret, saepius Joan. vi. repetit, eum qui manducat hunc panem, non moriturum, sed victurum in aeternum.

II.

Esti enim videatur hominibus mori, tamen ea ratio moriendi non tam mors quam somnus et quies est dicenda, cum ad breve tempus, imo ad modicum, et ad momentum sit duratura, et justi mox velut a somno sint ad aeternam lucem et vitam excitandi.

Unde passim in Scripturis vocatur dormitio, requies, somnus: et Dominus Isai. xxvi.: Vade popule meus, intra in cubicula tua (sepulchra), claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio; illud enim modicum ad aeternitatem collatum pro nihilo computatur.

III.

Neque solum ad immortalitatem impertiendam corporibus, sed etiam ad spiritum Christi in nos transfundendum, hoc alimentum datum est; et hic est primarius ejus finis it fructus. Cum enim caro Christi, quae illo continetur, non sit nuda caro, sed Divinitati, quae est spiritus Christi, unita; qui hoc alimentum sumit eo ipso fit particeps spiritus Christi et Divinitatis. Nam ut Dominus Joan. vi., ait: Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam: id est, caro per se et vi sua non potest vitam aeternam conferre sed id facit vi spiritus seu Divinitatis conjunctae: sicut ferrum per se non potest accendere lignum, sed vi ignis qui ferro est intime unitus. Sic per hoc alimentum Christus caput nostrum communicat nobis suum spiritum suamque vitam, colligens omnes in unum corpus et in unam veluti hypostasim perfectam et completam; omnesque illi inserimur, et veluti incorporamur, sicut partes alimenti convenienter intus applicitae per meatus naturae, incorporantur nobis, unaque fiunt hypostasis nobiscum, cum spiritus noster ad informandas et vivificandas illas se extendit. Unde Apostolus 1 Cor. x: Unus panis et unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus. Unus panis; quia iste panis non a comedentibus in illorum substantiam convertitur (sicut fit in pane terreno et corruptibili); sed contra, potius ipso comedentes in seipsum convertit, et unum secum efficit, suas, proprietas, suamque formam illis communicans.

IV.

Mirum sane consilium Dei! ut nos ad se attraheret, suique spiritus et vitae efficeret participes, in uno naturae nostrae individuo unitur carni humanae hypostaticos; deinde hanc carnem speciebus panis et vini convestitam dat nobis in alimentum; et per illud alimentum nobis conjunctum et commistum, spiritum et Divinitatem suam ei alimento connexam in nos transfudit, ut hoc modo nos omnes sanctificet, et ad suam unitatem et vitam redigat. Nullus modus suavior, efficacior admirabilior aut sapientior poterat excogitari.

PRAEPARATIO ET GRATIARUM ACTIO; SACERDOTIS SS. ALTARIS SACRIFICIUM OFFERENTIS.

(Mensis Eucharisticus.)

PRAEPARATIO I.

O quantus est amor tuus erga me, Magister bone, qui antequam ex hoc mundo ad aeternum tuum Patrem exires, praeparasti in nutrimentum animae meae escam angelicam, omne delectamentum in se habentem. Janim mensum, infinitum erat dilectionis signum, sumpsisse humanam naturam, sustinuisse acerbos dolores passionis, et mortem turpissimam: sed nunc in cibum et potum animae meae te ipsum praebendo, cum divinitate et humanitate in cor meum intrando, stupendum supra omnia miraculum exerces. Ad verba mea de throno gloriae descendis, sub sacris speciebus remanes, per communionem in cor meum thesauros gratiae tuae infundis, et fis ipse cibus et potus animae meae! O prodigium amoris! O bonum super omne bonum, quis te non amet? O Jesu quis similis tibi? Quis se totum non tibi devoveat, qui te totum in pretium et in edulium nostrum tradis? Amo te, unicum solatium exilii mei, unica spes, unica felicitas, unicum et summum bonum! Amo te ex intimis medullis cordis mei, ex omnibus potentiis animae meae, et vellem ut omni momento posset crescere fervor amoris mei erga te. Dignare, melliflue Jesu, communicando mihi te ipsum in hoc amoris Sacramento, adeo possidere et replere totum cor meum, ut nec affectus, nec cogitationes nutriat nisi in te, quasi in unico suo centro.

O Salvator Jesu, pastor bone, desidero in hac Missa et sacra Corporis et Sanguinis tui sumptione adeo inflammari, ut in sanctis vulneribus tuis inveniam remedium contra omnes infirmitates meas, ut ex salutaribus tuis quinque plagis quasi exsugam robur et fortudinem, ad resistendum pravis tentationibus, et fideliter Deo serviendum. Anima mea te desiderat, auctorem omnis sanctitatis et fontem omnis boni: cor meum te exspectat, principium omnis

gratiae. Esurio Corpus tuum, purissimum pignus amoris, nobis relictum in ultima coena, ut in tui commemorationem faceremus: sitio pretiosum Sanguinem tuum, olim in monte pro me effusum, et nunc in potum animae praeparatum. O Jesu, da mihi hunc Panem coelestem, quo nutrita anima mea in coelis regnet, quamvis corpus in terris degat: da mihi Sanguinis poculum, ut cor meum purum ab omni labe ramaneat, et sicut lilium inter spinas effloreat.

O Domine, mi Deus, si haberem fervidas affectiones et flammantia desideria Sanctorum, quam ardenter tunc accederem ad fontem amoris et aeterni luminis, ad torrentem purissimae voluptatis. Ah! veni, Jesu, consolare miseram creaturam tuam, quae sacramentalem tuam praesentiam ardenter exspectat. Tu solus sis laetitia mea, exultatio, pax, salus et fortitudo mea. Omnia mihi vana sint quae non tendunt ad amicitiam tuam. Veni, dilecte mi, candide et rubiconde; tu enim totus desiderabilis es: omnis figura tua amorem spirat, et ad redamandum provocat.

Gloriosissima mater Dei, Maria semper virgo, auxiliare mihi in ista actione magni momenti, quando recipiam Jesum, Filium tuum. Rogo te per amarissimam passionem ejusdem Filii tui, quae te, ejus matrem, carnali orbitate graviter percussam, vehementissimere contristavit. Ne multitudo iniquitatum mearum impediat te; e contra, quo magis miser sum, eo magis indigeo protectione tua. Mater misericordiae, gratia plena, intercede pro me, ut magna charitate et ferventi amore sacrificium omnipotenti Deo offeram, et digne coram ipso appaream. Amen.

GRATIARUM ACTIO I.

O benignissime Jesu, quo te tuus amor impulit, ut animam meam tam parum tibi huc usque devotam, iterum satiares sacratissimo Corporis et Sanguinis tui Sacramento! Quid est homo, quia ita magnificas eum, ut etiam apponas erga eum cor tuum? Quid est filius hominis, quia tu visitas eum? Ecce pulvis et cinis, et universa vanitas omnis homo vivens: et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos? O certe admirandum propensae in nos clementiae portentum! O beneficentissime Salvator, qui mihi hodie magnalia fecisti, et divitias

regni tui non solum ostendisti, sed super me larga manu effudisti, qui mihi generosi amoris munificentia ultro benedixisti: quid faciam in recognitionem tantae tuae liberalitatis? Si enim Salomon, considerato quod extruxerat templo, attonitus exclamavit: ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Quae ego, O Deus! Quae ego animo sensa foveam, qui non tantum panem de mensa regis, non tantum gloriam Domini, sed ipsum gloriae Dominum, non aureo in templo, sed sordido in corde recepi Si stupor ita circumdedit Simonem Petrum, ut procidens ad genua Jesu, diceret: exi a me, quia homo peccator sum; licet is tunc solam illius naviculam subierit; quos in affectus me exardescere aequum est, cum Dominus dominantium in animam meam introierit?

Verum, O Jesu eucharistice! Tu scis quod ex me ipso nihil sum, nihil possum, sed quod omnis sufficientia mea ex Deo est: da ergo ut cum Petro credam, quia tu est Christus Filius Dei vivi: cum Thoma te adorem, ut Dominum meum et Deum meum: cum centurione fatear, quia non sum dignus ut intres sub tectum meum, et cum publicano, percutiens pectus, dolens et ego ingemiscam: Deus, propitius esto mihi peccatori, teporem meum serio execranti, quo hactenus divina haec mysteria usurpavi. O Sacerdos in aeternum, Christe Jesu, qui tam magna mihi fecisti, imo te ipsum in cibum cordis mei dedisti, fac ut fiducia plenus firmiter confidam, quia non derelinques servum tuum, quem hodie tam dulciter refecisti. Praesta ut cum Davide diligam te, Domine, fortitudo mea, tibique retribuam, pro omnibus quae retribuisti mihi, cor contritum et humiliatum, cor purum et fervidum, mutuoque tui amore succensum: atque, imitando illam pauperem viduam, quae misit minuta duo in gazophylacium, etiam ego hoc vitium N. emendem; hanc virtutem N. exerceam; contrariam illi appetentiam, aut sinistram animi affectionem, gladio spiritus tibi victimam generose immolando. Dat ut fervoris aestu et ego conflagrans, cum iliis seraphinis, duabus alis velem faciem, summa demissione in abyssum nihili me dejiciendo: duabus velem pedes, intenso dolore commissos defectus execrando: duabus vero volem, intellectus et voluntatis exercitatione, animum ad tui amorem inflammando.

O benignissima et in aeternum benedicta Virgo et Mater Maria, quae nullis unquam immunditiae maculis coinquinata, semper Domino placuisti, dignare manibus tuis sanctissimae Trinitate

offerre sacrificium quod hodie obtuli. Obtine pro me a Domino castum timorem, filialem fiduciam et ardentem amorem, ut, conservans diligenter gratiam quam accepi, novis Dei beneficiis dignus inveniar; ita ut sacrificia et communiones meae fiant quasi gradus, per quos ad te, et ad benedicti Filii tui consortium in coelum ascendam. Amen.

SUSPIRIA.

Super mel et omnia dulcis tua praesentia.

O Deus cordis mei et pars mea, Deus in aeternum!

Cum Sacerdos, ut homo infermitate circumdatus in hujus vitae peregrinatione variis miseriis conflectitur, ac sepessime auxilio, luce, refrigerio, aliisque spiritualibus subsidiis indigeat, opus illi est quam frequentissime ipsum gratiae ac misericordiae fontem adire, ut in ipso ac ex ipso aquam hauriat quae fiat in eo fons aquae salientis in vitam eternam — "Panis iste supersubstantialis, ad totius hominis vitam salutemque proficit. Simul medicamentum et holocaustium ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates existens."—St. Cyp.

ASPIRATIO.—Anima Christe, &c.

PRAEPARATIO II.

O me felicem, qui hoc mane admittor ad altare omnipotentis, ad convivium boni Magistri mei Jesu, qui in dulcedine sua paravit mensam regalem, omni sapore suavitatis redundantem. Sed, O mi Deus: an tam eximio honore, tam ineffabili gratia dignus sum, qui toties surdus fui voci gratiae, tam segnus in dilectione tua qui te derelinquendo fui magis reus quam Apostoli, ponendo te post Barabbam, magis perversus quam Judaei? Quomodo possum sine lacrymis mente revolvere, quod toties tibi anteposui miseram voluptatem, vilem passionem, affectum terrenum? An ergo adeo ferreum aut saxeum est pectus meum, ut non scindatur recordando Deum tam beneficum, peccatis meis offensum et negligentiis inhonoratum? Et tu, O Jesu, dignaris animam tam duram, tam parum compunctam tua divina praesentia honorare! Rubore et

pudore perfundor, videns ineffabilem tuam bonitatem et vilem meam ingratitudinem. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum et anima mea turbata est valde : afflictus sum et humiliatus sum nimis; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper, Si non habeo lacrymas Petri; afflictio tamen mea dolorem ejus adaequat: si oculi mei, sicut oculi ejus, non testantur poenitentiam meam, voluntas tamen mea aequaliter detestatur peccata mea. Purifica me, Jesu, pretiosissimo tuo Sanguine, nam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea; non sum dignus ad te accedere; sed tu, coelestis medice, uno verbo potes curare omnia vulnera mea, et remittere impietatem peccati mei. Veni ergo, Domine; ecce quem amas infirmatur: veni et sana me; quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me, Domine Deus. Erravi sicut ovis quae periit, sed tu es pastor bonus, qui dedisti animam tuam pro mea salute : succurre mihi et salva me. Firmiter statuo in posterum servire tibi et diligere te omni meo conatu et super omnia creata. Vocasti me ad amorem tuum, ad ministerium tuum, ad sanctitatem et perfectionem: ecce venio ad te, qui es via, veritas et vita. Illumina me, dirige me, vivifica me. Omnia relinquo, omnia sperno propter te; tu eris pro semper unica spes mea, unicum solamen, unica voluptas mea.

O Pater aeterne, offero tibi hoc sacrificium novae legis in unione passionis et mortis unigeniti Filii tui, pro salute mea et totius mundi. Ne consideres indignitatem meam, sed respice ad amorem illum super omnem amorem, qui Filium tuum induxit ut pro nobis crucifigeretur, et pridie quam pateretur hanc sacram synaxin institueret. Per hunc amorem, qui inter cor dilecti tui Jesu et meum miserum cor tam admirabilem unionem constituet, respice benignis oculis pauperculam meam animam. Commendo tibi, mi Deus, vitam meam, proposita mea, cor meum, omnia mea; corda quoque omnium fratrum meorum in Sacerdotio. Da nobis spiritum verae pietatis, contemptum terrenorum et zelum gloriae tuae: infunde in nos habitus virtutum, desideria coelestium et sanctam in tua dilectione perseverantiam.

Purissima Virgo Maria, Regina Cleri, quae tenerrime nos amas, in quorum manibus dilectus tuus Jesus toties de novo incarnatur, intercede pro nobis, ut semper et in omnibus Deum exquirentes, eum tecum et cum Angelis et Sanctis in aeternum laudare mereamur. Amen.

GRATIARUM ACTIO II.

Quam mirabilis est dilectio tua, O Domine Jesu, qui tuo Corpori taliter nos incorporari voluisti, ut tecum cor unum habeamus! O amor infinite, vere amorem non tam habes quam ipse es! O benignitas immensa! Quibus te laudibus efferam nescio. Deus seipsum totum mihi dedit! Jam totus nunc meus est! O anima mea, voca omnes affectus tuos, collige omnes potentias ad conversandum cum Redemptore tuo, qui specialiter tibi unitur ut a te ametur.

O Piissime Jesu, gaudium et refugium meum, venio ad te, adoro te in anima mea commorantem, et in spiritu deosculor sacratissima membra tua. Noli me a te abjicere, sed respice benigne infelicem qui praeterito tempore toties te ex anima sua expulit, et se a te separavit. Sed nunc, O Deus, Rex meus et Dominus cordis mei, nunc statuo deinceps tibi servire in sanctitate et justitia, omnibus diebus vitae meae: utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas. Mandasti ut amen te: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. O! quis sum ego ut amorem meum emendices? Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam, irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parva ne res ipsa est si non amem te? Mortuus es pro me, et dedisti mihi Corpus et Sanguinem tuum; itaque adhaereo tibi, abrenuntio omnibus propter te, et desidero ab omnibus derelinqui, ut tibi soli vivam, te solum diligam.

Quid amabo, si te non amo, cujus pulchritudo infinita est et infinito amore digna? Ubi inveniam, sive in coelo, sive in terra, thesaurum tibi similem, amicum tibi comparabilem. O Jesu, dilecte mi, posside cor meum et expelle ex eo quodcumque tibi non placet. Adveniat regnum tuum in anima mea: posside cor meum, et protege illud contra incursus affectuum terrenorum. Omnes deliciae meae sint in amando te, in serviendo tibi, in respuendo vanitates et mundana gaudia, in ponendo omnem affectum meum in te, O Jesu cordis mei! Si superbia aut, voluptas, aut amor proprius conabuntur me ab amicitia tua avertere, tamquam surdus non audiam, atque vanitatem et vilitatem omnium considerans, tibi soli adhaerebo. Si quid in corde meo vellet usurpare amorem tibi debitum, generosa manu illud expellam; ut in amicitia tua stabilis permaneam, et fixus in pacto dilectionis tecum. Elegisti me in amicum

tuum, segregasti me in opus ministerii ad quod assumpsisti me; fas est itaque ut non quaeram quod mundani quaerunt, ut non possideam quod terreni possidere desiderant. Te solum quaeram, te solum desiderabo, in te solo erit omnis delectatio mea: tu erit Deus cordis mei et pars mea, Deus in aeternum!

O charissime Jesu, tu nosti debilitatem et infirmitatem meam; tu scis quod absque tua gratia et speciali auxilio, proposita mea, tempore tentationis, brevi evanescent sicut fumus ante faciem venti. Adjuva me igitur, et da gratiam ut possim resistere tentatori; sis tu refugium meum et virtus, et adjutor in tribulationibus. Inveniam semper in te consiliarium qui repellat tenebras ignorantiae meae, magistrum qui illuminet dubia mea, medicum coelestem qui sanet spirituales infirmitates meas. Domine, custodi me ab omni malo, custodi animam meam, custodi introitum meum et exitum meum, ex hoc nunc et usque in seculum. Obsecro te mitissime ac bone Deus, ut haec immortalis hostia pro me tibi gratias referat; me tibi reconciliet, me tibi restituat; mihique peccatori veniam tribuat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Rogo te, O Maria, mater sacratissima, per amorem quo Filius tuus, jam moriturus in cruce semet ipsum Patri suo, te vero discipulo suo et hunc vicissim tibi commendavit; ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae; sed praecipue in hora mortis meae. Amen.

SUSPIRIA.

O Jesu Salvator, fac ut amem te!

O Domine, ne permittas me separari a te.

Pete ab eo spiritum timoris Domini, ut omne peccatum vel levissimum fugias, et ipsum solum casto affectu timeas.

Aspiratio. — Injice, Domine, pedem meum in compedes tuos et in torques tuos collum meum.

PRAEPARATIO III.

O Rex meus et Deus meus, qui hodie in animam meam intrabis, ut ibi regnum tuum stabilias, desidero te ex omnibus potentiis cordis mei. O Rex gentium et desideratus earum, qui aperis et nemo claudit, aperi languentem ani-

mam meam, et tu ipse exorna illam, ut digna coram te appareat. Gaude et laetare cor meum, occurrens Deo tuo, quia hodie ad te intrabit et regnabit super te Salvator mundi. O si cognosceres immensitatem et suavitatem dulcissimi illius sponsi; si intelligere posses magnitudinem et excellentiam illius gratiae, quam hodie recipies. Ecco Rex tuus, Deus tuus, venit ad te: ille Jesus, in cujus nomine omne genuflectitur, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, ille de throne gloriae suae descendit, ut veniat ad pauperem servum!

O amor super omnem amorem! O Deus, qui me infinita dilectione prosequeris, et me immortalibus donis complere non solum in votis sed in deliciis habes, quid vides in me quod possit te inducere ad quaerendum societatem servi tui; cum ipse meus amor proprius nihil boni in me inveniat! Quo magis perscrutor intima mea, eo magis increscit confusio mea: quia quaecumque in me video magis apta sunt repellendum, quam ad invitandum te: et tamen non solum tu ipse invitas me, sed desidirio desideras hanc coenam mecum facere. In illo fervoris excessu, quando paratus eras pro nobis mori, ab excessu amoris majus opus agere coactus es, dare nobis Corpus in cibum. Ultimus gradus amoris est, quia dedisti te nobis ad omnimodam unionem, sicut cibus et cibans invicem uniuntur. Immensae itaque dilectioni et bonitati tuae confidens, O bono Jesu, audeo ad te accedere, ut enutrias me: sivit in te anima mea, Deus, quam multipliciter tibi caro mea. Cor meum, quod est quasi terra arida et inaquosa, desiderat te, fontem omnis gratiae et misericordiae: quis enim poterit narrare omnia bona quae parasti in dulcedine tua pauperi Deus? nulla lingua par explicando est, nullus intellectus capere sufficit, quae ibi praeparaveris diligentibus te. Fac ut redamem te, misericordissime Jesu: illumina mentem meam, inflamma cor meum, ut non diutius resistam suavi tuae dilectioni: da ut non amplius impediam per peccata mea effusionem thesaurorum quos impertiris animae quae digne te recipit. Diligam te, O bone Salvator, qui pro me passus et mortuus es; et hoc immenso amoris pignore non contentus, ulterias in cibum et potum animae meae te humilias. Distrue in me omnem affectum erga creata, ut solis divinis consecrem cor meum: excita in me fervens desiderium saepe te digne sumendi, et zelum elios ad dignam communionem inflammandi. Adjuva me, ut qui hucusque fui miserum peccati mancipium, fiam per gratiam tuam felix servus amoris tui. O Pater aeterne, per merita Filii qui, hodie me reficiet, fac

ut me ipsum totum tibi consecrem.

O sacratissima Virgo Maria, quae Spiritu sancto cooperanti, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti: fac ut ego eum digne in hoc Sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar spiritum hujus dilecti Filii tui. O Sancti Dei omnes, et vos praesertim, dilecti Patroni mei, succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in Sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat, fiat.

GRATIARUM ACTIO III.

O Angeli et Electi Dei, laudate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Venite adoremus et procidamus ante Deum pro inenarrabili dono quod ab ipso recepi. Humiliavit enim immensam potentiam suam usque ad nihilum, ut visitaret indigentiam servi sui. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum! Domine, omnia quae intra me sunt benedicant nomini sancto tuo, quia visitasti me, Oriens ex alto, et oculi tui in pauperem respexerunt.

O amabilissime Redemptor, qui ineffabili amore tuo incitatus, iterum ad me, indignum peccatorem divertere dignatus es, et te mihi totum in nutrimentum dedisti; operare in me, precor, quidquid hoc admirabile Sacramentum potest in salutem animae meae. Lava et purifica cor meum ab omni iniquitate, per vitutem pretiosissimi tui Sanguinis: everte in anima mea regnum peccati, ut tu solus in ipsa domineris, qui es solus Rex et Dominus meus. Infunde in me divinas tuas virtutes, charitatem, obedientiam, humilitatem, mansuetudinem, puritatem et amorem crucis tuae: illumina tenebras meas, robora debilitatem meam, extirpa amorem mundi, fac ut ambulem in via immaculata, et vivam vita divina, sicut decet ministrum in sortem Domini vocatum: sustenta me contra pericula quibus continuo circumdatus sum, protege me contra hostes salutis meae, ne unquam praevaleant adversum me; conserva me castum et sanctum, ut progrediar coram te in spiritu et veritate.

Pater aeterne, qui mihi dedisti Corpus et Sanguinem Filii tui, gratias tibi ago pro hac tam immensa tua largitate, et offero tibi eumdem Filium, tamquam victimam

salutarem pro omnibus in quibus debitor tibi sum. En holocaustum ad honorandum supremam majestatem tuam et summum imperium super omnia: en hostiam eucharisticam in recognitionem omnium beneficiorum tuorum: en victimam propitiationis ad satisfaciendum tibi pro offensis meis: en hostiam pacificam ad obtinendum gratias quae mihi necessariae sunt ad perfectionem et salutem. Unio me isti divinae victimae, et me ipsum cum illa tibi offero: unio me infinitae gloriae quam tibi procurat, immenso amori quem tibi exhibet, infinitis ejus laudibus et gratiarum actioni perfectissimae. Offero tibi amorem ejus in supplementum frigoris mei; humilitatem, in reparationem irae et superbiae meae, puritatem et sanctitatum ejus, pro mea inmuniditia, obedientiam et paupertatem, in supplementum inobedientiae et avaritae meae: omnes ejus virtutes et perfectiones, in reparationem vitiorum et defectuum meorum. Precor te, Deus, ut per merita dilectissimae illius victimae, concedas mihi omnia auxilia quibus indigeo, ad fideliter tibi serviendum.

Offero et consecro me totum etiam tibi, O suavissime Jesu, ut sim etiam victima tibi dedita. Offero tibi corpus et animam, facultates et potentias, cogitationes et actiones meas; omnia mea, ut unice illis utar ad gloriam tuam, O Salvator mi, spes mea et refugium meum, ne derelinquas me in tempore tribulationis; immensa clementia tua qua me hodie refecisti praebendo mihi te ipsum, mirabiliter adauget fiduciam meam. Me totum tibi committo: fac mecum secundum beneplacitum tuum; in manus tuas commendo me, fac de me quidquid vis. In te, Domine, spero, non confundar in aeternum.

Sancta Maria! suavissima Dei mater, precare Jesum pro me: sancte Joseph! custos virginitatis Mariae et nutritie Jesu, ora pro me, ut purus et sanctus in conspectu Domini permaneam, et Deum meum semper ferventissime diligam. Amen.

SUSPIRIA.

O Domine, exquiram legem tuam semper.

Da quod jubes, et jube quod vis.

Pete ab eo spiritum scientiae, ut falsa scias a veris discernere, et fidei dictamina constanter teneas.

Aspiratio. — Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

PRAEPARATIO IV.

Accedo ad sanctum altare tuum, charissime Jesu, cum proposito uniendi me tecum in sacra Eucharistia; ut sumam te tamquam clypeum et armaturam meam, te tamquam scutum inexpugnabile contra potentias infernales, quae continuo adversus animam meam insurgunt. Toto corde et mente firmiter adhaereo verbis tuis circa realem tuam praesentiam sub speciebus consecratis. Tu dixisti: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus: est ergo Corpus tuum et Sanguis tuus. Hoc facite in meam commemorationem. Istud mandatum tuum, per successionem non interruptam, ab Apostolis pervenit ad me, qui per impositionem manuum legitime sum ordinatus: ergo quod facio in memoriam tui, tu facis, qui es offerens principalis et sacerdos in aeternum. Ex pane et vino non manent nisi apparentiae, quae majestatem tuam velant. Sumendo itaque Sacramentum, recipio in me Creatorem coeli et terrae, supremum omnium Rectorem, immensum et summum Dominum, Deum infinite bonum, sapientem et justum. O excelsam sane, prodigiosam ac mysteriis plenam functionem, qua ima summis sociantur, terrena coelestibus junguntur, unumque ex visibilibus et invisibilibus fit!

O amantissime Jesu, audiendo suavissima verba tua: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis; quare tristis foret anima mea, et quare conturbaret me? Tu enim es illuminatio mea et salus mea; quem igitur timebo? Sub paternam tuam protectionem confugio, et sub alis misericordiae tuae me abscondo: Accipe me ut totum tuum, et age mecum sicut tibi placuerit: sive consolaberis me, sive aridum reliqueris, benedicam nomini sancto tuo. Castiga me, Domine, afflige me, ure et seca, vulnera aut destrue me; etiam si occideris me, in te sperabo. Tuus sum per creationem, tuus per baptisma et per ordinem, et iterum totus tuus fiam in hac sacra Communione. Fac igitur mecum quod vis; dummodo sim tibi ex toto corde, dummodo amem te caetera non curo. Venti tentationum et terrenarum affectuum, vel fluctus passionum non amplius movebunt me. Venite, zephyri amoris divini, surgite ex corde Jesu, refrigerate hortum animae meae: spargite in eo odorem unguentorum boni operis; fovete in in eo plantas et luxuriantes virtutum flores; ut sit pro Jesu meo hortus amoenus, in quo pascatur et lilia colligat.

O Deus meus et gaudium meum, lux pulchritudinis immensae, illustra animam meam inenarrabili serenitatis tuae splendore: illucesce mihi anhelanti ad te in S.S. Sacramento. Ecce Domine, ecce ego totis cordis mei medulis cupio diligere te; adjuva infirmitatem meam, et dona ut experiar mellifluae charitatis suaves influxus. Accende et penitus concrema me igne amoris tui. O Domine mi, adoro te, veneror te, laudo te glorifico te quibus possum modis. Tu enim totus serenus, totus floridus, amabilis atque desiderabilis. Tu animae meae vita, honor, solatium et unicum bonum. Perunge, quaeso, quando te hodie recipiam, viscera cordis mei gratiae tuae balsamo, ut ego, totus diffluens sancti amoris deliciis, fiam holocaustum acceptum coram te, et tibi placeam jugiter.

O suavis Maria, virgo sacratissima, quam Deus sibi in matrem elegit ante secula, tu es felix illa inter Deum et homines mediatrix, per quam ima summis copulata sunt. Tu exordium vitae, janua gratiae, tu portus naufragi seculi. Impetra mihi quaeso perfectam peccatorum meorum veniam, perfectamque Spiritus sancti gratiam: ut Filium tuum, Salvatorem meum, in hoc sanctissimo sacrificio cum fervore recipiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO IV.

Canta, anima mea, Domino, et exulta, spiritus mi, in Deo salutari tuo, qui respexit humilitatem servi sui; quia fecit tibi magna Dominus qui potens est. Canta, anima mea, canticum novum Deo, qui pro te natus in stabulo, pro te mortuus in cruce, hodie se ipsum totum in cibum tibi praebuit. Pange, lingua mea, mysterium Corporis gloriosi et pretiosi Sanguinis, quem Rex gentium effudit in nutrimentum tuum. O vere infinitus, immensus amor, qui talia invenit. Dominus dominantium sub specie panis et vini latens! Deus, summe potens, Creator et Gubernator omnium, in corde creaturae remanens. . .! O mysterium vel ipsis Angelis admirandum, cujus excelsitatem nemo valet concipere! O mi Jesu, gratias tibi ago ex intima anima mea, pro tam sublimi munere, mihi hodie praestito. O si haberem corda et linguas omnium hominum, ad laudandum te et exaltandum bonitatem et munificentiam tuam! Sed adhuc, et semper, impar forem ad digne te laudandum. En, O bone Jesu, qui in corde meo habitas, en, nihil habeo, nisi miserum et

pauper illud cor. En, multum dat, qui nihil sibi retinet! Do tibi cor meum totum cum omnibus potentiis suis: do tibi cor meum totum cum bonis suis inclinationibus, si quas habet, ut serviant ad gloriam tuam et salutem animae meae: et cum pravis suis affectibus, ut illos exstirpes aut emendes, et in eorum locum sanctas virtutes infundas. Ne rejicias cor illud, quod tibi offero tamquam victimam, igne amoris tui consumendam. In omni sinceritate animae meae, consecro tibi me ipsum totum: et firmiter statuo, gratia tua adjutus, reformare agendi rationem meam, ut vivam secundum beneplacitum tuum. Accipe, Domine, sacrificium illud tamquam pignus grati animi, pro ineffabili beneficio a me hodie percepto, pro coelesti epulo tam suaviter a te praeparato.

O infinita Dei sapientia, lux quae illuminas omnem hominem, thesaurus omnium virtutum, auctor omnis boni desiderii, protector et magister animarum sanctarum, humiliter ad te recurro, et auxilium tuum imploro pro sanctificatione animae meae. Informa mentem meam, cogitationes et affectus, desideria et opera, juxta divinum illud exemplar quod nobis de coelo datum est, et a te in monte monstratum. Volo deinceps dirigere omnes actiones meas ad honorem et gloriam tuam: nolo amplius obedire perversis passionibus meis; nolo amplius ut in me dominentur voluptas et superbia; tu solus Dominus cordis mei, tu solus imperabis affectibus ejus; tibi soli, tamquam supremo Regi meo obediam et obtemperabo. Infinitae bonitati tuae me totum committo: scio enim quod me diligis, et quod veram meam felicitatem unice intendis. Domine, quid me vis facere? . . . En, ad omnia paratum me exhibeo, dummodo, mihi non deneges sanctum auxilium tuum; vides quam ineptus sum ad omne bonum, et ad omne malum proclivis. Adjuva me ergo, Domine: da ut nihil noscam, nihil amem, nisi quod placitum est coram te. Concede mihi humilem mei aestimationem, patientiam in adversis, obedientiam erga superiores, mansuetudinem erga socios et inferiores et amorem erga inimicos. Da mihi gratiam invigilandi animae meae, omnibusque sensibus, ne culpa mea perdam te, qui tam dulciter me refecisti: sed conservem diligenter in corde meo, te Jesum meum, unicum dilectum, unicum solatium meum. Ideo saepius per diem recordabor tui, ut in te vires inveniam ad resistendum diabolo et angelis ejus, et ad bene sancteque operandum.

O Maria, mater amabilis, assume me in servulum, adopta me in filium, qui hodie

Filio tuo tam intime unitus sum. Largire ut inter illos numerer, quos virgineo pectori inscriptos amas, doces dirigis, adjuvas, foves ac protegis. Amen.

SUSPIRIA.

Ama me, Domine, et transforma quam simillime in te.

Sis tu, mi Jesu, unicum refugium meum.

Pete ab eo spiritum consilii, ut apta remedia ad salutem animae tuae, et aliorum de quibus curam geris, eligere scias.

Aspiratio.—Dilectus meus mihi, et ego illi. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

PRAEPARATIO V.

Amabilis Jesu, Deus cordis mei, ad te de luce vigilo et in te sitit anima mea, quam multipliciter tibi caro mea: et tu, charissime Redemptor, eximia benignitate iterum venis ad me! Sed antequam de pane tuo edam et de calice bibam, necesse est ut probem me ipsum. Detestor itaque, misericors Deus, ingratitudinem praeteritae vitae meae, et firmiter statuo de ipsa semper dolere. Poenitet me ex intimo corde toties offendisse Dominum tam mansuetum et erga me tam beneficum: Deum, qui non solum peccata mea per poenitentiae lavacrum delet, sed me iterum in praesentia sua admittit et ipse desiderat fieri cibus animae meae. O Jesu, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, possimne, si considero immensam tuam benignitatem, iterum ad hostes tuos transfugere, et peccando dulcissimum tuum cor dolore perfundere? Absit, O mi amor! potius omnia mala tolerare, quam in minimo te offendere; potius mori quam peccato consentire. Invigilabo diligentius sensibus et affectibus meis; accurate fugiam occasiones quae me ad peccatum adducunt; contemnam quidquid de me cogitetur aut dicatur, dummodo tibi placeet inviolabiliter tibi adhaeream. Benedic, Domine, his meis propositis, et concede gratiam ad exequendum ea.

O mi Jesu, amo te, et magis magisque amare concupisco. Da ut per virtutem amoris tui, excutiam pondus omnium terrenorum desideriorum, et post te curram in odorem unguentorum tuorum. Scribe

in tabula cordis mei sanctissimam tui memoriam; ut nihil carnale, nihil indignum cogitem, quando coram te adstabo; sed te solum quaeram, et praesentiam gratiae tuae in intimis meis semper sentiam. O fons misericordiae, suavissime Salvator, veni et tribue te animae meae. Te enim toto corde desidero, ad te tota mentis intentione aspiro. Da mihi amorem tui castum, fortem ac stabilem, qui me totum repleat, totum in te transmutet: ut efficiar tibi perpetuum holocaustum in odorem suavitatis. Pasce famelicum mendicum tuum, pastor aeterne; illumina mentem meam caecam claritate praesentiae tuae; accende cor meum frigidum igne amoris tui. Absorbeat me melliflua vis sanctae charitatis; purget, penetret et rapiat interiora mea flamma castae dilectionis; ut tibi intendam, te desiderem, tibi inseparabiliter serviam. Te invoco in animam meam, Jesu eucharistice, Deus abscondite! te inclamo toto cordis affectu. Intra in intima viscerum meorum: coapta animam meam tibi, ut possideas illam sine macula; mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Da ut tui amore totus ignescam, totus a me ipso deficiam, te solum sciam et sentiam, in te solo exultem et conquiescam. Fac ut affectus qui nunc me inflammant magis magisque increscant, et concede ut praesens mea communio adeo sit fervida, ut compenset temporem praecedentium, et ex hac die et deinceps cor meum sit lampas semper ardens, ardens, thuribulum semper fragrans ante sanctissimum tabernaculum tuum. Dispone me ita, ut colligam omnem fructum, non solum ex hodierna sumptione, sed ex omnibus, ad quas, opitulante divina tua gratia, me adhuc admittes.

Dilectissima Virgo, speculum sine macula, quae mater divinae gratiae merito vocaris, obtine pro me a dilecto Filio tuo gratiam necessariam ad recipiendum ipsum sicut decet, ad vivendum vitam sanctam in hoc mundo, donec ipsum tecum laudare possim in aeterna beatitudine.

Amen.

GRATIARUM ACTIO V.

O quam suavis, quam ineffabilis est, O mi Deus, munificentia tua erga debilem et inopem ministrum tuum! Quam misericors dignatio tua erga miseram animam meam! Sis benedictus in aeternum, O humilium peccatorum et poenitentium amice Jesu! sis laudatus et superexaltatus in

secula, qui pristinae meae praevaricationis immemor, tamquam filium me deosculatus es, stolam primam protulisti, et me ad mensam tuam pretiosissimo tuo Sacramento satiasti. O quam ardens est cor meum in me, dum te in eo praesentem sentio. O quam pleno ore, cum dilecto tuo discipulo, fluenta gratiae e sacro tuo pectore potabo. Sed quomodo fieri potest, Domine, ut digneris habitare in anima quae toties olim misericordiam tuam conculcavit, toties imaginem Divinitatis tuae in ipsa impressam inhonoravit, et miseram voluptatem aut pravam delectationem tibi anteposuit? Quo magis considero ingratitudinem et indignitatem meam, eo magis admiror miserationem et suavitatem tuam: et nisi scirem immensitatem benignitatis tuae, nisi scirem miserationes tuas super omnia opera tua esse, mens mea mirabilem hanc divinae bonitatis tuae concessionem vix credere auderet! O Domine. da mihi certam et claram cognitionem liberalitatis tuae; ut melius intelligam magnitudinem et dulcedinem doni tui, et inde accrescat ardor amoris mei, et fervor dilectionis. Tepor et torpor animi mei adeo debilitarunt quamcumque nobilem et generosam affectionem in corde meo; ut nec ipsa consideratioinfiniti beneficii tui et superabundantis munificentiae tuae satis me inflammet. O suavis Jesu, miserere tam miseri status mei: et quoniam venisti in me ad sanctificandam animam meam sacris tuis donis, placeat, tibi, ut caeteris tuis favoribus addas etiam robur ad removendum hoc et omnia alia impedimenta, gratiam tuam impedientia.

O amantissime Redemptor, dulcis hospes cordis mei, consecro tibi cor illud, quod a te et pro se creatum est: pono te ut signaculum super illud, ut prohibeam ingressum omni passioni terrenae, omni affectioni mundanae: et ut notum sit omnibus te solum Dominum et Magistrum meum esse. Nullus sit in eo nervus qui non tendat ad te, nulla vena quae non pulset pro te; posside et rape illud totum, ut totum tibi, et tibi soli vivat. Non amo te propter me, propter gaudium, aut spiritualem consolationem: sed amo te propter te, et quia jubes ut amem te. Cum tot miracula patraveris ad ingrediendum in cor meum, et me tibi tam dulciter uniendum, adde adhuc unum: da ut anima mea te Deum suum, unice et ferventissime diligat, vanitates et delicias contemnat; ut magis ac magis crescat fervor meus in sancto servitio tuo: ut cor meum, abundantiam ardoris sui continere non valens superefluentiam dilectionis erga te etiam in corda aliorum transfundat;

ta ut Christi bonus odor sim in omni loco. Fac ut sim et permaneam totus tuus; ut in tempore et in aeternitate vere dicere queam: tu es Deus cordis mei, Deus meus et omnia!

O Dulcis Virgo Maria, ora pro me, guberna affectus animi mei; ut hodie tam amanter a Filio tuo visitatus, nihil in hoc mundo vitiose diligam, nulli rei visibili adhaeream; sed tamquam peregrinus et advena, civitatem permanentem hic non habens, sed futuram inquirens, totis desideriis aeterna suspirem, et in solo Deo meo conquiescam. Amen.

SUSPIRIA.

Viam justificationem tuarum instrue me, Domine.

Maria, Mater gratiae, tu nos ab hoste protege.

Pete ab eo spiritum intellectus, ut abditos sacrae Scripturae sensus intelligas, et explanes.

Aspiratio.—Hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, Domine mi, et frater mi.

PRAEPARATIO VI.

Misericordissime Salvator, en anima peccatoris, anima vulneribus saucia, venit ad te, coelestem medicum, divinum consolatorem; ut sanetur a languoribus suis et vires suas restauret. En anima praevaricatoris qui toties dereliquit te, patrem suum, et cupivit implere ventrem de siliquis quas porci manducant. En ovis perdita quae redit ad ovile et ad te Jesum, divinum Pastorem a quo abierat in regionem longinquam. Sed nunc, Domine, recogito praeteritam vitam meam in amaritudine animae meae: nunc experior cor nostrum irrequietum esse, donec requiescat in te; nam ad imaginem Dei facta anima rationalis, caeteris omnibus occupari potest, satiari non potest. O miserum me, qui tam bonum, tam dulcem magistrum despexi; ut me crudelibus et insatiabilibus dominis, pravis affectibus, manciparem: quidquid desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur; et ecce, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus. Passiones et prava desideria obcaecant oculos, pollicentur delicias et gaudia, et non afferunt nisi moerorem et dolorem! Nonne igitur malum et amarum est reliquisse me Dominum Deum meum, qui non dat quemad-

modum mundus dat; sed qui relinquit pacem suam servis suis. O mi Jesu, redeo ad te, sub umbra alarum tuarum protege me: noli me in furore tuo arguere, neque in ira tua me corripere! O Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, poenitet me peccasse, et toties ingratum me exhibuisse; ne despicias me; sed recipe me in sinum misericordiae tuae. Firmiter statuo servare legem tuam et praecepta tua, obedire et servire tibi fideliter, ut pax quae exsuperat omnem sensum iterum custodiat cor meum et intelligentiam meam.

Sanctifica, Domine, cor meum quod fecisti, et ejecta omni malitia, reple illud gratia tua, plenumque conserva; ut dignum habitationis tuae efficiar templum. Tu melle dulcior, tu sole serenior, tu auro et gemmis pretiosior, tu, quaeso, unus animae meae super omnia placeas, te unum illa votis ardentibus concupiscat. O jucunda serenitas, et serena jucunditas! O lux gratissima, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, veni et excute tenebras mentis meae; illucesce animae meae, ut ipsa se et te videat, teque magis quam se diligat. Amen te, dulcis Jesu, super coelum et terram, atque super omnia quae coelo et terra continentur; ut tu solus sis tota intentio mea, totumque desiderium cordis mei. Dulcissime Domine, Deus meus, da lasso requiem, confirma deficientem, ciba esurientem, collige dispersum, aperi pulsanti, porrige misero manum pietatis tuae, jube ut ingrediar ad te, et maneam apud te. Obliviscatur sui anima mea, tibi inter prospera et adversa immobiliter adhaereat, prorsus respuens omnes adulterinas consolationes. O Jesu, qui me vocas ad amorem tuum, ecce relinquo omnia et venio ad te, O vita mea; in omnibus volo tibi obedire. Abrenuntio omnibus mundi voluptatibus; quia tu dignaris hoc mane me pascere Carne tua sacrosancta et pretiosissimo Sanguine. Amo te super omnia bona, et desidero recipere te, ut amplius amem te. Tu donas te mihi totum, et ego totum me dono tibi; esto mihi deinceps et semper omnia, unicum meum bonum, unicus amor meus.

O incomparabilis Virgo Maria, electa ex millibus, intercede pro me; ne repellas me iniquum; sed exaudi miserum clamantem ad te, et adjuva sperantem in te. Obtine pro me a Jesu, benedicto fructu ventris tui, ut viva fide et fervido amore ad altare Dei introeam, ac dignum et acceptabile sacrificium omnipotenti Domino offeram, et sancte reddam vota mea Altissimo.

Amen.

GRATIARUM ACTIO VI.

O quam misericors et miserator Deus! Quam bonus Dominus animae quaerenti illum! Ego qui merebar circumdari a daemonibus et reprobis, qui merebar habitare cum igne devorante et ardoribus sempiternis; nunc circumdatus sum ab Angelis Dei, qui adorant Dominum Suum in visceribus meis quiescentem! Ego qui dereliqueram venam aquarum viventium, et ambulaveram post peccata mea, iterum admittor ad intimam familiaritatem cum Jesu meo: iterum requiesco super pectus ejus! Quam bonus Dominus sperantibus in eum, quoniam in seculum misericordia ejus!

O anima mea, O ingratum cor meum, quandonam concipies sensa amoris et affectionis erga Deum tam munificum? Quid poterit in te excitate gratitudinem; si donum super omne donum quod hodie accepisti, id non efficit? Ad sanandum vulnera tuo, ad illuminandum te, ad tribuendum tibi gratiam necessariam, ad auxiliandum tibi in tempore tribulationis, Jesus, Deus et Dominus, de coelo descendit, sub specie panis et vini magnitudinem et potentiam suam occultat, ac in cor tuum intrat: et tu remanes frigida, indifferens et tepida ad tantam amoris exhibitiomem! Ah! quandonam revera dicere potero: Domine tu scis quia amo te! Mi Jesu, tu es totus meus, et ego sum totus tuus! O Deus, si non satis fervide te diligo, desidero tamen te omnibus viribus meis amare; desidero ex toto corde tibi deinceps adhaerere, et non amplius te offendere. Impone mihi jugum tuum, Domine; jugum enim tuum suave est, et onus tuum leve. Tu non decipis, sicut pravi affectus et voluptates decipiunt, quae relinquunt cor vacuum aut moerore transfixum. Tu ultra omnem spem animam, etiam ingratam, consolaris, et adipe frumenti eam satias: tu ad eam venis, et mansionem apud eam facis: ac dulcedine tua illam reples: Vere longanimis et multum misericors Dominus, qui coronat me in misericosdia et miserationibus, et replet in bonis desiderium meum! O vera charitas, et chara veritas, Deus aeterne, tibi adhaerere concupisco; tibi intendo, tibi inhio, ad te suspiro, te quaero, te amplecti desidero, in te solo consolationem accipere volo. Sic omnia praeter te relinquere cupio, quasi anima mea a corpore separata coram te consisteret, et amibili praesentia vultus tui perfecte frueretur.

O Pater omnipotens, con-

cede mihi ut possim in sinceritate et veritate cordis mei dicere et exequi, quod Jesus, unigenitus tuus, hic in terris dicebat et exequebatur: Ego, quae placita sunt ei, facio semper. Dedisti mihi hodie hunc eumdem dilectum Filium tuum; quomodo cum ipso non omnia mihi donares? Indue me fortitudine, ut possim vincere omnes pravos affectus meos et malas passiones; ita ut voluntas mea sanctae tuae voluntati semper concordet. Da ut possim refrenare omnes inordinatas inclinationes quae mei dominantur, et contrarias virtutes cum fervore exercere. Scio pauperem et indignam supplicationem meam nihil valere; sed memento, quaeso, eam unitam esse satisfactioni et meritis dilecti tui Jesu, qui in corde meo habitat, et interpellat pro me. Cum illimitata igitur fiducia deprecor majestatem tuam: da mihi gratiam amandi, honorandi te, et serviendi tibi omnibus diebus meis; ut post exactam hujus vitae militiam, possim te amare et honorare, tibique servire in perpetuas aeternitates.

O perfectae innocentiae exemplar, Virgo Maria, impetra mihi veram vitae sanctimoniam: dissipa in me quidquid virgineis oculis tuis displicet. Miserere mei, Domina, miserere mei; quia miseratio tecum crevit ab infantia. Ora pro me Jesum, ut beneficium hodie acceptum, in corde meo sancte conservem. Amen.

SUSPIRIA.

Dirge me in veritate tua, Domine, et doce me.

O Jesu, trahe me post te funiculis charitatis tuae.

Pete ab eo spiritum pietatis, ut obsequia et munera tanto ac tali Patri debita, solerter inquiras, et eminenter praestes.

Aspiratio.—Pater, peccavi in coelum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

PRAEPARATIO VII.

Considera, O anima mea, omni qua par est devotione, eminentiam et infinitam excellentiam Sacrificii novae legis, quod Jesus, Sacerdos in aeternum, continuo et ubique locorum Deo Patri pro nobis offert. Quis capere posset infinitum valorem hujus dignissimae oblationis:

aut quis intelligere valeret quam stupendum, quam sublime sit hoc opus Divinitatis? Ibi adest Salvator noster, Magister bonus, Jesus, Fillius Dei; non in figura, sed realiter, cum anima et Divinitate . . .! Ibi se ipsum offert Patri omnipotenti, ipsum honorat infinito honore, gratias agit, satisfacit justitiae ejus, imensasque super nos benedictiones effundit! O felices nos, possidentes pontificem, qui non habet necessitatem pro suis delictis hostias offerre, sed qui interpellat pro nobis, qui offert pro nobis, cum nos talia agendo non simus digni! Brevi in altari renovabit sacrificium Calvariae, opus reparationis humanae: quoties enim hujus hostiae commemoratio recolitur, toties opus redemptionis exercetur: cum sit idem sacrificium, idem offerens principalis, idem honor reddatur eaedem omnipotenti Deitati, eadem merita animabus nostris applicentur: sola offerendi ratio diversa est, cum Jesus hic non cruento, sed mystico modo moriatur! O anima mea! si hanc veritatem serio perpenderes; si oculis fidei considerares te ad tam sublime ministerium assumptam esse, ut in manibus teneas et in corde, mystico modo, sepelias Jesum, Deum et hominem, in quem desiderant Angeli prospicere, unicum Filium Dei, in quo Pater sibi bene complacuit! O quam ardenti amore, quam fervida dispositione ad ipsum accederes! Tota inflammata, tota ignea ad altare Dei introires?

O Panis Angelorum, O Esca divina, habens super omnia abundantiam suavitatis! amo te, desidero te ex toto corde; ex omnibus potentiis animae meae ad te suspiro, et potius vellem mori quam privari hac gratia, hac vita animae, quam tribuis digne te recipientibus. O si in dies magis magisque gustarem dulcem saporem hujus coelestis mannae, hujus cibi angelici. Quid adhuc esurio, quid adhuc sitio? Quid desidero extra te, mi Jesu, qui hanc escam suavem in nutrimentum animae meae praeparasti: et in hoc sacramento objectum amoris et adorationis meae remanes? Da ut diligam te omni ardore affectuum meorum, da ut anima mea tota occupetur a te, tota te repleatur, ut nihil praeter te ingressum in illam habeat. O amabilissime Jesu, omnes spes, omnis fiduci mea in passione et morte tua sita est: per merita tua, quae pretio tot dolorum nobis acquisivisti, concede mihi gratiam saepe et devote te recipiendi, et amorem tuum caute custodiendi, ita ut usque ad mortem fideliter perseverem.

O Pater aeterne, pater Filli benedicti, accipe sacrificium incruentum de manibus meis, accipe Verbum caro factum, hostiam placabilem, quae nata

est te ad miserationem impellere erga miseros peccatores, qui te non noverunt, qui te non amant, et idcirco gratia tua coelesti privantur. Da ut omnes te agnoscant, et quem misisti Jesum Christum. Spiritus ubi vult spirat; da ut spiret in cordibus eorum, ita ut redeant ad te, optimum Patrem, Deum misericordissimum. Imploro clementiam tuam pro omnibus, sed praecique pro me ipso, qui majora a te accepi, ideoque magis te amare debueram, et tamen magis ingratus fui. Per merita Filii tui et per charitatem Spiritus Sancti, qui est utriusque nexus et amor, rogo te ut indulgeas omnia delicta mea, impatientias, intemperantias, infidelitates meas, negligentias et distractiones in officiis status mei. Sincere de iis doleo, quia displicent tibi, Deo infinite bono et omni dilectione digno.

Serenissima Mater Dei, Virgo immaculata, refugium et solamen meum, intercede pro me; ut a peccatis solutus, digne appaream in conspectu unigeniti tui, et omni devotione et fervore accipiam memoriale praecipuum Divini erga nos amoris.

Amen.

GRATIARUM ACTIO VII.

Deus meus, Salvator meus in anima mea remanet: Jesus, amabilis sponsus, cor meum cordi suo conglutinat! O beatitudo unionis intimae, O felicitas, O gaudium infiniti amoris! vos omnes qui amorem quaeritis, venite et videte, si est amor sicu tamor Dei! Venite potentes, qui possidetis thesauros et divitias seculi: venite, qui voluptates et amores terrenos gustatis; venite et invidete cordi meo! Ego non corruptibilem thesaurum, quem fures effodiunt et furantur; sed divitias coeli et Dominum gloriae possideo; non veneficum voluptatem aut mortiferum amorem; sed delicias Sanctorum et suavitatem paradisi, Jesum, sponsum meum in visceribus meis teneo. O Deus, spiritus expavescit, mens mea confunditur et os obmutescit, in contemplatione ineffabilis et infinitae munificentiae tuae. Quid faciam ego, Domine, aut quid dabo tibi in compensationem tantae tuae benignitatis? Certe nihil habeo quod thesauro bonitatis tuae compar ari valeat. Si minimum donum tuum quodammando participat de dignitate et majestate datoris; quid dicam, cum ipse Omnipotens, in Sacramento amoris, cordi meo uniatur! Nec lingua

valet dicere, nec cor meum exprimere quod sentit. Nihil possum; nisi coram te profundissime me humiliare, teque depercari, ut digneris te ipsum glorificare pro hoc ineffabili dono, omnium favorum amplissimo. Silentium meum disertius erit quam verba, cum nec ipsi Angelici Spiritus capaces sint ad laudandum omnipotentem Creatorem, pro incomparabili bonitate erga filios huminum. O Pater aeterne, cum videas me ineptum esse ad benedicendum et debite honorandum te; cum nihil in me invenias quod oculis majestatis tuae dignum appareat, respice in faciem Christi tui, benedicti Jesu, in anima mea manentis. Ecce Angus Dei, ecce qui peccatum non fecit, et tollit peccata mundi! Ecce immaculatam victimam, olim pro gloria tua et salute animae meae in cruce mortuam, et nunc in nutrimentum cordis mei acceptam! Suscipe sacram illam hostim in expiationem delictorum meorum: pretiosus ejus Sanguis suppleat paupertatem meam, et acceptus sit coram te, in gratiarum actionem pro coelesti munere a me suscepto.

O clementissime Jesu, quid ultra debuisti facere ut amareris a me, qui toties tam indigne coram te ambulavi: qui saepius pro misera voluptate, pro perfidi gaudii momento te et gratiam tuam perdidi? Ah! quoties generosum me exhibui erga amicum, quoties pectus meum gratitudine supereffluit erga socium, qui mihi inaugustia consolationem et axilium praestitit! Et tu, benefactor liberalissimus, dilectus super omnes dilectos, Deus totius consolationis, qui te ipsum totum quantum pro me impendis, tu despiceris, tu oblivioni traderis. . .! Filium enutristi et exaltasti, ipse autem sprevit te . . .! Obstupescite coeli super hoc. Si inimicus tuus maledixisset tibi sustinuisses utique . . . Sed ego notus tuus . . .! Magne Deus, vides afflictionem meam et dolorem meum; miserere mei et resuscita me. Da gratiam ut deinceps custodiam legem tuam in toto corde meo, et veniat super me misericordia tua; ut diligenter conservem gratiam tuam, ferventer tibi serviam, et ardenter te diligam. Da ut sentiam quam immensa charitate me amasti et adhuc amas: da mihi castissimo ardentissimoque tui amore igniri, in te rapi et absorberi. ac omnium quae extra te sunt oblivisci.

O Maria, laetitia coeli et exultation terrae, tu peccatorum tutissimum asylum, tu certissimum praesidium omnium te invocantium: intercede pro me, ut Filium tuum, in corde meo susceptum peccatis non offendam, aut negligentia non perdam; sed amem ipsum, suavem Magistrum meum, et diligam te, dulcissimam Matrem meam. Amen.

SUSPIRIA.

Sis, Jesu, gaudium meum!

O Maria, monstra te esse Matrem.

Pete ab eo spiritum sapientiae, ut quidquid in Deo est intimius, nempe essentiam, attributa, processiones et decreta scruteris, ad majorem ipsius amorem in te excitandum.

Aspiratio.—Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae ircumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis.

PRAEPARATIO VIII.*

O summe Deus, infinite amabilis, quam elevata est magnificentia tua; qui iterum fies refugium pauperi et adjutor in tribulatione: qui iterum dignaris hodie visitare animam meam, ut sanctifices ipsam, ut gratiam tuam in ea conserves et augeas; ut des mihi fortitudinem et virtutem contra inimicos, ut intime me tibi unias, in te transformes et participem me facias divinitatis tuae. O cor Jesu, fornax amoris, fons charitatis purissimae, inflamma cor meum, ut digna fiat habitatio tua: illumina me, ut valeam intelligere magnitudinem bonitatis tuae: tu, qui nullius indiges, et tamen amorem meum quaeris; tu, qui es Deus, Rex magnus super omnes deos, et tamen ad inopem et indignam creaturam tuam de coelo venire dignaris! Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum! Sis benedictus, qui venis in nomine Domini! Laudabo te secundum multitudinem magnitudinis tuae: quia ostendis mihi Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum das mihi!

O Pater aeterne! offero tibi sacrificium istud et communionem meam, in unione infiniti amoris sacratissimi Cordis Jesu Christi, Filii tui: ut crescat amor meus de die in diem; ut magis magisque in sancta devotione proficiam: ut spiritum Jesu acquiram, vita ejus vivam, et ut cor meum cordi ejus quam simillimum fiat. Offero illud ut reparem, quantum in me est, omnes injurias huic sanctissimo cordi in Sacramento amoris a peccatoribus et sacrilegis Christianis illatas: praecipue a me ipso, qui toties suavissimum cor illud dolore affeci, per frigidam et tepidam participationem myste-

riorum Dei. Offero illud in reparationem negligentiarum et distractionum mearum in sancto servitio tuo; pro omnibus necessitatibus meis totiusque Ecclesiae, dilectissimae matris meae et sponsae tuae.

O mi Jesu, si non satis dignam et sanctam, ut deceret, dipositionem tibi offerre possum; offero tamen tibi ardens desiderium quod sentio, digne et ardenter te recipiendi: et sciens immensam bonitatem tuam, audeo etiam tibi offere ipsas cordis mei miserias et indigentias. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Dignare itaque tu ipse cor illud disponere et paupertatem ejus supplere. Ecce, omnis sufficientia mea ex te est: si indignitas et inopia mea me terrent, bonitas et suavitas tua me impellunt: si miserum et indigens est cor meum, tu ditabis illud donis coelestibus: si tepidum et debile est, inflammabis illud divinis ardoribus tuis: si impatiens et iracundum, discam a te quia mitis es et humilis corde: considerabis non merita mea, sed necessitates meas: non miseriam meam; sed misericordiam tuam. Veni ad me sicut Pastor bonis; et cor tuum cum gaudio recipiet ovem inventam: veni ut misericors medicus, et cor tuum medebitur vulneribus meis: veni sicut pater ten rrimus, et visita me in visceribus misericordiae tuae: veni sicut Deus virtutum; et excita in me dilectionem, puritatem, patientiam, mansuetudinem. Ostende virtutem et potentiam tuam in me miserrimo peccatore; ostende quod major est bonitas tua quam malitia mea; fac ut qui hactenus a te totus aversus et frigidus fui, nunc convertar ad te totus, et tui amoris flamma in te transformer accensus. Deus meus, Creator meus, usquequo non cognosco te? Quamdiu lates et non requiro te? Imo praesto es et non invenio te? Tu salus mea unica es, et non quaero te? Ergo, amantissime, fidelissimeque zelator, qui cum non essem, diligebas me, et ut essem, tu fecisti me; da mihi ut desiderem te, sitiam te, quaeram te, curram post te, et prae amore tui omnia fastidiam extra te. O Deus, fortitudo mea, spes mea, consolatio mea, pax et gaudium meum, aperio tibi cor meum, ut in illud intres: aperi mihi tuum, ut in eo quiescam, in eo vivam, et numquam illud deseram, donec facie ad faciem te videam.

O gratiosissima Virgo Maria, lilium inter spinas, exorna animam meam decore spirituali, insere cordi meo vividos amoris et devotionis affectus: ut dilecto Filio tuo placeam, et in Sacramento amoris digne et ferventer ipsum recipiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO VIII.

Laudationem tuam, suavissime Salvator, loquetur os meum; benedicam nomini sancto tuo et ex integro corde gratias tibi ago, qui in supersuavi tua benignitate in domo pauperis tui Zachaei commorari, et salutem ipsi afferre dignatus es. Unio laudationem meam laboribus sudoribusque tuis, et meritis passionis et mortis tuae: unio preces meas laudationibus Angelorum Sanctorumque tuorum, et precibus ferventiorum Sacerdotum ac animarum tibi maxime placentium. O Jesu, aperi therauros gratiae tuae, ut hauriam in gaudio de fontibus Salvatoris. Dixisti: si quis sitit veniat ad me. Ecce ego; satia me: esurio et sitio justitiam; loquere quia audit servus tuus; sonet vox tua in auribus meis. Dirige me in veritate tua et doce me: paratum cor meum, Deus. Tu scis quod a me ipso non possum, nisi peccare; quod semper video aliam legem repugnantem legi mentis meae. Tu scis quod sine auxilio tuo et speciali tuo favore, brevi, muneris et visitationis tuae oblitus, iterum pravis affectibus meis indulgerem, et te, dulcissimum Patrem meum, offenderem. Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus, ne discesseris a me; sed in auxilium meum respice; ne deneges mihi gratiam tuam: ne avertas faciem tuam a me; sed in quacumque die tribulor, velociter exaudi me. Notam fac mihi viam in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam. Dignare me sanctissima tua praesentia ita inflammare, ut ex hac di nunquam amplius delinquam; sed spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam. Da ut anima mea, ex consortio sermonis Dei, tota fervens, tota ignea recedat. O mi Jesu, dum in corde meo habitas, fac mecum pignus fidei et amoris perpetui. Per viscera misericordiae tuae te deprecor, ut animam meam purifices et illumines: ita ut faciam voluntatem tuam semper et curram in via mandatorem tuorum. Infunde in cor meum horrorem peccati et zelum pro dilectione et gloria tua. Da mihi virtutes maxime necessarias, puritatem, humilitatem: mansuetudinem et benignitatem erga proximum: miserationem erga egenos. Fac ut invigilem oculis, omnibusque sensibus et affectibus meis: refrenem linguam meam, ne proximo damnum aut afflictionem pariam detractionibus aut calumniis, loquendo vel audi-

endo; sed potius sciens quia in multis offendimas omnes, in fraterna charitate ipsum excusem quantum in me est, absque detrimento gloriae tuae et violatione mandatorum tuorum. Dat ut totum gaudium meum, omnis voluptas mea sit in amando te ferventer et serviendo tibi fideliter; omnes deliciae meae sint sanctissimum Corporis et Sanguinis tui Sacramentum maxima cum devotione suscipere; et caeteris status mei muneribus diligentissime fungi; ut sic resuscitem gratiam quae in me est, per impositionem manuum Episcopi. Concede mihi, Domine, ubique et in omnibus sic agere, sic me gerere, ut vita mea sit aliis quasi muta ad virtutem incitatio: ut qui in sortem tuam vocatus, sic vitam moresque meos omnes componam; ut habitu, gestu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae me feram. Levia etiam delicta, quae in me Sacerdote maxima essent, effugiam; ut actiones meae cuntis afferant venerationem. In manus tuas, Domine, commendo me; dirige me, doce me, sustenta et salva me.

O Maria, tota humilis, tota pia, mitis atque benigna, quae omnes te intuentes ad vitae integritatem puritatemque mirifice alliciebas, impetra pro me, ut a Domino tam suaviter nutritus, apud omnes odorem sanctae conversationis spirem; ut nemini sim gravis, neminem scandalizem; sed omnes consoler, omens ad Dei amorem mundique contemptum provocem. Amen.

SUSPIRIA.

O bone Jesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

Domine, pone ori meo custodiam, ut non delinquam in lingua mea.

Pete ab eo fidei donum electum, ut quae agenda sunt videas, et ad agenda quae videris convalescas.

Aspiratio.—Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus, illumina tenebras meas.

PRAEPARATIO IX.

O suavissime Jesu, Agne Dei, cujus livore sanati sumus: qui antequam pro salute nostra ignominiosam mortem subires, ut memoriale perenne amoris tui relinqueres, et nobiscum esses usque ad consummationem seculi, sacratis-

simum altaris Sacramentum instituisti, et Apostolis tuis, ut in tui commemorationem idem facerent jussisti: credo in hoc admirabili Sacramento, quod modo suscipere intime desidero, vere et realiter esse divinitatem tuam cum potentia, bonitate et sapientia infinita; credo ibi adesse humanitatem tuam cum omni perfectione et sanctitate, animam cum potentiis, corpus cum membris; totum te, Deum et hominem sicut gloriosus ad dexteram Patris sedes. Quanta igitur puritate, quam magna devotione, quam ardenti amore ad te accedere debeo: ego, vermis, ad te, supremum Dominum: ego, putredo, ad te, purissimum Deum: vilissima creatura, ad omnipotentem Creatorem: Quo crystallo non oportet esse puriorem animum tali fruentem convivio; quo solari radio non spiendidiorem manum quae carnem hanc dividit, os, quod igne spirituali repletur, lingua quae tremendo nimis sanguine rubescit? Qua denique re non sanctiorem esse convenit aimam, quae tantum illum, tamque dignum recipit Dominum? Vere, deberem sic esse purus, sic fervidus, eoque ardoris aestu flagrare, ut si in celis ipsis collocarer, inter celestes illas virtutes medius stare possem! Et eheu! quoties cum mentis glacie, cum tepore animi, cum affectu ad peccatum ad hanc sacram tuam Synaxin accessi! Quoties sine debita praeparatione, sine attentione, cum ineptis cogitationibus, imo totus distractus, coram te adstiti! Quoties a te recessi ingratus et quasi infinitum hoc donum non curans! O quot pauperes laici, quot ignari ruricolae ferventius erga te egerunt quam ego, Sacerdos, homo pacis tuae, mediator inter te et mortales! O Deus meus, misericordia mea, nunc vere contritus flecto genua cordis mei, summoque cum dolore animi humiliter me accuso, et coram divina majestate tua meam culpam agnosco. O Jesu! qui neminem quantumvis indignum, qui contrito corde ad te accedit, a praesentia tua repellis, sed omnes benigne et misericorditer recipis; exaudi me, indignum Sacerdotem tuum, toto corde ad te revertentem.

O Pater aeterne, pater misericordiae, antequam recipiam unigenitum tuum Jesum, sub specie panis et vini in intima mea ingredientem, indulge et remitte mihi omnia delicta mea, omnes abominationes commissas toto tempore vitae meae, in superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, et acedia, et in vitiis omnibus quae ab ipsis promanant: quia, proh dolor! nimis inclinatus et effusus in omnia fui. Sed nunc summopere me poenitet, ac intime doleo me peccasse, non amore praemii justis promissi, quo dignus non sum, neque timore sup-

pliciorum peccatoribus infligendorum, quibus undequaque sum dignissimus: sed ideo tantum quia offendi te, O Deus meus, qui ex te ipso summe bonus es, et super omnia colendus: imo ipsa charitas es, ipsa bonitas, ipsa majestas.

O benignissime Jesu, ego sum illa sterilis, ficulnea, ille aridus palmes, succidi et foras mitti jam pridem meritus: verum salutari timore et tanti mali horrore perculsus, pristinam vivendi rationem constanti fervore compensabo. Tu qui ignis consumens es, dissolve mentis glaciem, et in me amoris tui flammas accende, ut deinceps tibi serviam eo ardentius, quo serius.

Amabillissima Mater Maria, obtine mihi quaeso tuis meritis, ut precibus caeterisque spiritualibus exercitiis, sincero cordis affectu, et serena mentis hilaritate insistam. Quamdiu in carcere corporis hujus detineor, sint charissimae deliciae meae, ferventi animo Jesum tuum suscipere, et te, castissimam ejus Matrem ardenter diligere. Amen.

GRATIARUM ACTIO IX.

O gratiosissime sponse Jesu, qui tam benig ne me visitas, quomodo non totum cor meum in amore tuo liquescit? quomodo non deficit anima mea in considerando immensam benevolentiam et summam munificentiam tuam? Tu Rex gloriae Christe, in corde indignissimi servi tui! Tu Deus omnis perfectionis, in anima sordidi peccatoris! Benedictus qui venisti in cor meum, Oriens ex alto; sis laudatus et superexaltatus in secula! Laudent te mecum omnes creaturae tuae et omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi?

O Jesu mi, ad pedes misericordiarum tuarum me prosterno, obsecrans te per charitatem illam, quae de coeli te traxit in uterum Virginis, ut mihi applices merita amarissimae tuae passionis et pretiosissimi Sanguinis tui, quem pro peccatoribus, quorum ego maximus fui, effudisti: et ita suppleas omnes meos defectus et ignoscas mihi omnia vitia, peccata, negligentias et ingratitudines meas. Largire quaeso, per virtutem coelestis cibi, quo me hodie satiasti, ut omnia ista in posterum longe a me fiant: et quamvis natura non possim esse impeccabilis; saltem, O bonitas infinita, fac mihi hanc gratiam, ne unquam mortaliter peccem. Sane hoc est quod etiam tu ipse vis, desideras, petis et mandas: da quod jubes, et jube quod vis.

Deinde fac, Domine, ut loco supradictorum vitiorum in me imprimantur omnis generis sanctae virtutes; quod totum tibi cedat in gloriam et gratiarum actionem. Inflamma me ita hodie tua sacratissima praesentia, ut cor meum fiat quasi fornax amoris divini: consume et concrema in anima mea, quidquid sanctam dilectionem et devotionem impedire potest: ut ex hac die magis ac magis accrescat reverentia mea erga sanctissima mysteria tua, et amor meus erga te, dulcissimum Magistrum et ducem meum.

O potentissime Deus, quia illuminante gratia tua cognosco quantopere sim obligatus, vi praecepti tui et sacri characteris mei, ad bene operandum et prosequendam virtutem; ad declinandum a malo et fugiendum peccatum; ideo nunc, omnino mihi diffisus, totusque confisus et innixus sanctae tuae gratiae, propono, et tota virtute liberi mei arbitrii, plenissimo deliberatissimoque consensu statuo, nunquam amplius peccare: et potius millies singulis horis profundere vitam, quam unquam graviter te, Deum meum, offendere: aut tentare quidquam, facere, dicere, aut cogitare quod sit contra tuum beneplacitum: sed ut basiliscum fugere omnem occasionem peccandi, et quidquid tibi diplicet: quandoquidem ego volo, quaecumque tu vis, ac detestor quaecumque tu detestaris. Adjuva me, Domine, quia sine tuo singulari adjutorio non valeo exequi et implere ista statuta mea: da mihi vivam fidem, fortem et constantem animum; ut sicut tu peccare non potes per naturam, ita ego non possim per gratiam. Denique rogo te, ut omnia mea sint et fiant ad gloriam et honorem tuum, salutem animae meae et proximi mei, et secundum sanctissimam tuam voluntatem: cui cum toto meo esse, quod mihi largitus es, me dedo et consecro.

Clementissima Virgo, quae eumdem Dominum portasti Creatorem mundi, quem ego in anima mea habeo, obtine pro me a Domino meo Jesu, ut fidelis in sancto ejus amore perseverem, et ut ineffabile donum quod hodie accepi, totum me inflammet et in sanctis virtutibus roboret. Amen.

SUSPIRIA.

O mi Jesu, particeps fiam omnium timentium te.

O Domine dirige, me et posside me totum.

Pete ab eo donum spei firmissimae, ut in omnibus circumstantiis, tum prosperis, tum adversis fidenter dicas: In pace in idipsum dormiam et requiescam: quoniam tu,

Domine, singulariter in spe constituisti me.

Aspiratio.—Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.

PRAEPARATIO X.

O sacrum cor Jesu, cor flagrans amore objectum affectionis Angelorum, Electorum et mortalium, excita in corde meo sensa purissimae dilectionis et ferventissimi amoris: fac ut spiritus meus sacro tuo calore inflammetur; ut anima mea flamma charitatis tuae tota ignescat. O ignis consumens et lux semper lucens, illumina me, purifica me a nequitia peccatorum, et concede cordi meo novum splendorem ex gratia et amore tuo. Uni me ita tecum, ut semper tibi adhaeream, et nunquam a te separari queam. O Cor lancea apertum, int sis refugium animabus nostris, recipe me, absconde me in te; ut jam me nemo despiciat. O cor afflictum et dolore repletum ob peccata hominum, concede mihi sinceram de delictis meis contritionem. Firmissime statuo, gratia tua sustentatus, deinceps sanctam voluntatem tuam et beneplacitum tuum in omnibus exequi; refrenare perversas inclinationes meas, renuntiare commodis et satisfactionibus meis; ut tibi soli placeam et a te suscipi merear O Jesu, qui iterum ad me venis, ut animam meam inhabites, nihil mihi denegabis quod humiliter et confidenter a te peto: concede mihi gratiam et virtutem, ut possim exequi quod polliceor; ita ut omnis actio mea, omnis cogitatio mentis, omnis affectio animi sint tibi quasi tot dona acceptabilia: et quoniam pro nobis mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est; praesta mihi, dilectissime Sponse, ut singula cordis mei suspiria, singulae pulsationes ad te tendant, ut omnia agam in te et propter te; ita ut non mihi, sed tibi soli vivam. O mi Deus, veni in animam meam, olim propter peccata mea immunditiae vasculum; sed nunc, ut spero, per gratiam tuam et poenitentiae lavacrum, puram et dilectam tuam sponsam: veni et refocilla ipsam, robora et reple illam; sanctifica cor meum, quod totum tibi consecratum est: veni et satia illud suavissima Angelorum esca; ut a te nutritum et repletum, nihil de-

sideret, nihil petat, nihil diligat nisi te. Non haesito te ad intimam mecum unionem invitare, quia gratia tua innixus, ac misericordiae et auxilio tuo confidens, audeo polliceri me in posterum non amplius velle aut nolle, nisi omne quod tu vis aut non vis. Desidero ut anima mea deinceps tibi sit obediens famula, in sacro pectore tuo quiescens, et in sancta tua dilectione obdormiscens. Veni et ejice ex illa omnes affectus mundanos, omnia desideria profana: ut tu solus sis cordis mei sponsus, objectum dilectionis meae, cogitationum et affectionum mearum. O Jesu mi, usque ad ultimam sacri tui Sanguinis guttam in cruce pro me effudisti: et te non amarem! et nunc iterum pro me de coelo descendis, ac sub specie panis et vini majestatem tuam occultas, ut animam meam nutrias: et te non diligerem! Quid amabo, si non amo tam suavem Dominum? quid diligam, si non diligo Deum tam bonum, tam beneficum, imo ipsum benignitatis et misericordiae fontem? O amabilissime Jesu, da mihi amorem erga te fidelissimum, strenuissimum, castum atque purissimum, qui incessanter te sentiat, te laudet, tibi gratias agat, tibi obediat, tui honorem ardentissime sitiat, et totum se tibi impendat. O Jesu pro me crucifixe, transforma quaeso, me in te, et fac ut clavis amoris inseparabiliter sim crucifixus in te. Quando recipiam te in corde meo, fac ut placeam tibi perfectissime. O Jesu fidelissime, O amator devotissime, utinam totus, quando in animam meam intrabis, tui amore merear inebriari et totus in te absorberi.

O Maria, Virgo inter mulieres benedicta, intercede pro me apud Dominum, ut digne in conspectu ejus ad sanctum altare appaream: ut ignea charitate et flammanti desiderio hodie recipiam Jesum, benedictum ventris tui fructum. Amen.

GRATIARUM ACTIO X.

O Deus, Salvator mundi, Christe Jesu! Quomodo digne te laudabo? Quomodo gratum me exhibebo sicuti decet? Quid misera creatura tribuet Factori suo? Quo ego coram te . . . ? O Deus magne, Deus sancte, Deus altissime? Tu omnia, ego nihil . . . ! Tu magnitudo, ego vilitas . . . ! Tu sanctitas, ego miseria . . .! Tu excelsus super omnes coelos, ego vermis terrae, miser peccator . . . ! An ergo impossibile erit ut gratum me tibi praebeam? O mi Deus,

quamvis sanctissimus, quamvis maximus et altissimus, etiam optimus et misericordissimus es: etiam de throno gloriae ad minimam creaturam tuam oculos convertere dignaris: et non solum cor ejus rogas, sed illud accipis, habitaculum tuum reddis, gratia tua illud reples, praesentia recreas et virtute tua confortas! O Jesu, super mel dulcis! quis te non amet? Quis sicut Dominus, Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit? En, Domine, en cor meum totum, animam meam, intellectum, voluntatem, omnia mea: tibi consecro me totum, et desidero ut omnia tua sint, qui te totum mihi hodie dedisti. Amem te, suavissime Deus, omni quo possum fervore; diligam gloriam et honorem tuam sancto ardore et purissima intentione. Da ut totus tibi deditus, totus consecratus, totus tibi sacrificatus, reparem, per castissimam dilectionem meam, miserum illud tempus, quo cor meum, a te alienum, terrenis amoribus et vanis gaudiis occupabatur. O Jesu! reminiscere miserationum tuarum, et obliviscere iniquitatum mearum, Me tibi do totum, ex nunc et in perpetuum.

Clementissime Redemptor, quomodo potero in me servare dulcissimam illam unionem, quam modo sentio, nisi conservando me purum ab omni macula, alienum ab omni offensa; et nisi custodiam me immaculatum ab hoc seculo? Non solum mortale delictum te expellit ex corde nostro; sed etiam abusus gratiarum, et cohors illa peccatorum, quae in caecitate nostra levia vocamus, multum te affligunt et intimam unionem illam laedunt, si voluntarie patrantur, et ex malitia potius quam ex humana fragilitate oriuntur. Et ego hucusque tam parum ista curavi! tam incaute illa commisi! centies de die cogitatione, verbo et opere venialiter pecco, non solum ex debilitate et indeliberate, sed saepe cum aliquo consensu; quia non satis invigilo sensibus meis et motibus cordis: quia de minimis non satis curo: et tamen scio me debere potius animam ponere, quam unum veniale delictum deliberate admittere. O Deus, dulcissime sponse cordis mei, qui animam meam hodie tam suaviter visitasti, et in ea resides, da gratiam ut deinceps melius custodiam vias tuas, da gratiam ut semper recorder sanctissimae praesentiae tuae; et memorer novissimorum meorum, ut in aeternum non peccem. Firmissime propono, te adjuvante, nullum, neque levissimum delictum deliberate aut voluntarie, cum consensu committere. Si anima cujusvis Christiani, ad illa evitanda strictissime obligatur, quanto magis anima Sacerdotis, ministri tui, electa tua sponsa, in cujus manibus tam saepe incarnaris, in cujus corde

quotidie habitas, ad perfectionem et perseverantiam tendere debet. Tali enim modo illa se gerere deberet, ut quotidie illi, ad sacrum tuum epulum accedenti, dicere posses: veni, sponsa mea, veni: tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. O amabilis Jesu, da ut sic vivam, semper te diligam, nunquam voluntarie te offendam.

Suavissima Dei Genitrix, Maria, quam omnipotens omni corporis pulchritudine, omnique morum honestate perfudit, atque amabilem omnibus reddidit, obtine pro me, potenti tua ope, ut cor meum immaculatum custodiam, dilecto tuo Jesu et tibi semper placeam. Amen.

SUSPIRIA.

Domine, in te eripiar a tentatione.

Immaculatus sim tecum, et observem me ab iniquitate mea.

Pete ab eo donum charitatis ferventissimae, et solus Deus tibi sapiat, et omne quod Deus non est, desipiat tibi.

Aspiratio.—Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei, et posuisti me inter convivas mensae tuae?

PRAEPARATIO XI.

Misericordissime Redemptor, Jesu, quid ultra debuisti facere vineae tuae et non fecisti? quid ultra debuisti agere ut amareris a me? Pro amore meo factus es homo: exuisti dignitatem tuam, tu Dominus et magister, et induisti formam servi: descendisti de sede majestatis, de throno gloriae tuae, et factus es opprobrium hominum: deposuisti splendorem divinitatis tuae, et factus es abjectio plebis: reliquisti felicitatem ...ni tui, immortalitatem, impassibilitatem, et induisti nuditatem, miseriam vilitatem conditionis humanae: assumpsisti in te supplicia mihi destinata, dolores passionis et mortis. Quid ultra debuisti facere? Et tamen, O mi Deus, aliquid ultra excogitasti, et amor tuus immensus illud perfecit! Pati et mori pro me non fuit satis charitati tuae: non voluisti me relinquere orphanum: et ecce mecum es in Sacramento amoris omnibus diebus vitae meae: ecce cibus et potus

meus, nutrimentum animae meae factus es! dulcis amor Dei, quis loquetur potentias tuas; quis narrabit mirabilia tua?

O mi Jesu, quomodo potero me digne disponere ad recipiendum te? Apostoli tui, in exspectatione adventus Spiritus Sancti, praeparabant corda sua per jejunium et mortificationem, erantque perseverantes unanimiter in oratione: et ego, adventum tuum exspectans, tam parum me dispono; tam tępide oro! Ego qui toties mandata tua transgressus sum, tam indifferens, tam frigidus ad te venio! O Deus fons omnis boni, principium omnis casti amoris, ure renes meos et cor meum, inflamma animam meam; ut sanctae dilectionis tuae cuspide transfixa, seraphico ardore ad convivium tuum properet.

O Domine Jesu, qualis dolor poterit abluere iniquitates meas? Quid offere tibi potero in compensationem moeroris quem tibi causavi? Quomodo fieri potest, ut immensum meum debitum considerans, promptum te exhibeas ad visitandum tam vilem, tam miseram animam? Utinam nunquam offendissem te, tam bonum, tam beneficum Dominum, qui se ipsum poenitentibus offert, tamquam certum pignus indulgentiae quam ipsis impertitus est! O anima mea, quam parum curasti veram illam et aeternam felicitatem; quam injuste egisti erga Deum tuum et erga te ipsam; dum cogitationes et affectus tuos ponebas in creaturis, quae te reddebant ad tantam remunerationem et ad talem amorem ineptam. O Amator fidelissime, Consolator suavissime, quam sero te cognosco, quam sero te amo! O Jesu, qui cor contritum et humilitatem non despicis; offero tibi illud; unicum donum quod tibi dare possum. Posside illud, reple et satia illud; praesentia tua illud ab omni macula purificet, ac purum et sanctum conservet! Voluptates et gaudia hujus terrae non amplius curo: honores et suffragia non amplius desidero: dummodo placeam tibi, dives sum satis. Creaturae hujus terrae, sat vos amavi; cor meum a vobis avulsum est; raptum est a suavitate et amabilitate Jesu mei: dummodo illi acceptus sim, gaudium meum plenum est. O Domine, fortitudo mea et refugium meum es tu, et propter nomen tuum deduces me te enutries me.

Dulcissime Deus, quantas tibi debeo gratias, quia tam longanimiter et patienter mecum egisti, et sic dederis mihi occasionem revertendi ad te, et regnum amoris tui in corde meo restituendi. Si mortuus eram, quando cor meum non erat rectum coram te; ubinam forem . . .! Hoc solam beneficium tuum meretur gratitu-

dinem toto reliquo tempore vitae meae: et superaddis adhuc immensum et ineffabile donum sanctissimi Corporis et Sanguinis tui! O miserator et misericors Domine! Longanimis et multum misericors! Veni, posside et inebria me totum!

O Maria, Rosa mystica, intercede pro me, ut ad Jesum accedam, suavem odorem virtutum spirans et devoto affectu totus fragrans. Amen.

GRATIARUM ACTIO XI.

O gratiosissime Redemptor Jesu, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, qui te ipsum modo prorsus admirabili in hoc Sacramento mihi largitus es. Utinam aperiantur labia mea, et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, et enarrem universa mirabilia tua. Sit tibi aeterna laus et gratiarum actio, Deus, qui de coelo descendens, cor meum inhabitare dignaris. O mi Jesu! agnosco quod tu solus sis vera pax mea et centrum, requies et omne bonum. Quid ergo opto aut spero jam praeter te: quid metuo aut doleo extra te? tu amor meus, tu timor meus. O Domine mi, mane, obsecro, mecum, et sine ut in te quiescat anima mea, et delectetur in te. Quid enim est quod paci illi, quae in te est, comparari valeat; cum exsuperet omnem sensum, et plus quam juge convivium, sit secura et quieta mens quam inhabitas! Absit ergo, mi bone Jesu, ut aliquid me turbet extra te: ut aliquid petam, aut de aliquo doleam extra te. Nulla enim res adferre mihi ullum bonum potest, si te, omne bonum habeam. Habeant sibi quae volunt filii hujus seculi; ego, minister tuus, suavi tuo nutrimento satiatus, in te gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Et tu, dispulsa nube vanitatis, et ostensa nube voluntatis tuae, facies (ita spero et humillime rogo) ut pax et serenitas tua repleant cor meum. Numquid enim, etsi haberem omnia, sine te nihil essem et nihil haberem; sed et renuntiare omnibus deberem, si vellem tuus esse discipulus? Itaque te solum, sponsum meum, amplector, te solum quaeram, te solum diligam! Omnibus quae extra te sunt lubentissime renuntio, non solum voluptatibus et illicitis affectibus sed etiam rebus honestis et indifferentibus, si sanctissimae voluntati tuae placuerit me illis privare. Fiat mihi in omnibus secundum verbum et beneplacitum tuum.

O pulcherrime Jesu, qui nunc in corde meo resides, quam speciosus, quam suavis es! Quam beati qui diligunt te! O amabilissime Jesu, tu cordis mei thesaurus et unicum gaudium: da mihi ut medullitus exeam ac relinquam me ipsum, et aestuantissimis desideriis ad te semper aspirem. O lumen verum et indeficiens! O amor semper ardens! da mihi mundo et carni perfecte mori, et omnium rerum temporalium funditus oblivisci; ut pro illis neque gaudeam neque doleam, neque aliud, praeter te: amatorem meum, sentiam. O desiderabilissime Domine! Fac tibi cor meum secundum cor tuum, ut maneas semper mecum. Fac me tibi indissolubili vinculo amoris colligari; ut neque mors, neque vita possint nos ad momentum separare. Domine mi Jesu, illumina me praesentia tua, ut cognoscam vilitatem meam, et majestatem ac bonitatem tuam; ut inde crescat in me profundissima humilitas, et hinc accendatur perfectissima charitas.

O clementissime Jesu, cum tu aliud nil imperes, et illud unum ego desiderem, videlicet diligere te ex toto corde meo, tibique placere in omnibus et super omnia: cur hoc in me non impletur? Ego nihil boni desiderare, quanto minus agere possum, nisi quod gratia tua mihi desiderandum et agendum inspiraverit. Quod ergo inspiras, quod praecipis, quod laudas, infunde mihi; ut velim et perficiam. Noli mihi negare quod tu mandas, quod tibi acceptum et mihi desideratissimum. Imple cor meum perfectissima ardentissima atque perpetua charitate; ut quidquid sum et possum, et quaecumque intra et circa me sunt, colant, quaerant, sitiant, diligant te, serviantque et placeant tibi perpetuo et perfectissime.

O Domina mea, mediatrix mea, Maria, quae sub cruce Domini, ab ipso Jesu in Matrem mihi data es, intercede pro me apud dilectum Filium tuum, qui hodie animam meam in habitaculum suum elegit: ut tam suavem unionem negligentia mea non scindam, sed amorose conservem. Amen.

SUSPIRIA.

O Domine, anima mea tibi vivat.

Jesu, summa benignitas, tua me stringat Charitas.

Pete ab eo virtutem prudentiae et sobrietatis, et jam non sis parvulus fluctuans, et circumferaris omni vento humanae conversationis, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris. "Viriliter age," relinquite infantiam et ambulate per vias prudentium.

Aspiratio.—Non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium.

Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus! Ego autem hic in peccatis, ignavia; avaritia; pereo; surgam, et ibo ad patrem meum.

PRAEPARATIO XII.

O amabilissime Jesu, fons amoris, thesaure inaestimabilis et requies animae meae, ecce ego, indignus minister tuus, audeo ad sanctum tuum altare accedere, ut sacratissimo tuo Corpore et Sanguine tuo me reficiam. Per infinitam bonitatem tuam, oro te, mi Jesu, ut per hoc sacrum convivium tuum uberem mihi gratiam et opem contra hostium meorum, visibilium et invisibilium, conatus largiaris. Eja, anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi sponsi tui: ibi te omnibus molestiis et curis, quibus opprimeris, exonera; ibi desideria tua et cupiditates exple: ibi in optatissima pace conquiesce. Videor mihi, O Jesu, amore tuo duce, in hac sacra communione, per amabilissimum sacri lateris tui vulnus, ad cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate oro, ut ignoscas mihi quidquid umquam corde, ore et opere in te peccavi. Purifica animam meam purissimo tuo Corpore, munda cor meum sacratissimo Sanguinis tui balneo, et benedicti Cordis tui formam ac speciem imprime, tuique amoris igne accende: ne quidquam in posterum praeter te amen aut desiderem.

O vita cui omnia vivunt, vita per quam vivo, sine qua morior! vita per quam exulto, sine quae moereo! vita dulcis et amabilis, veni, satia me, reple me; ut in me deficiens, in te solo subsistam. Te quaero, ad te suspiro, prae desiderio tui langueo: veni, precor; quia sine te nihil sum et pereo. Veni; reple me, dulcissima tua praesentia, scinde cor meum tua potenti unctione: largire ut per ardorem dulcissimi amoris tui, omni tempore hostia viva coram te efficiar. Abducat, quaeso, mentem meam, ab omnibus quae sub coelo sunt ingens vis dilectionis tuae. Da ut totus ardeam charitate perfecta, quam aquae multae non possunt extinguere. Effice ut per sacram hanc refectionem penitus obliviscar rerum transeuntium, prae magnitudine amoris tui; adeo

ut propter illas neque intempestive doleam, neque inepte gaudeam; sed in te solo stabiliar et quiescam. Concede mihi ut per virtutem sanctissimi tui convivii, deficiant vitiosae cordis mei affectiones, emoriantur carnis meae concupiscentiae; ut vivas tu in me, et igniti carbones sanctorum desideriorum jugiter flagrent in medullis praecordiorum meorum. Vulnera animam meam acutissimo telo perfectae charitatis: confige me intus jaculis ferventissimi amoris: ut digne te in cor meum introducam.

Fac etiam, O bone Jesu, per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium et admirabile donum charitatis tuae semper debita fide, reverentia et gratitudine prosequar; idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam: statum hunc quoque sacerdotalem, ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, charitate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate, moribusque tibi placitis et Sacerdote fideli dignis excolere studeam: idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad majorem gloriam tuam et proximi salutem. Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem Corporis et Sanguinis tui, abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus, qui gustum ac fructum hujus Sacramenti impediunt ut me intime tibi unias et incorpores, ut gustem quam suavis sis Domine, et unus tecum efficiar spiritus: ut tu in me et ego in te maneam, adeoque nihil sit quod me unquam valeat separare a te: nam tibi adhaerere mihi bonum est, et ponere in te spem meam.

Amabilissima Mater et Virgo, Maria, dulcissimum refugium meum! tu quae sine labe originali concepta es, et semper casta, inviolata et intacta mansisti, obtine pro me a Filio tuo, ut corde puro, et ab omni affectione terrena alieno, ad Deum accedam.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XII.

En amantissime Jesu, qui sponsus animae meae esse voluisti, et cor, meum quamvis ingratum, iterum in habitationem tuam elegisti, ad pedes tuos me prosterno, ut meum in te amorem, debitamque gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, amabilissime sponse, qui usque in finem dilexisti me, imo te totum in nutrimentum meum tradidisti, et cordi tuo inscripsisti me, magno sane et

conspicuo charactere! Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita et ego te cordi meo inscriptum circumferam: et sicut mei memoria tibi, sic tui mihi nunquam excidat? O Jesu, quam profuso me charitatis affectu complexus es, qui opulentissimum thesaurum tuum mihi aperire voluisti; ut inexhausta bonorum coelestium affluentia desiderium meum expleas! Vere misericors et miserator, qui escam das timentibus te!

O benignissime et dulcissime Domine, Jesu Christe, Salvator mundi, qui te totum, pro me misero peccatore redimendo, in ara crucis Deo Patri in redemptionis pretium obtulisti, et hodie per manus meas eadem oblationem incruento modo in Sacramento amoris renovasti, te totum in animae meae edulium impendendo; ego quoque offero tibi me ipsum totum, quidquid sum, quidquid ero, cum omnibus quae habeo, et habiturus sum. Suscipe, quaeso, Domine, in manus ineffabilis misericordiae tuae, animam pariter et corpus meum, sensus, sermones et actiones meas: et per omnia ita me gubernare et dirigere dignare, ut omnes peccandi occasiones semper effugiam; ne unquam in laqueum maligni spiritus incidam; sed tibi Deo ac Redemptori meo, tuisque mandatis indesinenter adhaeream; adeo ut me a te nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors separet.

Rogo te, O amantissime Jesu, per illum amorem qui te nostrae salutis causa, e sinu summi Patris in Virginis uterum traxit, supple imperfectionem actionum mearum, quae ex parte mea exigui sunt valoris et meriti; nisi de tua plenitudine supplementum defectus acceperint. Conjunge igitur indignissimum obsequium meum, et Sacrificium sanctissimi Corporis et Sanguinis tui, quod a me indigno offeri voluisti, cum omnibus quae egisti et passus es, ex perfectissima et ineffabili charitate; et cum divitiis meritorum et satisfactionum tuarum Patri aeterno illud offerre digneris: ut de tua abundantia mea ditetur inopia, et quam ex me ipso nullatens mereor, te mediante, gratiam obtineam. Obsecro etiam te, O dulcissime Jesu, per sanctam Incarnationem, Passionem et Mortem tuam et per omnia quae nostrae salutis causa egisti, miserere meorum parentum, fratrum, sororum, amicorum, benefactorum meorum, omniumque pro quibus orare debeo; communica eis meritum pretiosissimi Sanguinis tui et Passionis tuae; ut ope gratiae tuae adjuti, sic vitam praesentem institua ut, ut tandem in coelis aeternae vitae praemia recipiant. Memento etiam defunctorum meorum N. N. quorum memoriam in Sacrificio egi.

Dona eis requiem, refrigerium et pacem; ut aliquando simul in coelis majestatem tuam in aeternum laudemus. Specialiter etiam tibi commendo, mi bone Jesu, hoc N. . . . quod ad majorem nominis tui gloriam suscepi. Tu, Domine, principium et finis omnium, rege et dirige illud; ut ad finem optatum feliciter perducatur. Verumtamen non mea sed tua amabilissima voluntas in omnibus fiat. Amen.

Respice me, O Maria, Domina mea, quoniam unitus sum Filio tuo Jesu: et cum unitus sim Filio, tuo ego quoque filius tuus sum. O Mater mea, doce me amare Deum. O Sancti Angeli et Patroni mei, amate, adorate et laudate mecum dulcissimum meum Jesum. Amen.

SUSPIRIA.

O dulcis Jesu, amem te; et nihil, nisi propter te.

Mane nobiscum, Domine, et nos illustra lumine.

Dilige eum super omnes brutas et insanas carnis voluptates, ita ut carnem tuam crucifigas, cum vitiis et concupiscentiis suis.

Pete ab eo virtutem temperantiae, ut omnes motus concupiscentiae regas et comprimas, atque in omnibus modum tenere scias.

ASPIRATIO.—Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.

PRAEPARATIO XIII.

Domine Jesu, magister bone, unice et vere amator animae meae, quid ultra debuisti facere, ut me ad amorem tui incitares? O amor immense, infinite, incomprehensibilis. Deus ipse, Salvator et Dominus meus, venit ad me! Verba mea ipsum de coelo in altare advocabunt, et intra pauca momenta in corde meo quiescet. Recedite ergo ex anima mea, amores terreni, desideria mundana, si quae adsunt; recedite procul, et date locum amori divino! Ille Jesus venit, in quo Pater sibi bene complacet: ille Jesus, Sacerdos in aeternum, Verbum Patris et gaudium Angelorum, obedit voci peccatoris! O Jesu qui non diligit manet in morte; qui te non amat anathema sit! Amo te, Deus meus, super omnia; amo te, ac multum te amare desidero; et quoniam hac mane te totum mihi dabis, aequum est ut ego etiam me ipsum totum tibi tribuam. Accipe me

igitur, suavissime Redemptor, accipe sensus meos, potentias meas, desideria et affectus; accipe me totum. Profiteor coram coelo et terra non amplius me velle vivere sine te, non amplius cogitare, loqui aut agere: nisi in te, cum te et propter te. O si cor meum totum liquesceret in amore tuo: si posset moveri tali devotionis et teneritudinis affectu, quali inflammabatur sanctissima Mater tua, Maria, quando te brachiis constringebat et uberibus nutriebat. O si possem te videre ab omnibus, praecipue a Sacerdotibus, vere honoratum et amatum, et si ego ipse fieri possem victima divinae dilectionis.

O amabilis Jesu, misericordiarum Pater, doleo ex intimis visceribus, quod in praeterita vita mea toties et tam graviter te offenderim, cogitatione, verbo et opere. Tu pro redemptione mea homo factus, fuisti traditus a discipulo; flagellis caesus et spinis coronatus; ac tandem turpissima morte condemnatus, in cruce expansis brachiis spiritum pro salute mea tradidisti; et ego alter proditor, pretiosissimum Sanguinem tuum, pro salute mea effusum, pedibus conculcavi. O misera et miserabilis creatura, rubore perfundere, eo quod tam carum amicum, tam tenerum patrem ignominiose desererueris, et ne una quidem hora cum ipso vigilare potueris! Spero, O dulcis Jesu, per lavacrum poenitentiae peccata mea abstersa esse; quod si non! ah! saltem antequam recipiam te, secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Ne projicias me a facie tua, et spiritum Sanctum tuum ne auferas me: miserere mei, Deus, miserere mei; et per amarissimam passionem et mortem tuam, recipe me, lava et purifica me; ut in Sanguine tuo dealbatus, jucundam tibi in corde meo mansionem praeparare possim.

In supplementum summae indignitatis meae offero tibi, mi Jesu, sanctitatem, fervorem et amorem quocum te receperunt et adhuc recipient tot sancti et fervidi Sacerdotes, tot animae a te electae et tibi gratissimae atque carissimae, Desidero recipere te, ut discam magis amare te et majori cum devotione tibi servire. Desidero recipere te, ut discam, gratia tua adjutus, omnes maculas ex anima mea eliminare, coram te ambulare et esse perfectus.

O sanctissima et purissima Virgo Maria, Mater mea, Mater Sacerdotum, tu ipsa digneris mihi dare Filium tuum: e manibus tuis ipsum recipiam. Fac potenti tua intercessione, ut magis ac magis ipsum diligam, et ut in dies majori cum fervore recipiam coeleste antidotum quo a peccatis praeservamur. Amen.

GRATIARUM ACTIO XIII.

O amabilis Jesu, dulcis hospes animae meae adoro te in corde meo latentem. Jam intra me es, jam meus es: possideo te, qui potes et possides omnia! O quam tenera, quam indubia grati animi signa tibi, Domine, exhibere debeo, pro tam magna tua bonitate et dulcedine! Adoro te ex integro corde, ad sacros pedes tuos me provolvo, flammanti affectu aspiro ad te, ac gratias ago ex omnibus viribus meis; quia pauperem tuam creaturam invisere dignatus es. Accipe voluntatem meam, libertatem, omnia desideria et affectus; ut omnia disponantur secundum beneplacitum tuum: accipe me totum qui te totum pro me dedisti. Tu hodie factus obediens voci meae, de coelo descendisti in manus meas, et nunc in corde meo commoraris! O miraculum amoris, O abyssus bonitatis! Adoro te ex abysso miseriarum mearum, et dico cum sancto Augustino: cum esses omnipotens, plus dare non potuisti: cum esses sapientissimus, plus dare nescivisti: cum esses ditissimus, plus dare non habuisti.

O dulcissime sponse Jesu, qui hodie visitas cor meum, ut omnes infirmitates ejus sanes, vides quam fragilis sit natura mea et quam prona ad peccandum. Tu scis quam saepe pollictis sim fidelitatem in sancto tuo servitio et quam parum verbis meis steterim. Adjuva me, Domine, et omnia potero in eo qui me confortat. Da mihi robur contra tentationes et insidias diaboli, libera me a tali et tali occasione, quas tu nosti, O scrutator cordium; et quae possunt obesse gratiae tuae: vel saltem ne permittas me succumbere tentationi. Fac ut semper ante oculos habeam, praesertim quando versor in periculo peccandi, eximiam gratiam quam mihi hoc mane tribuisti, sumendi agnum sine macula et calicem benedictionis. Eradica penitus ex anima mea omnes affectus inordinatos et pravos habitus; ut in eorum locum, adjuvante tua gratia, flores et fructus sanctarum virtutum seminare et plantare valeam. Ne quaeram amplius commoda mea, honores et voluptates hujus terrae; nam mihi mundus crucifixus esse debet et ego mundo: sed quaeram semper beneplacitum tuum, gloriam tuam et salutem animae meae. Illumina me luce divina, tu qui es via, veritas et vita: ut non diligam vanitatem, nec quaeram mendacium; sed ut quaeram

semper et diligam te, Jesum meum, ex toto corde, ex tota mente et ex omnibus viribus meis. Da mihi patientiam et resignationem in adversis; timorem et amorem tui in prosperis; humilitatem et castitatem in omnibus. Da mihi mansuetudinem erga eos qui me despiciunt et odio habent; discam a te mitis esse et humilis corde. Fac ut propter te valedicam omnibus terrenis affectibus, omnibus desideriis quae non tendunt ad te; trahe me post te ut curram in odorem unguentorum tuorum; et sancta tua dilectione sic me inflamma; ut in omnibus praebeam me ipsum exemplum bonorum operum, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de me.

O Sanctissima Mater et Virgo, Maria, spes mea, intercede pro me: fac ut amen Jesum, Filium tuum, magistrum meum: Fac ut amem te, et ut in omni necessitate ad te confugiam et a te exaudiar. Amen.

SUSPIRIA.

Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia.

O Domine, tu scis quia amo te!

Dilige eum prae omnibus mundi pompis et divitiis, ita ut quae tibi aliquando fuerunt lucra, haec detrimenta facias, et arbitreris ut stercora, ut ipsum lucrifacias.

Pete ab eo virtutem justitiae, ut, citra omnem avaritiam, reddas quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo.

Aspiratio.—Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae.

PRAEPARATIO XIV.

O charissime Redemptor, qui dixisti: Caro mea vere est cibus et Sanguis meus vere est potus; firmissima fide credo in hac sacratissima mensa, ad quam me invitas, verum tuum Corpus et verum tuum Sanguinem in nutrimentum et sustentaculum animae meae esse praeparata. Sed quis sum ego, juste Judex, ut audeam divinae tuae majestati appropinquare et convivio tuo assidere? Et quis es tu, summe Deus, qui coenam tuam tam tenere praeparas, et tam amanter me invitas. Tu es Dominus, Creator omni-

um, fons omnis puritatis et perfectionis: et ego sum vermis terrae, filius putredinis et peccati. Ad nutum tuum columnae coeli contremiscunt, et in Angelis tuis reperisti pravitatem: et ego, qui sum limus et cineres, miseriis et peccatis onustus, ego recipiam te in ore meo, ego introducam te in sinum meum, et uniam te cordi meo! Ego, qui propter peccata mea mereor separari a te et detrudi in infernum, ego manducabo panem coelestem et bibam vinum germinans virgines! Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: exi a me, quia homo peccator sum! . . . Sed memini te dixisse: non veni vocare justos sed peccatores; non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus: et rursum: nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Verba ista, ex sacrosancto tuo ore prolata, animum mihi addunt, ut humilis et confusus, sed bonitati et infinito amori tuo confidens, ad altare tuum accedam. Veni ergo, Pastor bone, qui venisti salvum facere quod parierat; veni in animam meam quae multum te desiderat. Veni, coelestis medice, ad pauperem aegrotum: veni, pie Samaritane, ad humilem vulneratum, et infunde oleum misericordiae in vulneribus meis. Veni ad quatriduanum Lazarum, qui peccatis suis foetet, et resuscita eum ex monumento iniquitatum et miseriarum. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Illumina me, Domine, lux vera, et adauge fidem meam. Noverim me, noverim te. Da ut cognoscam quantus es, qui modo te mihi vis donare; et quis sum ego, qui vado ad te recipiendum. Ah! antequam ascendam ad altare, ut actum omnium sanctissimum exerceam, lava animam meam, mi Jesu, meritis pretiosissimi Sanguinis tui, in ara crucis pro me effusi. Ignosce mihi antequam venias in manus meas et in cor meum. Offendi te, displicui tibi, O summum bonum; sed desuper doleo ex toto corde et ex tota anima mea. Domine, ante te omne desiderium meum; et gemitus meus a te non est absconditus. Veni, O ignis semper ardens et nunquam deficiens: veni, et consume in corde meo quidquid suavi tua praesentia indignum est; quidquid obstare potest gratiae et amori tuo. Da mihi puram illam et ferventem dispositionem quam sancti tui Sacerdotes habuerunt. Da mihi scintillam illius ignis, qui Xaverios et Salesios consumebat, quando tibi sacrificabant. Fac ut obliviscar omnium quae non conducunt ad sanctam dilectionem tuam et observantiam mandatorum tuorum.

O Maria, quae ab omni culpa praeservata fuisti, ora Jesum pro me; et offer illi puritatem tuam, in supplementum indignitatis meae; merita tua, in supplementum inopiae meae.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XIV.

Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo. Benedic, anima mea, Domino: et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus. O anima mea, facta es templum Dei, tabernaculum Corporis et Sanguinis Domini! . . . Magnifica eum, quia fecit tibi magna qui potens est. Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi? Quid aliud, nisi totum me ipsum. Accipe, suavissime Jesu, corpus meum, quod sanctissima tua praesentia sanctificasti: accipe cor meum, ut tibi soli vivat, te amet, te timeat et peccatum fugiat: mentem meam, ut meditetur in justificationibus tuis; memoriam meam, ut continuo recogitet misericordias tuas: accipe totum me; ut vivam in sanctitate et justitia coram te, omnibus diebus vitae meae: ut amem te super omnia, et serviam tibi cum omni fervore.

Amo te, O pelagus amoris, et quia amo te, propono semper ante oculos habere et in corde meo servare sanctam legem tuam et divina tua praecepta. Amo te, O fons misericordiae; et qui amo te, doleo vehementissime de tot peccatis et offensionibus meis, et firmiter statuo invigilare menti meae et omnibus sensibus; ne amplius delinquam contra te. Sis tu, O Jesu, clypeus et armatura cordi meo. Si Deus pro nobis, quis contra nos erit? Si Dominus defensor vitae meae, a quo trepidabo? Veniat adversa, pericula, tribulationes; veniant persecutio et gladius! Quis me separabit a charitate Dei, quae est in Christo Jesu? Quoniam tu mecum es, non timebo mala, si ea patior pro te: non timeo mortem, si eam subeo in te: mihi vivere Christus est et mori lucrum; si vivens aut moriens, possum dare gloriam Deo, et in sancta tua dilectione perseverare in aeternum.

O Salvator mundi, quando visibilis inter homines conversatus es, pertransiisti benefaciendo: turba plurima quaerebat te tangere, quia virtus de te exibat et sanabat omnes. Quid itaque non sperem, ego, qui te non solum tetigi; sed Corpus et San-

guinem tuum in animam meam introduxi. Non enim abbreviata est manus tua; sed idem Dominus es potens in opere: non ergo dimittam te, nisi benedixeris mihi. Vides O liberalissime Deus, omnes necessitates meas; succurre mihi et sustenta me. O Caro sancta, quae carnem meam tangis, purifica, sanctifica et consecra peccatricem carnem meam; refrena desideria ejus, ut non insolescat adversus spiritum. O pretiose Sanguis, lava me, munda me, absterge omnes maculas meas. O sacratissimum Cor Jesu, fons amoris purissimi, inflamma cor meum amore tuo: communica ipsi divinos tuos ardores, extingue in eo concupiscentiam; ut sit cor purum, cor tibi placens, cor veri Sacerdotis. Fac ut amem te, ut adorem te in spiritu et veritate; donec possim te in aeternum adorare in coelo.

O Maria, Mater Jesu, fac ut ardeat cor meum in amando Christum Deum. O Angeli et Sancti Dei omnes, intercedite pro me, ut magis ac magis diligam vestrum ac meum Jesum. Amen.

SUSPIRIA.

Diligam te, Domine fortitudo mea!

Deduc me in semitam mandatorum tuorum.

Dilige eum prae omnibus honoribus et dignitatibus, ita ut gloria tua in hac vita non sit alia quam amore ipsius latere, et abjectum esse.

Pete ab eo virtutem fortitudinis, ut non contemplans ea quae videntur, sed quae non videntur, terrena omnia tanquam vilia contemnas, difficilia, et ardua superes, et semper in magna et excelsa tendas.

ASPIRATIO. — Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam.

PRAEPARATIO XV.

Ecce, anima mea, ecce Deus ille, cujus deliciae esse cum filiis hominum, venit ad visitandum te, et sanctificandum cor tuum. Ecce Jesus ille, qui infirmos curabat, famelicos satiabat et mortuos suscitabat, ipse venit ad te, non ut tangas fimbriam vestimenti ejus, sed ut manduces sacrosanctum ejus Corpus, et pretiosum Sanguinem bibas.

O Jesu, Sponse sanguinum, quanta fecisti, et quam multa passus es, ut unires te mihi in hoc sanctissimo Sacramento! Cum esses Deus, factus es homo: cum esses immensus et omnipotens, factus es infans: cum esses Dominus omnium, formam servi accepisti; et e sinu Patris in uterum Virginis descendisti: de coelo in stabulum: de throno gloriae in crucem: et nunc iterum velabis gloriam tuam, et abscondes divinitatem et humanitatem tuam sub speciebus panis et vini, ut apud me maneas, et in pauperculam animam meam intres. Vere tu es dilectus saliens in montibus, transiliens colles. Desidero desideras hoc pascha manducare mecum: jubes ut hoc sacrificium tibi offeram in memoriam tui: et ut, manducando Panem hunc et Calicem bibendo, mortem tuam annuntiem, donec venias. Jam non dicis me servum, sed amicum tuum: majorem etiam nemo charitatem habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis; et tu, Dominus et magister, animam tuam posuisti pro me! O si non esset tam aeneum tam saxeum cor meum, certe liquesceret et in lacrymas erumperet, recogitando haec tanta tua beneficia.

Credo, Domine, sed adjuva incredulitatem meam. Credo te in sanctissimo Sacramento esse praesentem: credo sub sacris speciebus esse Corpus, Sanguinem, animam et divinitatem tuam: credo ibi adesse Creatorem. Redemptorem meum, summum et unicum bonum: credo te hoc vivificum Sacramentum instituisse in nutrimentum animae nostrae, ut vitam habeamus et abundantius habeamus: et ideo anima mea desiderat ad te, Deus meus, quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum. Credo eos qui te indigne suscipiunt, judicium sibi manducare et bibere: et ideo cum timore et tremore ad sancta sanctorum accedo.

Confitebor injustitiam meam Domino, et cogitabo pro peccato meo: nam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me. Doleo, pie Jesu, ex toto corde meo, de tot peccatis quae contra te commisi. Ego qui sanctus esse debueram, quia tu sanctus es, contaminavi vestem meam nuptialem culpabili mea negligentia. Ego qui perfectus esse debueram, sicut Pater meus coelestis perfectus est, dereliqui te, venam aquarum viventium, et fodi mihi cisternas dissipatas. Ego Sacerdos, qui debueram induere justitiam; ego homo pacis tuae, in quo sperasti, qui edebam panes tuos, magnificavi super te supplantationem. Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit, Parce mihi, Jesu, et ne des haereditatem tuam in opprobrium. Doleo quod

unquam te offenderim: spero in misericordias tuas quarum non est numerus; et quia hucusque te non amavi, vel non satis amavi; nunc saltem incipiam amare te, sicut Sacerdotem tuum decet. Frigus et teporem ex anima mea projiciam; ut loco eorum fervor dilectionis et ardor charitatis quotidie accrescant. Dirumpam vincula quae me creaturis astringunt, ut tibi soli consecrem affectum cordis mei. Accipe cor illud, dulcis Jesu, et virtutibus sanctis exorna; ut dignum fiat habitaculum cordi tuo.

Maria castissima, ora Jesum pro me; sancti Angeli et electi Patroni mei, intercedite pro me, ut digne et devote recipiam praecelsum et venerabile Sacramentum. Amen.

GRATIARUM ACTIO XV.

O Verbum aeternum Patris, Salvator mundi, qui in tempore in utero Virginis pro salute nostra incarnatus es; et nunc iterum eamdem Carnem in cibum animae meae in sacra Communione dedisti: accipe pro tam ineffabili beneficio quascumque exiles gratiarum actiones debile cor meum supremae majestati tuae reddere potest. O Caro Dei et Salvatoris mei, Jesu Christi, Caro virginea, fons gratiae et puritatis, sustenta et conforta fragilem meam carnem: sana omnes languores et infirmitates ejus: emunda eam ab omnibus maculis; ut dignum sit habitaculum Carni tuae. O Caro tenerrima, quae amore mei crudeliter lacerata fuisti in flagellatione, corrobora meam carnem; ut amore tui; et in expiationem innumerabilium mearum ingratitudinum, poenitentiam et mortificationem cum gaudio sustineam. Caro, nunc gloriosa in coelo, fac ut semper adeo devote, adeo ferventer te recipiam in hac vita; ut videam te facie ad faciem in aeterna beatudine.

O pretiose Sanguis Redemptoris mei, pretiosior cunctis divitiis mundi, inunda animam meam coelesti rore benedictionis tuae. O Sanguis, in ara crucis pro me effuse, O pretium redemptionis totius generis humani, fac ut sentiat cor meum efficaciam praesentiae tuae. O Jesu, qui languores nostros ipse tulisti et dolores portasti, qui vulneratus es propter iniquitates meas, tu me admisisti hodie ut sugerem vitam ex sacris Vulneribus tuis; coforta me contra omnes insidias mundi et vanitatis: inebria me sanc-

tis voluptatibus, ut in Sanguine Agni dealbatus, non redeam ad escas Ægypti; sed livore tuo sanatus, nihil quaeram extra te, nihil diligam nisi pro te: O Sanguis in agonia pro me decurrens in terram: et in cruce e latere Salvatoris profluens, purifica, emunda animam meam; ut deinceps experiar veritatem hujus oraculi: Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundamit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.

Perfice, O Sponse sanguinum, Jesu, perfice opus quod hodie coepisti, me magis magisque in sancta tua dilectione confortando et stabiliendo. Pone ori meo custodiam et ostium circumstantiae labiis meis, ne unquam per me occasio detur detractioni, calumniae aut licentiae verborum. Faciam pactum cum oculis meis, contra periculosum curiositatem: ne videant vana vel in honesta: sed potius lacrymas fundant propter peccata contra supremam tuam majestatem commissa. Sanctifica cor meum, Carnis et Sanguinis tui tabernaculum; ut nullum praeter te amatorem admittat. Intra vulnera tua absconde me; ne permittas me separari a te; sed da mihi gratiam semper recordandi beneficia tua, semper exequendi voluntatem tuam, imitandi exempla tua, vivendi pro te, moriendi in te, et aeternaliter tecum regnandi.

O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Maria, janua regni coelorum, quae sub cruce Domini in Matrem mihi data es: O Joannes, beatissime Christi familiaris et amice, qui ab eodem Domino nostro Virgo es electus, et inter caeteros magis dilectus, atque in mysteriis coelestibus ultra omnes imbutus: O duae gemmae, Maria et Joannes, in quibus Jesus, ob sincerissimae virginitatis meritum, dilectionis suae confirmavit privilegium, estote pro me firmi custodes et pii apud Deum intercessores: agite vestris precibus, ut cor meum inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus; qui me a cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret, et in dilectione Dei perfecte stare et perseverare me faciat. Amen.

SUSPIRIA.

Corpus Christi, salva me!
Sanguis Christi, inebria me!

O ardens Cor Jesu, inflamma cor meum.

Pete ab eo cordis munditiem, ut purificato mentis

oculo, ad ejus pulchritudinem contemplandam eveharis.

ASPIRATIO.—Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam praeclarus est!

PRAEPARATIO XVI.

O dilectissime Redemptor, Domine Jesu Christe, quam suavis est munificentia tua! quam inenarrabilis dulcedo bonitatis tuae! ut non solum invites me ad sacrum convivium tuum, sed etiam urgeas, dicens: nisi manducaveritis Carnem filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Accedam ergo cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam inveniam, et ut, sacro hoc sacrificio, debitum majestati tuae honorem exhibeam. Suscipe igitur hostiam incruentam de manibus meis, in recognitionem supremi tui dominii in omnes creaturas, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi et omnibus hominibus praestitis, et in satisfactionem pro peccatis meis et totius mundi. Suscipe illam pro necessitatibus sanctae Ecclesiae, sponsae tuae; et in refrigerium et pacem animarum quae in purgatorio auxilium et solatium a te exspectant.

O Fili Patris aeterni, Salvator mundi, quam magna multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te! Quam ineffabilis misericordia tua, ut digneris abscondere majestatem tuam sub specie panis et vini! O quam verum est, mi Jesu, quod cum dilexisses tuos in finem dilexisti eos. O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reples bonis! Non habet amaritudinem conversatio tua, nec taedium convictus tuus: et ideo volo diligere te, Deus, fortitudo mea, et desidero placere tibi: sed quomodo hoc potero, nisi tu in adjutorium meum intendas. Proni enim sunt sensus hominis ad malum: et nisi tu custodieris civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Si recogito annos meos in amaritudine animae meae, tunc video quanto tempore fui ingratus praevaricator, qui immemor beneficiorum tuorum, ivi in regionem longinquam, post pravas passiones et concupiscentias meas. Sed nunc,

O Deus, expertus sum quam dilecta sunt tabernacula tua: et ideo concupiscit et deficit anima mea in atria Domini: elegi abjectus esse in domo tua, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

O bone Jesu, aperi cor meum, ipsique horrorem peccati et odium contra iniquitatem magis ac magis infunde. Vide infirmitatem meam et proclivitatem ad malum, et dirige me in semitam rectam: fac ut tota mea felicitas consistat in amando te, in visitando te frequenter et in recipiendo te ferventer in sacra Communione. Veni, sponse Jesu, et reple cor meum suavissimo dilectionis tuae sapore: satia illud, inebria illud sacra tua dulcedine, ut obliviscatur omnium propter te: non amplius gaudeat nec requiescat nisi in te: descendat de sycomoro vanitatis et terrenae dilectionis, quia hodie in domo mea oportet te manere. Suscipiat te cum fervore, diligat te, conservet gratiam tuam, et omni suo conatu honorem et gloriam tuam promoveat.

O Domina mea, Sancta Maria, Virgo pietate plenissima, in eo sum ut recipiam Jesum, benedictum Filium tuum: intercede pro me; ut digne ac devote ipsius sanctissima Mysteria sumam, et ut cor meum repleatur ea fide et charitate, quam vidisti in pastoribus et Magis, Jesum tuum adorantibus. Amen.

GRATIARUM ACTIO XVI.

O memoriale divini amoris, Sacerdos et Victima, cibus et conviva, quomodo ego debilis creatura, dignas tibi potero gratiarum actiones rependere, pro infinito beneficio quod hodie ab immensa tua liberalitate accepi? Tu Dominus magnus et omnipotens, quem coeli capere non possunt, includeris, in pectore meo, ut nutrias me tua substantia, et animam meam sanctifices. Quid aliud possum, nisi profundissime me humiliare, et tibi offerre adorationes Angelorum et Sanctorum; et cum ipsis confiteri, quod tu sis solus sanctus, solus Dominus, quod tibi soli debeatur omnis honor, gloria, benedictio et gratiarum actio in secula.

O quam multum tibi debeo pro hac sacra tua visitatione! Unicum cor non sufficit ad laudandum te, nec unica lingua ad exaltandum bonitatem tuam. Laudet te pro me sanctissima Mater tua, quae semper tibi placuit: laudent te Angeli, qui incessabili voce te sanctum proclamant: laudent te pro me tot animae beatae, quae in vita te rece-

perunt: tot sancti Sacerdotes, qui nunc gaudent in coelo, et qui toties cum fervore hic in terris immolaverunt et manducaverunt Agnum sine macula, quem ego hodie immolavi et manducavi. Ne permittas, charissime Jesu, ut anima quae hodie facta est templum tuum vivens, rursum occupetur a tuis et meis inimicis. Praeveni omnia quae horrendo huic malo causam praebere possent. Mane mecum, Domino, quando advesperascet. Scio domum tuam decere sanctitudinem: scio habitationem cordis mei non esse satis puram; sed praesentia tua sanctificabit et nobilitabit ipsam. Per delicias tuas, quae sunt esse cum filiis hominum; per desiderium tuum sanctificandi corda; per honorem et gloriam, quae per hoc sacrificium a te Patri et Spiritui sancto redduntur, exaudi preces meas. Contaminavi stolam meam, succumbendo tentationibus inimicorum meorum; sed nunc, quoniam tu mecum es, in velamento alarum tuarum exultabo, et inimici mei in vanum quaerent animam meam. Non amplius volo obedire desideriis carnis; sed subjiciam eam spiritui, per continuam mortificationem inclinationum mearum. Abrenuntio omnibus quae me abducant a te, quia omnes qui elongant se a te peribunt; sed sequar quaecumque tendunt ad te, quia tu es fons omnis benedictionis temporalis et aeternae.

Confusio operit faciem meam, dum considero summam tuam excellentiam et profundam indignitatem meam. Recipe te in corde meo, qui pro Incarnatione tua elegisti purissimum corpus castissimae Virginis; qui ad coenandum cum Apostolis, coenaculum grande stratum parare jussisti; qui elegisti sacro tuo Corpori condiendo, sindonem novam et sepulchrum in quo nondum quisquam positus fuerat. Et nunc, O Jesu, resides in anima quae pauperior est stabulo in quo natus es; vilior ignominiosa cruce in qua pependisti. O si innocens et purum adhuc foret cor meum! Doleo de tot peccatis, quae contaminarunt animam tantopere a te dilectam: sed ubi tu es, paupertas mutatur in abundantiam, miseria in gaudium. Lava ergo quod est sordidum, riga quod est aridum, et sana quod est saucium.

Virgo virginum, Maria, quae Jesum dolens quaesivisti, et post triduum gaudens invenisti, fac ut ego, qui etiam inveni quem diligit anima mea, eum teneam, nec dimittam. Amen.

SUSPIRIA.

Audiam quid loquatur in me, Dominus, Deus.

O Jesu, pone te ut signaculum super cor meum.

Dilige eum amore constanti, sicut ipsum amarunt sancti Confessores, ita ut, tanquam homo factus, in sapientia tua maneas sicut sol, non vero tanquam stultus sicut luna muteris.

Pete ab eo veram spiritus paupertatem, ut abrenuntiatis omnibus, expeditior curras viam perfectionis, quae recta ducit ad regnum coelorum.

Aspiratio.—Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem.

PRAEPARATIO XVII.

O Domine, qui dixisti: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: ecce ego benignitati et bonitati tuae confidens, oneratus et laborans venio ad te. Scio miseriam meam maximam esse; sed scio etiam infinitam esse misericordiam tuam. In ipsa sperabo et non confundar, et in Domino sperans, non infirmabor. Spera igitur, anima mea, spera in Deo, quoniam ipse vocat te: spera in Deo, quoniam miserationes ejus super omnia opera ejus. Ipse quidem est Creator, Magister, Rex et Judex tuus: sed est etiam Pater, Salvator, amicus, medicus et sponsus tuus. Ipse est amabilis ille Jesus, qui cum publicanis et peccatoribus manducavit: qui mulieri peccatrici peccata multa dimisit, quoniam dilexit multum: qui Judam proditorem, osculo Filium hominis tradentem, non repulit, sed blande suscepit, et amici nomine salutavit. O Jesu! quam verum est quod de te ipso dixisti: quia mitis es et humilis corde. Miserere mei, Domine, et respice me, qui peccatricem respexisti: suscipe me, qui proditorem tam benigne suscepisti. Peccavi coram te, injuste egi; sed quo ibo nisi ad te: tu enim verba vitae aeternae habes: quo ibo nisi ad te, qui longanimis es et multum misericsor. Veniam igitur cum fiducia ad te: introibo ad altare Dei, ad Deum qui me laetificat: festinans cum Zachaeo descendam, et excipiam te gaudens; et hodie salus erit domui meae.

Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. O bonitas immensa, dulcedo ineffabilis! Verbum Patris, Filius Dei, in quo sibi Pater bene complacuit, desiderat

venire in cor miserabilis creaturae et indigni peccatoris! Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se. Sic effatur regius tuus Propheta, O Deus; futuro intuitu praevidens immensam tuam charitatem in institutione hujus sanctissimi sacrificii. Et reipsa, hoc sacrum convivium est quasi compendium beneficiorum tuorum. Sed quis sum ego, Domine, cui dicis: hoc fac in meam commemorationem? O si possem sentire de Domino in bonitate, et habere dispositionem dignam tam immenso beneficio. O Jesu! antequam accedam ad sanctum altare tuum, ut in memoriam tui, incruentum Sacrificium offeram; antequam me nutrias Corpore et Sanguine tuo pretioso, nutri me sancto spiritu: da mihi spiritum bonum, spiritum puritatis et timoris. Ne relinquas me orphanum; sed veni ad me, et pacem tuam da mihi. In te solo requiescere potest cor meum; in te solo est verum gaudium. Renovabis hodie coenam tuam mecum; sicut fecisti pridie quam patereris; renovabis incruento modo sacrificium crucis super altare. Da mihi gratiam percipiendi fructus hujus salutaris hostiae. Da mihi spirituale auxilium tuum, ut reparetur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redeat pulchritudo. Cum elevatus fueris a terra, omnia trahes ad te ipsum. Trahe me ad te, dulcis Jesu, et transforma me in te. Tu enim nosti servum tuum, tu scis quia nihil boni in se habet. Ego magis quam caeteri indigeo auxilio tuo et gratia tua; ego indignus minister tuus, quem nullis meis meritis ad tam sublime ministerium assumpsisti. Refice me igitur, Domine, suavissimo cibo Angelorum, conforta me Sanguine Agni immaculati; ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei.

O dulcissima Maria! quae Angelo Incarnationem Domini nuntianti respondisti: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: ora pro me, ut ego etiam dicere possim Domino me visitanti: ecce minister utilis et dispensator fidelis.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XVII.

O anima mea, convoca omnes affectus tuos: recumbe cum dilecto discipulo super pectus Domini tui. Ubi thesaurus tuus est, ibi sit cor tuum. . . . Dominus meus et Deus meus! plena est terra gloria tua; sed est etiam

plena misericordia tua: et benedictus Deus, qui non amovit misericordiam suam a me! Quis melius quam ego experitur istam tuam bonitatem et mansuetudinem? Tu hodie de novo venisti in animam meam, ut eam benedictionibus tuis repleas: tu hodie de novo permisisti mihi offere sanctissimum Sacrificium, in quo ipse es propitiatio pro peccatis totius mundi. Pro infinita hac tua benignitate laudent to coeli et terra: laudent te Angeli et beatissimi Spiritus in supplementum exiguae laudationis meae. Vere non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Benedictus, Domine, Deus Israel, qui hodi visitasti pauperem ministrum tuum. Panis quem mihi dedisti, Caro tua est pro mundi vita. O quam magnum, quam inenarrabile bonum! Panis ille dat vitam mundo: sed est Panis de coelo descendens: dabit ergo mihi vitam coelestem. Panis ille pretiosa Caro est Salvatoris mei: dabit ergo vitam divinam. Destrue itaque in me, chare Jesu, vitam meam carnalem: destrue veterem hominem, cum vitiis et concupiscentiis, indue me novum, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis. Dedisti mihi Panem Angelorum; da etiam ut vivam vitam angelicam. Dedi mihi Carnem tuam et Sanguinem tuum: da mihi etiam Spiritum tuum, ut vivam spiritu, et sim verus homo spiritualis. Spiritus ille bonus deducat me in terram rectam, disponat omnes motus cordis et corporis mei, ut vivam vita tua: quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.

Qui manducat Carnem tuam et bibit tuum Sanguinem, in te manet, Domine, et tu in illo. O quam suavis et dulcis est vita quam nobis tribuis in sumptione sacratissimae Eucharistiae! Vita tota amoris et charitatis! Amare te Dominum Jesum, et amaria a te! Manere in te, et esse habitatio tua! Quid amoenius, quid dulcius excogitari potest...? Qui manducat hunc panem vivet in aeternum! O Jesu, animae meae sponse, fac ut in aeternum vivam in te. O Cor Jesu, Cor flagrans amore mei, dulce habitaculum meum, maneam in te, vivam in te: ne unquam derelinquas me. Protege me sub tegmine alarum tuarum, ne amplius culpa mea perdam te. In auxilium meum respice, ut fortiter resistam inimicis meis; nam vivunt adhuc et confirmati sunt. Illumina me luce tua divina, ut detegam insidias eorum. Consecro tibi cor meum, quod inhabitare dignatus es: facut nulla creatura occupet locum qui tibi debetur ex justitia, et quem tibi consecro ex amore et gratitudine.

O Maria, quae cum Filio tuo in Aegyptum fugisti, a facie crudelis tyranni, ora Deum pro me; ut ego etiam fugiam, quasi a facie colubri, quando peccata volunt auferre a me dilectum meum Jesum, sponsum animae meae, pretiosissimum thesaurum, super omnia desiderabilia amandum. Amen.

SUSPIRIA.

O salutaris hostia, da robur, fer auxilium!

Sub tuum praesidium, O Maria, confugio.

Dilige eum amore sollicito, sicut ipsum amarunt sancti Pontifices; ita ut in ministerio tanti Pontificis omnem vel minimam maculam devites.

Pete ab eo viscera misericordiae, ut aeternam misericordiam ab ipso consequaris, qui tentatus per omnia, scit compati infirmitatibus nostris.

ASPIRATIO.—Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. Venisti ut consecres in templum Divinitatis pectus meum, et in altare cor meum.

PRAEPARATIO XVIII.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Omnia in sapientia fecisti: de nihilo creasti me, ad lumen verae fidei adduxisti, pretio livoris tui animam meam redemisti, et praeter omnia haec gratuita tua beneficia, adhuc vis me reficere sacro Corpore et pretioso Sanguine tuo. Factus es socius meus per nativitatem, exemplum meum per vitam tuam, dux meus per doctrinam, redemptio mea per mortem tuam, praemium meum in gloria tua: et vis etium fieri nutrimentum meum in sacra Eucharistia. Nonne tu es Deus, gubernator totius universi? Quomodo ergo dignaris relinquere thronum gloriae tuae, et latere sub speciebus panis et vini? Nonne tu es ille qui venturus est in nubibus coeli cum potestate magna et majestate? Quare ergo hic es Deus absconditus? Quare? Quia diligis me! Quia vis te conformare fragili naturae meae!

O Deus, quando considero quis tu es et quis ego sum; confundor coram te, et oculos ad te levare non audeo. Tu es magnus Dominus et laudabilis nimis, omnis perfectionis fons et origo; qui ponis nubes ascensum tuum! Et ego sum

vermis terrae, merum nihil, et quod pejus est, peccator et ingratus praevaricator! Quae ergo connectio inter te et me? Quae conventio Christi ad Belial, lucis ad tenebras? Sed habemus advocatum apud Patrem, Jesum Christum justum, qui etiam interpellat pro nobis. De profundis igitur miseriarum mearum clamo ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam: delictum meum cognitum tibi facio, et injustitiam meam non abscondo. Confiteor cum centurione summam indignitatem meam; quia non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed oro etiam cum ipso, ut tantum dicas verbo, ut anima mea sanetur. Venio ad te, ut suppleam indigentiam meam per merita tua; ut renovem fervorem meum, hauriendo aquas ex fontibus Salvatoris; ut sanctificem cor meum per praesentiam sanctissimi cordis tui; et ut in omni sinceritate dicere possim cum Apostolo: vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.

Veni ergo in animam indigni Sacerdotis tui. O Panis supersubstantialis, multo pretiosior quam manna, quo populum tuum in deserto nutrivisti. Veni, Panis pinguis, ut per te saginatus, dignum fiam holocaustum aeterno Patri: veni, ut per te confortatus, in gratia et sanctitate proficiam. Veni, Sanguis Redemptoris mei, multo melius clamans quam sanguis Abel; veni, et emunda conscientiam meam ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi; ut nihil in me tibi displiceat: sed omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam voluntatem.

O Jesu, qui lavisti pedes Apostolorum tuorum, antequam, eos ad coenam tuam admisisti; lava etiam animam meam ab omni macula: absterge ab illa quidquid gratiam Sacramenti tui impedire vel minuere posset. Fac ut recipiam te cum hac pura conscientia, cum hac sancta intentione, cum hoc ardenti amore, quocum receperunt te in terra tot Sancti, qui nunc tecum regnant in gloria aeterna. O si possem recipere te cum illa humilitate, cum illa fide, cum illa sancta dispositione, quacum sanctissima Mater tua, in Incarnatione te recepit. In supplementum paupertatis meae, offero tibi, in unione cum tuis meritis, merita incomparabilis illius Virginis, et omnium animarum quae te hodie digne recipient. Veni, amabilissime Salvator, et erige in corde meo thronum tuum, ut deinceps in ipso habites et regnes.

Maria, mater pulchrae dilectionis, ora pro me, ut diligam Jesum, et devote accipiam pharmacum immortalitatis.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XVIII.

Lauda, anima mea, Dominum, exulta et jubila Deo tuo. Adora magistrum tuum, amicum tuum, qui est in te. Benedic Dominum tuum qui visitavit te, et exaltavit indignitatem tuam usque ad unionem cum Creatore tuo. O Jesu, quomodo potero tibi satisfacere pro tam gratuita tua bonitate. Ut enim reddere possem quod debeo, oport eret ut cognoscerem valorem immensi, infiniti boni, quod a te recepi; deberem illud posse sentire, et satis potens esse, ut valeam adaequare gratiarum actionem beneficio. Sed quomodo meus mea, quae tenebris offuscata est, cognoscere posset immensitatem doni tui? Quomodo cor meum, quod est frigus et glacies, posset sentire excellentiam Sacramenti, quae est supra omnem sensum? Quomodo ego, inops creatura, cujus insipientiam cognoscis, quomodo possem reddere quod debeo pro infinito thesauro, quem gratis mihi tribuisti.

O bone Salvator, tu es lux vera: illumina intellectum meum; ut intelligam quam magna sit gratia sacrificium novae legis tibi posse offerre. Tu qui ignem venisti mittere in terram; inflamma cor meum, ut amet te sicut debes amari: et cum a me ipso nihil possim, aut nihil dignum habeam, offero tibi sacrum tuum Corpus et Sanguinem, quibus me hodie nutrire dignatus es: offero tibi omnes labores et sudores tuos, omnes dolores et ignominias, pro salute mea a te perpessas. Tu dignare haec omnia offerre pro me, ut fiat sacrificium meum acceptabile apud Deum Patrem omnipotentem.

Perfice in me, charissime sponse Jesu, signa misericordiae tuae, quae mihi hodie, descendendo de sede gloriae tuae, tam liberaliter tribuisti. Quid amplius potuisti mihi dare, qui dedisti te ipsum totum? Sanctifica animam meam, quam hodie in habitaculum tuum elegisti. O coelestis medice, qui neminem in te sperantem repellis, sana omnes languores et morbos cordis mei. In vita tua mortali, quando inter homines versabaris, dedisti visum caecis, gressum claudis, sanitatem leprosis, vitam mortuis et sanctificationem peccatoribus. Ecce, Domine, ad sacros pedes tuos caecum qui saepe noluit videre ut bene ageret; illumina eum luce divina: en claudum; consolida bases ejus; ut ambulet in via mandatorum tuorum: ecce leprosum ulceribus pec-

catorum plenum; sana eum: resuscita mortuum gratiae, ut vivat tibi: sanctifica, purifica peccatorem; quoniam conturbata sunt ossa mea. Exaudi me, Jesu; tu qui respicis orationem humilium, et non spernis precem eorum.

O Maria, Virgo sanctissima, quae conservabas in corde tuo omnia verba Jesu, ora pro me, famulo tuo; ut ego etiam audiam et conservem sanctas ejus inspirationes, et pro tantis ejus beneficiis me gratum exhibeam. Sancti Patroni mei, intercedite pro me, ut conservem gratiam acceptam a Jesu, et me nova ejus visitatione dignum efficiam. Amen.

SUSPIRIA.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere.

Dilige eum amore forti, sicut ipsum amarunt sancti Martyres, ita ut audeas dicere: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an gladius?

Pete ab eo luctum salutarem, ut abundantibus passionibus Christi in te, per Christum abundet consolatio tua.

Aspiratio.—Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.

PRAEPARATIO XIX.

O Agne immaculate! qui oblatus es quia ipse voluisti; qui coram tondente te, obmutescens, in cruce pro nobis moriens, omnia consummasti; memento me esse unam ex animabus illis quas redemisti pretio innumerabilium dolorum, et ultima gutta Sanguinis tui. Pro tam immensa tua charitate, et in gratiarum actionem pro infinita bonitate tua, desidero hoc mane, omni qua par est devotione, sanctissimum Missae sacrificium divinae tuae majestati offerre. Quid miseri nos pro omnibus et gratuitis beneficiis tuis tibi redderemus; nisi ipse nobis dedisses unde te honoraremus? Infinita sunt erga nos beneficia Dei: creationis, con-

servationis, redemptionis: sed infinita etiam sunt merita salutaris victimae quae ipsi offertur. Quid ergo tibi retribuam, Domine, pro omnibus quae retribuisti mihi? Non aliud quam te ipsum! Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Tu, Deus, elegisti me ut eam et fructum afferam, et ideo segregasti me in opus ministerii, ad quod assumpsisti me: sed quem fructum hucusque attuli? Quam rationem nunc possem reddere villicationis meae? Cor meum non fuit rectum coram te, et in multis te offendit. Filium nutrivisti et exaltasti; ipse autem sprevit te. Dedisti mihi corpus, animam et spiritum, ut servirem tibi, cognoscerem et amarem te; et oblitus sum Dei, Creatoris mei. Per baptisma factus sum filius tuus, sed brevi optimum patrem dereliqui. Creasti me pro te, et redemisti me per mortem crucis: duplici igitur titulo me totum tibi vindicare potes; et dereliqui te, Deum, factorem meum. Elegi te in partem haereditatis meae; et vendidi te pro misero pretio, pro momento voluptatis. Quid ultra? Revocasti me, misertus mei, iterum aperuisti mihi Cor tuum: cecidisti super collum meum, osculatus es me et dixisti: manducemus et epulemur, quia filius meus perierat, et inventus est: afferte stolam primam! Et ego quid egi? Post aliquot momenta fervoris, iterum dereliqui te: iterum te expuli ex corde meo; et facta sunt novissima mea pejora prioribus. Et ecce, me ingratum iterum respexisti, iterum stetisti ad ostium et pulsasti: iterum ovem perditam quaesivisti, et inventam humeris imposuisti, ut eam ad ovile reduceres. Sis benedictus, misericors et miserator Jesu, qui non amovisti misericordiam tuam a me. Dixi, nunc coepi; haec mutatio dexterae Excelsi. Juro et statuo custodire judicia justitiae tuae. Da mihi indulgentiam et remissionem pro praeterito, gratiam et constantiam pro futuro, et custodiam legem tuam semper.

Suscipe Domine, Deus omnipotens, de manibus meis sacrificium novae legis, ad majorem tuum honorem et gloriam: pro omnibus necessitatibus meis; pro salute animae meae et pro omnibus pro quibus orare debeo. Fac ut hodie sumam sanctissimum Corpus et Sanguinem tuum, tali devotione et fervore, ut per hanc sumptionem per gratiam tuam possim reparare praecedentes meas communiones, quae non fuerunt satis fervidae. Da mihi hodie et deinceps illum sanctum amorem et eximiam charitatem, quacum primi fideles (qui erant perseverantes unanimiter in communicatione fractionis pa-

nis), Sacram Eucharistiam recipiebant.

Sanctissima mater Maria, quae Dominum Jesum in templo praesentasti, esto mihi pia et propitia, ut eadem fide, eadem charitate Jesum meum, sub velamine specierum latentem, aeterno Patri offeram. Amen.

GRATIARUM ACTIO XIX.

O Deus cordis mei, refugium meum et gloria mea, quam admirabile est nomen tuum in universa terra: quoniam parasti in conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant me. Ecce quam multi Patriarchae et Prophetae voluerunt te videre, et non viderunt: et ego, miser peccator, qui toties contra te rebellavi, et millies promerui sepeliri in inferno, ego non solum admissus sum ut contemplarer te, sed ut fierem tabernaculum Divinitatis tuae. Quis melius quam ego exclamare nunc potest cum sponsa Canticorum: Dilectus meus mihi et ego illi? Possideo nunc in me objectum amoris huminum et Angelorum, fontem omnis consolationis, thesaurum animae meae, gaudium oculorum, felicitatem cordis mei, principium et finem vitae meae, Dominum meum Jesum. Felicior pastoribus et Magis, qui te infantem in stabulo Bethlehem adoraverunt: non modo te adoravi, sed intra me possideo te, gloriosum et triumphantem, cum anima et divinitate tua, sicut sedes ad dexteram Patris aeterni. Angeli Dei altissimi, qui semper adstatis ante thronum ejus, descendite, appropinquate et celebrate regem vestrum ac meum, quem in corde meo possideo. Laudate eum omnes Virtutes ejus, et in coelestibus canticis exaltate dulcem illum Jesum, qui est fons felicitatis vestrae et aeternum gaudium paradisi.

O Deus, excita in anima mea splendidum illum ignem amoris tui, quem in terram venisti mittere et vis vehementer accendi; da mihi scintillam amoris illius infiniti, qui induxit te ut morereris in cruce, pro redemptione nostra, et ut maneres nobiscum, usque ad consummationem saeculi. O ignis divine, illumina mentem, inflamma cor meum, conforta animam et dirige affectus meos, purifica inclinationes meas et attrahe voluntatem meam. Illustra me tuo splendore, et ure me calor tuo: sustine me per virtutem, et confirma me per omnipotentiam tuam, ut sic per te armatus non timeam

inimicos salutis meae. Ne permittas cor meum diutius esse languidum et tepidum in servitio tuo; sed inebria illud sacrae tuae dilectionis ardore, ut vere dicere possim: neque mors neque vita, neque instantia neque futura, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei.

O amabilis Jesu, charum lumen oculorum meorum, gaudium cordis mei, thesaurus meus et vita mea, verum et unicum bonum meum, amo te cum omni ardore animae meae, et desidero reparare tempus quod perdidi, in persequendo vana et nociva. O si haberem cor sacro fervore repletum, quod in solo tuo amore occupatum, omnia terrena arbitraretur ut stercora, propter eminentiam scientiae Jesu Christi, Domini mei! O fornax divinae dilectionis, communica mihi sacrum tuum calorem; circumda cor meum suavibus flammis, quae reddant illud in vita et in morte purum holocaustum charitatis tuae. Non satis mihi sit, quod ego amem te, sed fac ut exerceam etiam potentias meas in alliciendo alios ad te verbo et exemplo, ut sic extendam regnum amoris tui.

O Maria, quae diligentes te diligis, et quae inveniris ab illis qui mane vigilant ad te, ora pro me Filium tuum, ut in me maneat per gratiam et amorem. Omnes Electi Dei, intercedite pro me, ut exempla vestra sequar, et sic etiam a Deo eligi merear. Amen.

SUSPIRIA.

O Domine, odiam me et amem te!

Maria, Virgo purissima, ora Jesum pro me.

Dilige eum amore tenero, sicut ipsum amarunt sancti Apostoli, ita ut ab ipsius gremio et aspectu ne ad momentum quidem patiaris avelli.

Pete ab eo mansuetudinem infantilem, ut disceus ab ipso quia mitis est et humilis corde, efficiaris sicut parvulus, et sic intres in regnum coelorum.

Aspiratio.—Pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.

PRAEPARATIO XX.

O anima mea, ecce consolator Jesus hoc mane venit ad te, ut in sinum misericordiae ejus omnes moerores tuos infundas. Ipse semper paratus est ad exaudiendum te, si rogatur cum fiducia: ipse semper vivit ad interpellandum pro nobis. Sacrificium incruentum Corporis et San-

guinis ejus, quod hodie ipsi offeres, coeleste antidotum est contra omnes miserias. Si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est. Vere hic habes remedium contra peccata, medicinam pro vulneribus et coelestem rorem ad exstinguendum ignem rebellis concupiscentiae tuae.

O amantissime Redemptor Jesu, voluisti unicuique nostrum in particulari exhibere signum illius charitatis quae pro omnibus in corde tuo ardebat; et ideo in ultima coena instituisti admirabile hoc Sacramentum altaris, miraculum amoris tui et prodigium omnipotentiae. O abyssus charitatis et tenerae dilectionis Salvatoris nostri! Quam grato animo erga te esse debemus! Verum ego, quid reddam Deo meo, qui non solum nutrit animam meam esca angelica mensae coelestis; sed qui in infinita sua bonitate, praeter tot alios, de mundo me elegit, et inter sacerdotes, mysteriorum suorum dispensatores admisit; ut conficiam Corpus et Sanguinem Domini, et incruentum sacrificium novae legis omnipotenti Deo offeram. Gratias ago tibi, dulcissime Salvator, pro tam gratuita tua electione et hodie de novo protestor quod tu sis pars haereditatis meae et calicis mei, qui restitues haereditatem meam mihi.

O Panis Angelorum, Panis de coelo descendens, auderemne te recipere; sciens qualis tu es? Auderemne a te abstinere; sciens qualis sum! Sanctitas et majestas Dei me retinent: sed paupertas et indigentia mea me attrahunt ad te. Quomodo sanabitur aeger, qui fugit a facie medici? Quomodo satiabitur esuriens, qui cibum sumere renuit? O divine sponse, qui me ad nuptias Agni invitas, et tam amanter impellis, da vestem nuptialem filio tuo prodigo; qui in omni sinceritate cordis ad te revertitur. Non sum dignus vocari filius tuus; multo minus satiari Corpore et Sanguine tuo: sed quoniam mortem mihi minaris nisi accedam ad mensam tuam, considerabo praeceptum tuum et bonitatem tuam, magis quam paupertatem et miseriam meam et cum fiducia veniam ad sacrum Convivium. Suppleat obedientia et humilitas mea defectum puritatis et innocentiae. Scio me esse debilem peccatorem: scio me indigere gratia et auxilio; ut possim resistere tentationibus; sed quomodo pugnabo nisi tu dederis vires; quomodo resistam, nisi tu incrementum praestiteris. Accedam igitur cum gaudio ad mensam tuam, ut sumam cibum coelestem, panem omnipotentia Verbi caro factum. Aperiam tibi cor meum cum amore, ut sanctissima tua praesentia illud ab omni

macula purifices: et firmiter statuo tibi in posterum ferventius deservire, ut aliquando tecum in coelesti patria possim regnare in aeternum.

O Mater misericordiae, Regina Sacerdotum, intercede pro me. Fiat cor meum purum et fervens sicut cor tuum, ut Filium tuum digne recipiam.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XX.

O incomprehensibilis Deus, in cujus conspectu Seraphim velant facies suas, en ego, coram te prostratus, profundissime adoro majestatem tuam in sinu meo latentem! O Deus, Creator et Salvator, tu hodie cor meum visitasti; ne derelinquas illud: regna ibi absolute, et ejice ex eo quodcumque a te alienum est, quodcumque posset esse impedimentum gratiae tuae. Ex toto corde meo te revereor, et agnosco tibi soli deberi honorem et gloriam.

O quam fervidas gratiarum actiones tibi debeo, misericordissime Jesu, non solum quia peccata omnium nostrum tulisti, et aeterno Patri pro nobis satisfecisti, fundendo omnem sanguinem tuum: at etiam quia huic tam magno beneficio superaddidisti gratiam immensam visitandi me et nutriendi me in sacratissima mensa tua.

O coelestis advocate, age causam meam apud Patrem aeternum: et dum intra me es, communica cordi meo sacrum tuum amorem: doce me reparare negligentias, omissiones et peccata mea omnia, eo spiritu et ardore, quo tu ipse, in vita tua mortali, per labores et sudores tuos, delicta hominum reparasti. O Jesu mi! si ab hac die usque ad finem mundi, in cinere et cilicio plorarem, si poenitentias omnium sanctorum in me uno congererem, scio quod adhuc non possem satisfacere justitiae divinae; nisi tu, O Victima salutaris, qui peccata nostra portasti, ipse per passionem et mortem tuam satisfecisses. Offer igitur pro me, suavissime Salvator, omnipotenti Deo, in unione dolorum tuorum et amarissimae passionis tuae, immaculatam hostiam Corporis et Sanguinis tui, quam hodie tibi obtuli: fiat acceptabile apud Deum Sacrificium illud novae legis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi.

Valde contristor, O Pater aeterne, quod unquam te offenderim. Doleo de tot peccatis et negligentiis meis, contra divinam majestatem tuam commissis: et quoniam hodie tam eximiam gratiam mihi

dedisti, offerendi tibi Agnum sine macula, et sumendi Corpus et Sanguinem Jesu, offero tibi hanc victimam redemptionis nostrae offero tibi Mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Per ipsum placatus, O Pater omnipotens, dimitte mihi debita mea, et concede gratiam pro futuro, ut per hoc sacratissimum Sacramentum confortatus, majori cum fervore me sacro servitio tuo addicam.

O sacrum Corpus Jesu, pro me vulneratum et cruci affixum, salva me; ut corpus meum fiat hostia sancta, Deo beneplacens; fiat poenitentiae et mortificationis amicum, quod hucusque voluptati et delectationi sensuum mancipatum fuit. O Sanguis Christi, qui pro salute mea usque ad ultimam guttam in Golgotha effusus fuisti, et hodie mihi in cibum animae meae traditus es; purifica me, inebria me, ut virtute tua confortatus, usque ad sanguinem peccatis generose semper resistam. O bone Salvator, permitte mihi tu brachiis animae meae tenerrime te constringam, ut nunquam amplius possim separari a te. Sacratissima vulnera tua, pro me suscepta, erunt asylum meum et crux tua vexillum meum. Amo te, Jesu, et desidero amare te tantum, quantum mereris: unica quies mea, unicum gaudium meum sit amare te et placere tibi: pro te vivam, in te moriar; donec in regno tuo, cum Sanctis tuis, aeternis epulis intersim.

O piissima Mater Maria, vita dulcedo et spes mea, supple hoc imperfectum obsequium meum apud dilectum Filium tuum. Monstra te esse Matrem. O piissime Jesu, suscipe hoc idem de manu beatae Matris tuae; unitumque tuis, et ejusdem, et omnium Electorum meritis, offer aeterno Patri. Pater aeterne, respice in faciem dilecti Filii tui, et miserere mei, pro beneplacito tuo, ad maximam aeternamque gloriam tuam. Amen.

SUSPIRIA.

O bone Jesu, exaudi me: intra vulnera tua absconde me.

O Maria, valde decora, pro nobis Christum exora.

Pete ab eo sitim famenque justitiae, ut ad perfectiora semper aspirans aeternam societatem consequi merearis.

ASPIRATIO.—Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.

PRAEPARATIO XXI.

O cor meum, senti de Domino in bonitate; spera in Jesu, sponso animae tuae, qui hoc mane iterum descendit ad te. Confide in bonitate et benignitate amabilissimi Salvatoris tui, qui se totum tibi tribuet. Quam bonus Dominus animae quaerenti illum! Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. Deus tuus est quidem judex justus et terribilis: sed talis solummodo est erga peccatores superbos et impoenitentes; verum erga humiles et contritos, qui in simplicitate cordis cum fiducia revertuntur ad ipsum, qui desiderant eum amare et illi soli servire, est judex patiens et multum misericors. Exclamat enim David poenitens: in judiciis tuis supersperavi: memor fui judiciorum tuorum et consolatus sum.

Venite ergo et properate; venite et comedite absque ulla commutatione vinum et lac: venite, ad ubera mea portabimini. An mater potest oblivisci unicum filium suum? et si ipsa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. O Jesu, mihi plus quam mater, qui me nutries hodie Corpore, Sanguine, anima et divinitate tua in sancta Communione, aequum est, ut sponte pro amore tuo renuntiem omnibus deliciis, omnibus voluptatibus, quas mundus mihi offert. Ita Domine, praefero pati omnia mala, et mortem ipsam et manere in dilectione tua, potius quam vivere et frui omnibus bonis separatus a te. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas; melior est dies una in atriis tuis super millia. Hoc unum a te peto, ut amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis.

O clementissime Salvator animae meae, homo factus es, et in mundum venisti, ut destrueres regnum peccati, et ut in cruce moriens, deleres quod erat adversum nos chyrographum decreti. In hoc certe apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei: sed quanto magis apparuit in suavissimo altaris Sacramento. O Miraculum bonitatis et teneritudinis tuae: prodigium amoris et omnipotentiae? Et pro tanta dilectione nihil exigis, nisi ut redameris: et nunc Israel, quid Dominus tuus petit a te, nisi ut diligas eum? O dilecte mi Jesu! quam bonus te quaerentibus, sed quid invenientibus! Tu diligentes te diligis: rursum recipis et amas eos qui te dereliquerunt, si cum fiducia revertuntur ad te: convertimini ad me, et convertar ad vos; promittis te

venturum in cor eorum cum Patre et S. Spiritu: ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus! Quid ultra debes facere ut ameris? O suavissime Sponse! desideras amari ab omnibus; sed praecipue a me, quem tot gratiis praeventum, de mundo elegisti et in Sacerdotem tuum unxisti. Amo te, Deus; et si nondum satis amo te; doce me amare te, sicut Vincentius et Bernardus te amabant. Da quod jubes, et jube quod vis.

O Regina coelorum, sine labe concepta, ora pro me Dominum Jesum, ut in animam meam veniens, ornet illam virtutibus mihi maxime necessariis. Amen.

GRATIARUM ACTIO XXI.

O Jesu mi, credo te esse in corde meo reali tua praesentia. Repletus consolatione et gaudio, ex intimis medullis animae meae gratias tibi ago, pro hac immensa tua largitate. Sed quomodo potuisti intrare in cor adeo tepidum; adeo repletum amore proprio, et inimicum poenitentiae et abnegationis? Tu scis quam fortiter adhuc adhaereo commodis et honoribus; quam cito vulneror per minimam tentationem; quam facile nimium extollor in prosperis et nimium animo decido in adversis. Quomodo ergo voluisti visitare tam pauperem et contemptibilem creaturam? Nonne sufficiens erat animam meam invisere divino lumine praeceptorum tuorum; et sic dirigere pedes meos in viam salutis? O Domine, non habeo verba quibus exprimam, nec spiritum quo intelligere valeam excessum favoris tui. Agnosco te esse unicum verum amatorem animae meae, et profundissime te adoro, ut unicum bonum, principium meum et ultimum finem. O si possem honorare te et portare tali fervore, quali te adoravit et portavit dulcissima Mater tua, quando te in utero suo gessit: vel quali te portavit et custodivit sanctus nutritius tuus, beatus Joseph, vir justus et servus fidelis.

O Sponse cordis mei, dedisti mihi lucem et vigorem ad relinquendum viam peccati et perditionis, concede mihi etiam lucem et gratiam cognoscendi semitam salutis et semper ambulandi in ea. Permisisti ut sacrificarem tibi hostiam incruentam: dedisti mihi Corpus et Sanguinem tuum in spirituale alimentum cordis mei: ne deneges mihi gratiam necessariam ad vincendum pravos habitus, et ad resistendum diabolo et sug-

gestionibus illius. Fac ut renuntiem propter te omni satisfactioni mundanae et ut inveniam omne gaudium meum in te, Deo meo, pretiosissimo cordis mei thesauro. Per infinitam liberalitatem tuam, per infallibilia promissa tua, nunquam derelinquendi eos qui confugiunt sub alis misericordiae tuae ; precor te, Domine, ne deneges mihi istam gratiam. Per acerbissimos cruciatus, quos in passione tua sustinuisti, per pretiosum Sanguinem, quem in flagellatione et transfixione sacrorum membrorum tuorum pro salute omnium profudisti, concede mihi sanctam in tuo servitio perseverantiam.

Veni in auxilium meum, Maria, dulcissima Mater mea: noli recusare potentem intercessionem tuam ; sed exaudi me, et fac ut indigna mea supplicatio a Domino misericorditer excipiatur. Miserere miseri Sacerdotis, famuli tui ; et ne cesses maternam tuam curam in adjuvando me exercere. Sub tuum praesidium, O Maria, confugio. In posterum non amplius videbis me adeo indignum, nam firmiter statuo servare judicia justitiae Dei, imitari virtutes tuas sanctas, praecipue humilitatem et puritatem tuam, quae te adeo acceptam apud Dominum reddiderunt. Eja, advocata mea, misericordes oculos ad me converte. Obtine pro me innocentiam cordis et puritatem mentis ; ut cogitationes et actiones meae semper sint purae et castae. Fac ut colligam pretiosos fructus Sacramenti quod modo suscepi. Tu quae semper immaculata permansisti, ora Jesum, ut praeservet me a contagione peccati, et inflammet cor meum amore divino, ut semper adhaeream Deo meo. Amen.

SUSPIRIA.

Amplius lava me ab iniquitate mea.

Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

Pete ab eo pacem perfectam, ut in ipso, tua velut in sphaera, requiescens, inter veros pacificos qui Filii Dei vocabuntur, habearis.

Ante hunc Judicem, corda et animos scrutantem opera sola subsistent, et erunt solida, quae in charitate, et ex charitate facta fuerint. Quidquid vel vanitate, vel quavis cordis impuritate, sûe affectu inordinato vitiatum et infectum erit, hoc omne coram Deo lignum erit, putridum, fenum aridum, et in favillam reducenda. Et quia nihil impurum intrabit in regnum celorum, hinc ob nimiam cordis impuritatem paenas lues in igne purgatorio, et non nis

per ignem salutem consequeris a Domino. Heu? quae convenientia fidei tuae cum operibus tuis, quae convenientia Christi tecum, O sacerdos?

"In Angelis reperit pravitatem." Heu mihi! Job iv.

ASPIRATIO. — Domine, doleam de preterito et per penitentiae dolorem, sic redimere tempus, reparare preteritum sicque tuum Judicem propitium habere.

PRAEPARATIO XXII.

O benigne mi Jesu! mi amor! qui iterum venis ad me, quis alius quam tu, qui totus amor es, posset invenire memoriale amoris, sicut tu nobis praebes in sacratissima Eucharistia? Quemadmodum sol in meridie, sic amor Dei in sanctissimo altaris Sacramento, ad maximum intensitatis et ardoris gradum pervenit. In cruce regnabat amor conjunctim cum justitia: hic regnat solus amor, absolute regnat: et omnia ad amorem referuntur. Sapientia, potentia, immensitas et providentia, omnia subjiciuntur amori!

O Jesu, quia tu ipse dixisti, credo sub hostia consecrata adesse Corpus tuum et animam tuam, cum divinitate et humanitate; credo in calice post consecrationem adesse Sanguinem tuum, eumdem qui pro me effusus est in remissionem peccatorum. Credo, Domine, et humilio me ipsum coram te cum profundissima reverentia. O sancta Virgo, O Angeli Dei, O animae a Deo electae et dilectae, adjungite vos mihi in adoratione Jesu, laudate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus: supplete indignitatem meam purissimis adorationibus vestris; et precamini pro me, ut recipiam Jesum cum viva fide et cum fervido amore.

O Deus tu ipse venis ad illuminandum me, ad uniendum cor meum cordi tuo, et ad dandum mihi pignus illius gloriae quam praeparasti diligentibus te. O anima mea, excita fervorem tuum, dilata cor tuum, surge et illuminare quia venit lumen tuum: et memento, quo plura sperabis, eo plura te obtenturam. Jesus omnipotens est, Pater tuus et Salvator; amat te et desiderat ditare te omnibus gratiis: promisit se exauditurum preces tuas: fidelis est et justus: exaudiet te, si cum fiducia et amore petis.

Clementissime Salvator, qui te humilias usque ad manus peccatoris, quomodo poteris

requiescere in corde meo, quod tam diu a te alienum fuit; sed quod nunc amans et dolens ad te revertitur? Purifica et emunda illud adhuc a minima peccati macula. Fac ut ubi abundavit delictum, ibi abundet et gratia. Ego filius prodigus, peregre profectus sum in regionem longinquam, ubi substantiam meam dissipavi: et tu, clementissime Pater, de longe in occursum meum venisti, et misericordia motus, in gratiam me recepisti, ac in mensa tua pro me apponis, non vitulum saginatum; sed Corpus tuum in cibum et Sanguinem in potum animae meae! Ego qui me nutrivi felle draconum et veneno aspidum insanabili, invitor nunc ad coeleste convivium! Ego qui toties fornicatus sum cum amatoribus multis, qui cum Petro Deum meum negavi, et cum Juda ipsum vendidi: ego admittor ad sacrificandum Agnum Dei, Filium unicum Patris, in quo sibi bene complacuit. O Domine, respice me, qui Petrum respexisti: permitte, ut ad genua tua provulutus, osculer pedes tuos cum Magdalena peccatrice; ne perdas me cum Juda, cui nihil profuit fuisse Apostolum: sed voca me cum Zachaeo, et in domum meam intrans, fac ut conservem gratiam tuam in corde meo et nunquam amplius peccatis meis te offendam.

O Maria, Virgo gloriosa, exaltata super omnes coelos, ad coelestia regna, tu quae ab Ecclesia vocaris refugium peccatorum, intercede pro me, misero Sacerdote; ora pro me Patrem, cujus Filia es, Filium, cujus Mater es, Spiritum sanctum cujus sponsa es. Sis advocata mea apud sanctissimam Trinitatem, ut dignum hodie sacrificium offeram. Amen.

GRATIARUM ACTIO XXII.

O Deus omnipotens, Rex aeternae majestatis, recepi te in corde meo; te, quem coeli capere non valent: te, in cujùs conspectu Angeli non sunt mundi! Quomodo potes manere, O fons puritatis, in corde meo? . . . In corde illo, vera abysso iniquitatis et peccati! receptaculo implacabilium inimicorum tuorum, mundi, carnis et daemonis! O Domine, dives in misericordia, quid non sperem a te, qui mihi tribuis te ipsum? Venisti ad me cum omnibus thesauris gratiae tuae: concede mihi donum amoris tui, quem ardenter desidero et ad quem, magis quam ad caeteras gratias tuas, vehementer aspiro. Da mihi illum, Domine, et

cum eo gratiam perseverandi usque ad mortem.

O charorum omnium charissime, Jesu, in manus tuas omnia mea colloco, libertatem meam, memoriam, intellectum et voluntatem. Quaecumque possideo, dona tua sunt: ad te haec omnia refero, submittens illa sanctae tuae directioni. Da mihi dilectionem et amicitiam tuam, et sufficit; omnia bona mihi venient pariter cum illa.

O bone mi Salvator, vere pertransiisti benefaciendo et sanando. Ubicumque intrasti dona tua et benedictiones distribuisti. Intrasti domum Petri, et socrus ejus sanata est a multis febribus; in domum Lazari, et a morte eum resuscitasti; in domum Mathaei, et a telonio avocatum in Apostolum mutasti. Intrasti domum animae meae, benedic ergo illi, et concede mihi quodcumque necessarium est. Non peto temporalia, non sanitatem, prosperitatem aut commoda mea. In omnibus istis fiat voluntas tua. Non peto nisi spiritualia, quae necessaria sunt ad aeternam meam salutem. O triumphator mortis et inferni, rumpe vincula pravorum habituum: O coelestis medice, sana febrim vanitatis meae, voluptatis et superbiae: Magister bone, qui me vocasti de mundo ad ministerium tuum, orna animam meam virtutibus statui tam sublima necessarias. Concede mihi clare cognoscere vanitatem mundi et necessitatem virtutum. Excita in anima mea vivum dolorem de peccatis meis, et firmum propositum non amplius peccandi de caetero. Infunde in me in charitatem illam quae veros discipulos tuos distinguit: humilitatem illam, sine qua preces a te non audiuntur: puritatem illam, in oculis tuis adeo amabilem ut jurasti spiritum tuum non mansurum in homine qui caro est. Tandem muta totum cor meum: abstrahe illud ab omni terrena affectione, et subjice illud sanctae tuae voluntati; ut non quaerat nisi beneplacitum tuum, pro nihilo pulset, nisi pro sancto tuo amore.

O Jesu, dulce solatium animae meae, non dimittam te nisi benedixeris mihi. Concede mihi ut in sancto amore tuo semper vivam: et in illo usque ad ultimum halitum perseverem. In hoc ultimo momento quando ab omnibus deserar, et omnia relinquere cogar, renova tunc sanctam visitationem tuam. Conforta me tum sacro tuo Sacramento, ut hoc coelesti viatico munitus, fortiter resistam inimicis salutis meae, omnes eorum conatus vincere possim, et sic triumphans ad te ascendam, videam gloriam tuam, et divina tua praesentia in omni aeternitate fruar.

O beatissima coeli Regina, ad aethereum thalamum assumpta, precare pro me Filium

tuum, ut semper in ejus amore vivam, et post mortem, anima mea tecum gaudeat in aeternum. Amen.

SUSPIRIA.

Domine, absorbeat mentem meam ignita vis amoris tui.

O Mater pulchrae dilectionis, ora Jesum pro me.

Hoc ergo cogitandum, recolendum, firma fide Christum pro nobis Crucifixum intueri, hacque fide, omnia facere coram altari, quae coram Jesu Christo crucifixo fecerremus, compati, peccata nostra detestari, Christi mortem pro peccatis nostris offerre, in eam sperare, illam nobis reddere propriam, et quasi nostram, fide, spe, charitate commori, et hanc mortem imitari, Christi mortificationem in anima et corpore circumferentes, penitentiam sincere amplectentes: sicque Christum pro nobis Crucifixum induentes.

ASPIRATIO. — Domine, ecce quem amas infirmatur, dic hodie animae: salus tua ego sum.

PRAEPARATIO XXIII.

O amabilis Jesu, sub triticeo velamine latens, ut hominibus amorem tuum exhibeas; adoro te omni qua decet reverentia, et admiror prodigia sapientiae, potentiae et bonitatis in favorem miserabilium creaturarum a te inventa. Scio et firmiter credo in hoc sanctissimo Missae sacrificio, per omnipotentiam tuam, cujus indignus sum minister, panem et vinum transsubstantiari in Corpus et Sanguinem tuum. Scio et credo victimam illam novae legis esse Jesum meum, Deum illum, qui in tempore factus est homo, qui iniquitatem omnium nostrum portavit, et qui in cruce mortuus est, ut lavaret animam meam effusione Sanguinis sui: eumdem Dominum, qui surrexit a mortuis, et ascendit in coelum, ut ibi praeparet thronum gloriae animabus quae in ejus dilectione perseverant. Haec omnia credo, Domine, quia ea revelasti, et Ecclesia tua ea credenda proponit: gaudeo me in participationem ineffabilium mysteriorum tuorum admissum esse, et felicem me

existimarem, si in testimonium harum veritatum vitam meam dare possem.

Accipe, O clementissime Deus, sacrificium totius substantiae meae, quod ego, misera creatura tua, humiliter tibi offero. Nihil magis aequum est, quam ut me ipsum totum tibi sacrificem; cum tu te ipsum totum immoles in hoc suavi Sacramento. Agnosco et adoro te ut supremum Dominum omnium, et ideo tibi offero corpus meum, animam, voluntatem, omnes potentias meas, totum me ipsum. Unio hoc pauperrimum meum holocaustum infinito sacrificio, quod tu semel in monte Calvariae obtulisti, et quod quotidie, tam misericorditer, ubique terrarum incruento modo renovas. Oro te per merita dolorum tuorum et sacratissimae passionis et mortis tuae, ut illud gratum habeas, et ut mihi concedas gratiam quotidie me immolandi amori tuo. O Jesu, dummodo amer a te, omnia mihi placent; dummodo me suscipias, omnia a te accipiam, dulcia et amara.

Quam stupenda tua bonitas, O amabilis Jesu, qui sic te praebes animae meae, ut illi fias in nutrimentum: qui non solum ad convivium tuum amanter me invitas; sed ipse vehementer desideras a misero servo tuo manducari et unire te cordi meo. O veni in animam meam, quae sponsum suum amantissime exspectat: veni, ut sis Deus cordis mei et pars mea in aeternum. Omnia amori tuo sacrifico, felicitatem, gaudium, amorem creaturarum: omnibus pro te lubens renuntio. O Deus amoris, regna solus in anima Sacerdotis tui: triumpha in corde ejus, et expelle ex eo quidquid oculos divinae majestatis tuae offendere posset. Multum confido bonitati tuae, mi Jesu, et quoniam te ipsum totum mihi tribuis, spero te nihil mihi negaturum. Da mihi purum desiderium placendi tibi, ut ex hoc momento me totum conformem sanctae tuae voluntati: scio me debilem et infirmum esse, scio innumera esse vulnera cordis mei; sed pro his omnibus remedium a te exspecto. Si nomen tuum in ore Apostolorum tantae erat efficaciae, ut infirmos curaret et daemones expelleret; quidni ego sperem, qui ipsum sacrosanctum Corpus et pretiosissimum Sanguinem tuum in cor meum recipiam?

O Maria, Virgo et Mater sanctissima! Sedes sapientiae et Vas spirituale! Tu quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem; ora ipsum pro me: ut per hoc immaculatum sacrificium quod ipsi offero, et per hanc perceptionem Corporis et Sanguinis Domini, adeo inflammetur anima mea; ut nihil amplius sapiam nisi Jesum: nihil desiderem nisi bona spiritualia. Amen.

GRATIARUM ACTIO XXIII.

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Quid servus retribuet Magistro suo, creatura Creatori, homo mortalis Deo infinito? Quia me creasti, Domine, debeo tibi me ipsum, et quia me redemisti, deberem plus quam me ipsum; deberem tibi plus quam corpus et animam, plus quam totum me, si plus haberem: quia tu, qui te ipsum pro me sacrificasti, infinite supra me es. Quid ergo nunc debeo tibi, O clementissime Salvator, qui hodie tam amanter ad me venisti: qui verbis meis obediens, de coelo in altare descendisti, et animam meam Corpore et Sanguine tuo tam dulciter satiasti. O Deus! nihil habeo quod offeram tibi, nihil habeo nisi me ipsum; nec etiam possum me tibi dare, sine speciali auxilio gratiae tuae. Vellem quidem tibi offerre bona mea proposita, desideria te amandi; sed quomodo ea firma manebunt, nisi tu adjuves? quomodo potero ea exequi; nisi tu in adjutorium meum intendas? Ergo iterum et semper auxilium meum erit a Domino. Accipe me igitur, suavissime Pater, qui neminem ad te venientem repellis, trahe me post te, ut totus sim tuus, per imitationem virtutum tuarum, et per sanctum amorem tuum, sicut tuus sum per creationem et ordinationem: tota vita mea tibi sit; nam sine te vivere mori est: totus tibi sim, qui me donis et gratiis cumulasti, ut his omnibus utar ad gloriam tuam et meam salutem. Amabo te itaque, Domine, qui es fortitudo mea et refugium meum: amabo te, gaudium et delicias cordis mei: amabo te, qui me sic amasti, ut propria Carne tua et pretioso Sanguine me nutrias. Anima mea, coelesti cibo satiata, non amplius mundo aut sibi vivet; sed tibi soli, sponso suo, consecrata erit: fragilitas et miseria mea eam in perditionem abduxerant; sed longanimitas et misericordia tua eam ad gratiam resuscitaverunt. Vere tu es Deus misericordiarum Dominus, bonus erga omnes qui invocant nomen tuum. Deinceps igitur, O amabilis Jesu, omnem spem meam, omnes affectus, omnia desideria mea in sinu bonitatis et benignitatis tuae colloco. Dirige me secundum beneplacitum tuum, et fac de me quidquid vis: non amplius conquerar de dispositionibus providentiae tuae; quia persuasum habeo, has omnes exire de corde tuo, quod est fornax amoris: quia scio nihil mihi eventurum, nisi quod a te praescitum et praeordinatum fuit, pro bono animae meae.

Sufficiet mihi quod talis sit voluntas tua, ut talis sit etiam mea, in tempore et aeternitate. Fac in me et erga me quidquid tibi placuerit: in omnibus subjicior voluntati tuae, quae est tota sancta, amabilis et perfecta. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Semper laudabo te et benedicam tibi: in prosperis sicut in adversis; in tristitia sicut in gaudio Benedicam te in omni tempore, semper laus tua in ore meo. Non peto consolationes, nec gaudium spirituale, quia non meretur ea indignus peccator, qui toties cor tuum contristavit: sed peto gratiam et amorem tuum. Sive ergo aridum sit cor meum, sive non: sis benedictus; sive tristis sit anima mea, sive non: sis benedictus; dummodo non sim inimicus tuus: dummodo non perdam gratiam tuam.

O Maria, Virgo praeclarissima, quae in vita tua adeo humilis, et divinae voluntati adeo obediens fuisti, ora pro me Jesum, qui hodie cor meum inhabitare dignatus est; ut ego etiam discam me semper divino nutui subjicere. Amen.

SUSPIRIA.

O Jesu! totus sim tuus, qui totus meus es,

Dominus regit me, et nihil mihi deerit.

"Credo quod Redemptor meus vivit." Vivit, sedet, regnat beatus ad dextram Dei. Vita, et fons vitae me vivificabit mortuum et in eternum viturus tanquam *coheres* Christi.

Hoc credens, hoc sperans, gemo, desidero, expecto, ex hoc memetipsum prepare volo, gemo ob hujus vitae miserias: ob hujus animalis et mortalis corporis aggravationes?

Desidero pacificum Christi regnum, beatam societatem, perfectam cum Christo conformitatem, humilitatis corporis nostri reformitatem per configurationem cum corpore claritatis Christi; sic desiderans, dico—"Pater adveniat regnum tuum."

Expecto igitur gaudens et letus. Utquid timeam mortem quae est transitus ad vitam? Interim Deo subjecta erit anima mea. Ad eternum regnum me preparo imitatione Christi, mortificatione, patientia, humilitate, charitate, &c.

Utinam salvatoris mei imaginem in anima mea modo portem, per gratiam ejus, per virtutes christianas, per exercitium dignum officii sacerdotalis, ut et ejus imaginem per gloriam in eternitate portem.

ASPIRATIO.—Moriatur anima mea morte Justorum.

PRAEPARATIO XXIV.

O Deus infinitae puritatis, sanctitudinis et majestatis, quomodo dignaris permittere ut accedam ad altare tuum, et me nutriam sancta Eucharistia: ego qui fui abyssus ingratitudinis et peccati? Ah! quanto tempore, mi Jesu! tibi plus doloris et amaritudinis attuli, quam Judaei, qui te innocentem condemnarunt! Quanto tempore magis te offendi quam inimici tui qui te crucifixerunt. Per peccata mea spinis te coronavi, clavis sacrum Corpus tuum perforavi, aceto te potavi, cor tuum transfixi et mortem tuam causavi. Non sum dignus, Domine, apparere coram te, multo minus te, Agnum sine macula, qui peccatum non fecit, immundis manibus sacrificare et sumere. Sed, O mi Deus, quam patiens es, longanimis et multum misericors! Quamvis adeo inhonoravi sanctum nomen tuum; quamvis conculcavi Sanguinem tuum et merita tua: quamvis fui inobediens peccator; non solum mihi dedisti media revertendi ad te: sed tu ipse ad reconciliationem me invitasti. Confessus sum injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei; et iterum recepisti me in numerum amicorum et filiorum tuorum. Quam bonus es, Domine, qui sanasti omnes infirmitates meas, et redemisti de interitu vitam meam. Nolo amplius te offendere: sed cum gratia tua desidero te honorare et glorificare: purifica me, Jesu, per Sanguinem tuum et per mortem tuam, ut fiat anima mea, hodie et deinceps digna habitatio infinitae majestatis tuae.

O suavissime Redemptor! tota mea fiducia in te est: tota spes mea in meritis acerbissimae passionis et crudelissimae mortis tuae. Credo te per hanc visitationem tuam velle sanctificationem concedere animae mea, inflammare cor meum coelestibus desideriis, et me capacem reddere vivendi et moriendi in sancta tua amicitia. Da etiam gratiam ut possim tantae tuae benignitati respondere, et ut conatus tui pro sanctificatione cordis mei, per culpam meam non reddantur inanes.

Ecce, O anima mea, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus: en Dominus omnium, pater et amicus humilium, deliciae paradisi et gaudium Angelorum, Deus ipse, in cor tuum descendet. Ecce, sponsus venit, exi obviam ei: en, prospicit per cancellos qui divinitatem velant, invitat te, vocat te, desiderat uniri te-

cum! Paravit in conspectu tuo mensam, adversus omnes defectus, omnes fragilitatis maculas, quae adhuc tribulant te. Ecce sponsus venit: intra cum eo ad nuptias, et claude januam cordis omni cogitationi terrenae.

O felicitas ineffabilis! O gaudium super omne gaudium! Mihi datum est aeterno Patri sacrificare et offere Agnum sine macula, qui tollit peccata mundi! Mihi datum est consecrare, et intra me sumere Carnem et Sanguinem Redemptoris mei. O Jubilum cordis mei! veni et satia desiderium meum: refice esurientem animam meam; veni et sanctifica indignum ministrum tuum, qui visitationem tuam ardenter desiderat, et amorose exspectat. O Panis Angelorum! sis sustentaculum meum: O Manna de coelo! sis fortitudo mea: O lux mundi! illumina me: O Deus! inflamma me, conforta me contra omnes inimicorum meorum insidias; et per auxilium gratiae tuae, erga sanctissima mysteria tua me adeo devotum praebebo hic in terra, ut interminabili guadio tecum merear perfrui in patria. Fiat!

O Maria, Virgo gloriosissima quae portans Creatorem tuum, abiisti in montana, ad cognatam tuam, intercede pro me, ut eadem fide: eadem humilitate hodie portem tuum ac meum Jesum, et diligenter conservem gratiam ejus.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXIV.

O beatissima Trinitas, Deus omnipotens, sis benedictus pro immenso favore, quem hodie recepi. Da mihi cor gratum, quod possit te digne laudare. Per passionem et mortem Salvatoris mei, quam incruento modo hodie per ministerium meum renovavit, oro te, ut acceptabilis fiat in conspectu tuo gratiarum actio mea. O Pater aeterne, memento tributum gratitudinis meae tibi offeri in unione meritorum Filii tui, ab aeterno a te dilecti, et qui nunc in me manet. Ipsi, Spiritui Sancto et tibi sit omnis honor et gloria. Benedictus sis, bone Jesu, qui visitas cor meum! Benedictus sis, clementissime Redemptor, qui venis in nomine Domini. Pertineo nunc totus ad te, et tu vicissim totus ad me! O admirabile commercium! Omnipotens in corde meo residet! Deus qui me creavit, remanet in anima vilis creaturae. Ah! Jesu! misereor tui videns te in corde frigidiori et duriori quam praesepe, in quo collocatus es

in nativitate: in corde, quod majorem dolorem tibi causavit quam instrumenta passionis tuae. Non enim semel, sed centies renovavi per peccata mea cruciatus tuos et mortem tuam.

O Jesu, qui omnipotens es, qui de indignis dignos facis, et de peccatoribus justos et sanctos, fac ut sancta praesentia tua emundet cor meum ab omni macula, ab omnibus reliquiis peccatorum. Expelle ex eo indifferentiam et teporem: totum liquescat in sanctis ardoribus, quod auctorem sanctae dilectionis in se possidet: totum sit igneum, quod ignem in se recepit.

O Salvator Jesu, cum intra me sis ad conferendum mihi favores tuos, et cum invites me ad rogandum: precor te, per viscera misericordiae tuae, ut exaudias obsecrationem meam. Concede mihi incrementum vivae Fidei, Spei, Charitatis et contritionis: da mihi humilitatem, puritatem, patientiam, mansuetudinem, caeterasque tam sublimi statui meo necessarias virtutes. Immuta animam tam plenam mundo et mundanis affectibus, tam refertam superbia et amore proprio: renova illam, redde eam conformem sanctissimae voluntati tuae, et magis ac magis addictam honori et gloriae tuae. Sanctifica sensus meos, ut nihil ad mittant divinae legi tuae contrarium: memoriam meam, ut semper in te occupetur, et circa sublimes tuas perfectiones versetur: intellectum, ut dirigatur ad te: voluntatem, ut semper laudet te, semper quae tibi placita sunt cupiat. In sinceritate cordis mei offero tibi in holocaustum perpetuum, animam et corpus meum, sensus, potentias, possessiones, cogitationes, verba et actiones meas. Ure, O ignis divine, consume, O ardor omnipotens, quidquid in me est quod non tendit ad te aut tibi displicet, quidquid me a te avellere potest.

O sancta Trinitas, omnipotens Deus, exaudi preces ministri tui: non potes mihi negare quod Jesus, qui in me est, mecum petit; si ego non exaudior, Jesus, qui mecum rogat, exaudietur utique pro reverentia sua. Ipse enim dixit: petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis: quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

O Maria, Mater et Virgo, Regina super omnes speciosa, ora pro me, ut cum eximio favore quem hodie Filius tuus mihi concessit, etiam concedat gratiam semper in virtute proficiendi, ut dignus in conspectu ejus minister appaream. Amen.

SUSPIRIA.

Quis me separabit a charitate Christi?

Mihi enim adhaerere Deo bonum est.

Pre omnibus creaturis adherere Deo bonum est, reddit hominem nobilem, sublimem, illustrem.

Homo Deo impletur, creaturis exclusis, in gaudio sanctificat animam suam, vivit in statu gratiae — "Superabundavit gratia." 2 Tim. Magna pace fruitur in hac vita, etiam in tribulationibus, sancte vivit et sancte moritur. "Deo semel invento, anima creaturis omnibus libenter valedicit."—Blosius.

Inordinate adherere creaturis reddit hominen vilem &c., est quasi *idolotatra;* ex St. Thomas, "Peccatum est aversio a Deo, et conversio ad creaturas." Creaturae non possunt homini felicitatem; disiderium naturale hominum, dare, quia nemo potest dare quod non habet.

Creaturae imprudentem hominem facile decipiunt, "Intentationem, et in muscipulum pedibus insipientium." Sap. xiv. Tunc rosae in spinas mutantur?

Pete a Domino virtutem indefessae sollicitudinis, ut habens animam tuam in manibus tuis semper, non cesses eam a vitiis purgare, et excolere virtutibus.

ASPIRATIO. — Quis me seperabit a charitate Christi: tribulatio, angustiae, fames creaturae? Vivo ego, jam non ego, vivit vero, in me Christus.

PRAEPARATIO XXV.

O Agne immaculate, qui pasceris inter lilia, et qui es ipse flos campi et lilium convallium, cujus deliciae sunt conversari cum animabus puris et Deo dilectis, quid invenies in horto cordis mei, in quem hodie ingredieris, nisi spinas et tribulos, miserias et infirmitates? In vanum ibi quaeres flores pietatis, vel fructus bonorum operum. Heu! quam magna inter me et te differentia! quale discrimen inter bona exempla tua, et tepidam vitam meam! et tamen mihi specialiter dictum est: sanctus esto, quia ego sanctus sum: esto perfectus, sicut Pater coelestis perfectus est. Tu habitas in luce inaccessibili, et ego in mediis tenebris: tu Magister mitis, humilis et mansuetus, et ego servus nequam, superbus, iracundus et impatiens: tu Agnus innocens, immaculatus, et ego ingratus peccator! Quomodo

ergo ad te accedam, et me Carna tua et Sanguine tuo nutriam? Si considero indignitatem meam, erubesco coram te, et non audeo coelum aspicere, multo minus ad Sancta Sanctorum introire. Sed quia scio te esse Patrem misericordem et Deum totius bonitatis, qui neminem in te sperantem repellis, ideo in te confido et ad te audeo venire. Adeo magna est benignitas tua, ut quamvis multis onustus miseriis, et violentis tentationibus exagitatus, tamen ad tabernacula tua accedo, ut suavem et potentem tuam opem experiar. Tanta est fiducia mea in tua miseratione, ut timerem tibi displicere, si a mensa tua abstinerem: et quo major mea indignitas est, eo major est misericordia tua, in admittendo me ad participationem Mysteriorum tuorum, in quibus spero me inventurum remedium contra omnes infirmitates meas.

En, charissime mi Jesu, venio ad te sicut sitiens viator ad fontem aquarum; sicut infans ab ubera matris suae; et sicut filius ingratus ad optimum patrem. Memorare, Domine, misericordiae quam Magdalenae exhibuisti: non repulisti eam e praesentia tua, etsi notoriam peccatricem; e contra mansuete eam recepisti, illius causam egisti, et ad osculum sacrorum pedum tuorum eam admisisti. En, benigne Redemptor novam occasionem exercendi misericordiam. En ad pedes tuos miseram creaturam, quae desiderat te recipere. Respice me, et purifica cor meum. Si ex oculis meis non profluunt sufficientes lacrymae ad lavandum pedes tuos: ex sacris tamen Vulneribus tuis satis Sanguinis fluxit ad abstergendum, non solum peccata mea, sed delicta totius mundi. Si ergo adhuc in corde meo aliquid remanet, quod non satis purum est; amplius lava me, purifica me, antequam praesumam conficere Corpus et Sanguinem tuum, et Deum meum in intima mea introducere.

Veni, O Esca divina, et nutri animam meam desiderio te desiderantem: veni fornax charitatis, et consume me totum: ignis amoris, inflamma me, Pastor bone, dirige me; mi Pater et Sponse, suscipe me; vita et pax mea, salva me. Veni, lumen animarum, consolator cordium, desiderium Patriarcharum et gaudium Angelorum. Veni, deliciae coeli et beatitudo Sanctorum: ad te anhelat cor meum: nam esse tecum dulcis est paradisus: esse sine te gravis est infernus.

O sanctissima Virgo Maria, recepturus sum hodie dilectum tuum Jesum. Intercede pro me, ut eadem fide, eadem devotione et charitate ipsum excipiam, qua sanctus senex Simeon eum e manibus tuis in ulnas suas excepit.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXV.

O dulcis Jesu, mi Deus et Redemptor, Rex coelorum et Domine infinitae majestatis et potentiae, qui iterum honoras indignum servum tuum divina et reali tua praesentia, quomodo adeo te humilias, ut velis habitare in anima mea, tam parum te amante, tam parum te digna? Nonne sufficiens erat, O Sponse sanguinum, tot tantaque tormenta, et mortem ipsam amore mei sustinuisse? Quis sum ego, indigna creatura tua, ut tribuas te in nutrimentum meum, et participem me facias omnium meritorum quae acquisivisti crudeli et ignominiosa tua morte in cruce? Quid te impellit ut me adeo honores? Sed quid plura? Amor tuus est, O Jesu! Charitas quae te impellit et urget; dilectio tua, qua majorem nemo habet. O immensa bonitas! O suavis benignitas Dei mei, quam hucusque tam parum amavi, da ut deinceps diligam te cum omni fervore, et ex omnibus potentiis cordis mei.

O suavis amator animae meae, non poteras majorem mihi gratiam largiri, quam illa qua me hodie in sacra Communione honoras. Per nativitatem dedisti te socium meum, et per mortem tuam factus es Redemptor meus: pro his beneficiis jam infinita deberet esse gratitudo mea; et nunc insuper, per institutionem hujus sacri Mysterii, in quo latet verus Deus et homo, factus es cibus et potus animae meae! O donum super omne donum! O convivium ipsis coelitibus admirandum! Veniendo in mundum, meruisti mihi vitam gratiae, sed intrando in cor meum, affers mihi ipsum gratiae, fontem et auctorem. O Esca de coelo, in cujus participatione filii hominum redduntur filii Dei! O Panis, omne delectamentum in te habens, qui refocillas animam, spiritum recreas, flammas concupiscentiae extinguis, voluntatem subjicis et amorem proprium mortificas: sanctifica cor meum, in quo nunc habitas, et redde illud victimam acceptabilem divinae majestati.

Et quid nunc, O bone Jesu, retribuam tibi pro hoc immenso tuo beneficio? Si gratiarum actio mea debet adaequare favorem tuum, quid sufficiet ad testificandum tibi gratitudinem meam? Et quid poterit tibi dare debilis creatura tua quae nequidem per horae quadrantem attente te laudare potest? Si in visitatione matris tuae Mariae, cog-

nata ejus Elisabeth, Spiritu Sancto plena, exclamat: unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Quid ego, vermis terrae, exclamare debeo cum non Matrem Dei in domo mea, sed ipsum coelorum Dominum et Regem aeternae gloriae in corde meo receperim. O mi Jesu, quot animae devotae ferventiorem receptionem tibi parassent, quibus non favisti, sicut mihi hodie: quot sancti Sacerdotes forte a mensa tua per infirmitatem abstinere coguntur: et ego miser peccator ad convivium tuum admissus sum. O singularis benignitas et bonitas Redemptoris mei!

O Jesu, antequam recedam, benedic ministrum tuum, quem tam specialibus gratiis hodie cumulasti. Sanctifica animam meam, potentias, cor et affectus, corpus et sensus meos. Fac ut omnis affectio terrena, quae tibi non placet, ex me penitus eradicetur. Nolo amplius cogitare, diligere et desiderare, nisi te solum: in te solo pono omnem spem et affectum meum: non amplius mihi, sed tibi soli vivam: ut in aeternum te possideam, O summum et unicum bonum!

Maria, mater gratiae, dulcis parens clementiae, intercede pro me, ut Filio tuo, Domino meo, talem me exhibeam, ut novis gratiis dignus ab ipso inveniar. Amen.

SUSPIRIA.

Jesu, Fili David, miserere mei.

Salvum me fac, secundum misericordiam tuam.

Frequenter recurrendum est ad fontem gratiae, et divinae misericordiae, ad fontem bonitatis, et totius puritatis; quatenus a passionibus tuis et vitiis curari valeas, et contra universas tentationes et fallaces diaboli fortiter et vigilantior effici merearis. Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile, procedere debet verbum; qui tam sepe Christi accipit Sacramentum. Oculi ejus simplices et pudici qui Christi Corpus solent intueri. Manus purae, et in celum elevatae quae Creatorem celi et terrae solent contrectare.

Desidera ex amore sustinere infatigabiliter, ita ut laborans sicut bonus miles Christi, christinae militiae incommoda, aequanimiter ac delectabiliter preferas.

Pete a Domino virtutem mortificationis et abnegationis, ne sic curras quasi in incertum, sic pugnes quasi aerem verberans; sed castiges corpus tuum, et in servitutem redigas.

ASPIRATIO. — Vivit Dominus, et vivit Dominus meus Rex; quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.

PRAEPARATIO XXVI.

O quam magna misericordia et benignitas tua, Domine qui indignae creaturae tuae permittis, non solum ad Sanctuarium tuum ingredi; sed pretiosum Corpus et Sanguinem tuum sumere! Tu Dominus omnipotens, cujus magnitudo sine limite, sapientia sine mensura, et bonitas infinita: virtus tua ineffabilis, et majestas incomprehensibilis: in judiciis tuis terribilis es, in consiliis admirabilis, perfectissimus. Et ego sum vas immundum, esca vermibus destinata, peccator ingratitudinem malitiae superaddens: in omnibus apparet miseria mea; in vanitate actionum mearum, in appetitu carnali, in pigritia et in superbia. Quomodo ergo audeo ad te verba facere O Deus, in cujus praesentia sol amittit claritatem suam; Angeli tremunt et Seraphim facies suas velant? An ergo creatura tantae indignitatis suae conscia, unietur enti tam sublimi, tam perfecto? O bone Jesu! scis indigentiam meam maximam esse, sed magnitudo misericordiae tuae excedit magnitudinem paupertatis meae. Tibi enim proprium est miseri semper et parcere. Æger sum, debilis et infirmus sum: quid ergo tutius faciam quam ad te advolare; ut tu auxilium praestes et me sanes. In vita tua mortali infirmos sanabas et curabas a languoribus. Benefica manus tua purgabat leprosos, sanabat caecos et claudos, curabat paralyticos et liberabat energumenos. Omnes, etiam peccatores, aequa benignitate sustinebas. Ad quem igitur ibo, benigne Jesu, in infirmitate et caecitate mea? Utique ad te, qui magnus de coelo medicus es: quia in te solo invenitur salvatio et remedium contra omne malum. Magna igitur cum fiducia ad altare Dei introibo: sperans a te gratiam et robur contra inimicos salutis meae, et fervorem in sancto tuo servitio.

O Jesu, spes mea a juventute mea, praebe mihi in hoc sacro convivio tuo signa tuae dilectionis, mundando me ab omnibus quae spirituali meo progressui possunt obesse. Da mihi contemptum terrenorum et ardorem ad divina. Peto hunc favorem per dolores tuos et per agoniam tuam in cruce.

O Fili dilecte Patris aeterni, agnosco te esse dignissimum

objectum amoris mei, desidero servire tibi et te diligere; si non tantum quantum mereris, saltem tantum quantum valeo: confiteor praeteritam vitam meam non fuisse satis puram, satis humilem, satis fervidam; et tamen quia poenitet me, invitas me ad amorem tuum et ad pignus amoris tui, sanctissimum tuum Sacramentum. En, bone Jesu, in amplexu tuo profiteor me nihil in posterum desiderare, nisi amare te et obedire tibi: eligo te in regem et sponsum cordis mei. Tu solus mei dominaberis, solus in me regnabis, solus diriges affectus et voluntatem. Adhuc frigescit cor meum in servitio tuo, sed accipe illud, purifica et inflamma illud, et brevi accrescet in eo charitas tua. Nolo amplius, sicut hucusque, tepide vivere; sed cum gratia tua, fervor meus brevi adaequabit ardorem devotissimorum tuorum Sacerdotum.

O Maria, mater Jesu, precare pro me, ut cum fructu sanctissimum hoc sacrificium omnipotenti Deo offeram. O sancti Patroni mei, obtinete pro me, potenti vestra intercessione, ut digne recipiam Carnem et Sanguinem Jesu. Petite pro me eamdem puritatem, reverentiam et devotionem, easdem virtutes, merita et dispositionem, quibuscum vos, in vita vestra, hoc idem sacrum nutrimentum sumpsistis, ut eumdem ex eo fructum recipiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO XXVI.

Mirare, O anima mea, insignem bonitatem magistri tui: exalta et lauda eximiam Salvatoris tui mansuetudinem. Lauda nomen ejus, quoniam suavis est Dominus. Canta canticum novum, quia mirabilia fecit: vere mirabilia: nam divinitatem et majestatem suam abscondit, ut pauperculum cor tuum praesentia et gratia sua repleat. Salve, amabilis Jesu, laetitia mea, fons omnis virtutis et destructor iniquitatis: salve, refectio animae meae, esca regalis, Panis vitae aeternae; benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi. O speciose forma prae filiis hominum, sit tibi cor meum jucunda habitatio et thronus charitatis!

Quid dicam tibi, suavissime Sponse Jesu, quid faciam pro tam admirando tuo favore? Quo magis considero eminentiam beneficii tui, eo majora video motiva gratitudinis; sed eo minus etiam me sentio aptum ad satisfaciendum tibi. Quis mihi nunc sensus, si volo me gratum praebere pro ex-

imio amoris pignore, a te hodie accepto? Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Tu dulcissimus amicus animae meae, dives in omnes, decorus et amabilis nimis, invitasti et admisisti me ad sacram mensam tuam, exquisitissimo favore et suavissima consolatione ditasti me, ligasti me vinculis specialissimi amoris tui! Num igitur revertar iterum ad amicitiam mundi? An oleum peccatoris iterum impinguet caput meum et te ad aemulationem provocabo? Absit, mi Jesu, absit! Rememorabor quia Deus adjutor meus est, et Deus excelsus Redemptor meus: propter verba labiorum tuorum custodiam vias duras: omne gaudium meum erit in te, omnis labor meus pro te; abrenuntio vanitati, superbiae et voluptati; humilitas, mansuetudo et castitas ornabunt animam meam: tu solus, O Jesu, eris omne bonum meum, thesaurus cordis mei, vera mea felicitas, pax mea et requies.

Sed, O Deus, cognoscis inconstantiam et debilitatem meam: quotidie vides quam labilis sum et quam parum fidelis in promissis; et ideo indigeo gratia tua et auxilio. Exurge itaque quotidie in occursum meum, Domine, Deus virtutum: eripe me de inimicis meis, et ab insurgentibus in me libera me. Miserere mei; quoniam in te confidit anima mea. Hodie iterum honorasti pauperculum cor meum frumento electorum: non dubito quin etiam velis illud sanctificare et illi virtutes tribuere, quae me in servitio tuo ferventem reddent. Nihil possum sine te, sed omnia in te. Adjuva me ergo, Domine, ut fortiter pugnem contra tentationes. Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii; ut educas me de laqueo quem absconderunt mihi inimici mei. Amplam a te benedictionem exspectare possum, qui animam meam tam gratiose nutrivisti: da mihi gratiam erga tantam tuam teneritudinem gratum me exhibendi, per amorem adeo ardentem et generosum, ut cor meum fiat quasi imago et speculum Divinitatis. Concede mihi fervens desiderium semper proficiendi in virtute, et firmum propositum servandi mandata tua. Da mihi spiritum orationis et obedientiae, spiritum puritatis et timoris Domini. Praebe cordi meo filialem in te fiduciam, ita ut in omnibus necessitatibus meis ad te, sicut ad tenerrimum Patrem, confugiam.

O clementissima Virgo Maria, accipe me in filium; ora pro me, adjuva me omni tempore; sed praecipue quando versor in periculo peccandi. Amen.

SUSPIRIA.

O lux, quae semper luces,

et nunquam offuscaris, illumina me.

O ignis, qui semper ardes et nunquam extingueris, accende me.

Desidera impatienter omnes fructus bonae communionis.

1. Augmentum gratiae sanctificantis et intimior unio cum Jesu.

2. Gratiae actuales ad resistendum peccato, colendum virtutem, et gratiam sanctificantem facilius conservandam.

3. Speciale robur contra tentationes.

4. Remissio venialium de quibus dolemus: immediate, seu opere operato; mediate, excitando fervorem charitatis.

5. Gaudium animae et solatium.

6. Pignus vitae eternae et resurrectionis gloriosae, ut dicit Conl. Trid. "Si quis manducaverit ex hoc pane vivit in eternum." Joan. vii.

ASPIRATIO.—Accende lumen sensibus. Infunde amorem cordibus. Infirma nostri corporis. Virtute firmans perpeti.

PRAEPARATIO XXVII.

O Deus infinitae majestatis et gloriae, juxta oraculum tuum sanctitudo decet domum tuam: aedes quas inhabitas debent esse sanctae; et ex praecepto Ecclesiae tuae, tabernacula tua et vasa debent esse munda et nitida.... Quid inde....? Ergo manus Sacerdotis quae te tangunt, debent esse sanctae; linguae quae te recipit, debet esse pura; cor quod inhabitas, debet esse sine macula! O mi Jesu, qui novisti omnia novissima et antiqua, imperfectum meum viderunt oculi tui. Ubi est sanctitudo mea, ubi puritas, ubi virtus? Ubi sunt merita quae debent ornare animam, quam in sponsam tuam elegisti? Loquar in amaritudine animae meae; dicam Deo noli me condemnare. O tu, qui tam bonus es, tam benignus et misericors, ut nec Angelorum nec hominum linguae excellentiam tuam narrare valeant; tu solus potes me facere sanctum, tu solus potes me mundare; et me dignum reddere sancta tua visitatione. Si enim ille calculus, quem unus de Seraphim forcipe tulerat de altari, solo attactu labia Isaiae ab omni iniquitate et peccato mundavit; si fimbria vestis

tuae mulieri homoroissae incolumitatem attulit; quid non efficiet ipsa salus et virtus? Quid non efficies tu, qui ideo venisti in terram, magnus de coelo medicus; ut quod aegrotum sanares: ut per Sanguinem tuum nos sanctificares, omnesque etiam minimas labes ex animabus nostris lustrica virtute depelleres. Munda me igitur, O Deus, antequam te recipiam: purifica et sanctifica cor meum potenti tua virtute; da mihi dispositionem actui tam sublimi necessariam.

O amabilissime mi Jesu, jam toties te, sanctitatis fontem, et omnis perfectionis plenitudinem, in animam meam recepi, et hucusque tam parum profeci. Per tot favores, tot auxilia gratiae tuae, deberem jam esse ignis ardens, puritatis et sanctitatis exemplar: et eheu! per negligentiam meam aeque tepidus et instabilis in servitio tuo permansi: parum aut nihil in amore tuo progressus sum: et tamen scio non progredi, regredi esse; scio non colligere tecum, dispergere esse. Miserere mei, bone Deus; ne derelinquas me: firmiter enim statuo hanc meam vivendi rationem immutare. Cor meum dolore et contritione repletum est, et paratus sum ad qualemcumque afflictionem sustinendam, potius quam in posterum te offendere, aut tibi displicere. Non timeo morbos, ignominiam, tribulationem, vel quascumque poenas, quibus me velles affligere; non timeo nisi peccatum: peccatum quod adeo inhonorat supremam majestatem tuam; quod adeo displicet Deo cordis mei; quod tantorum cruciatuum tuorum et mortis tuae causa fuit; peccatum, unicum et summum malum. Testimonia amicitiae et ferVoris, quae tibi deinceps, adjuvante tua gratia exhibebo, numero superabunt causas doloris, quas in praeterita vita mea praebui. Unicum gaudium meum, omnis voluptas mea erit amare Deum et illi soli servire: ut sic amor meus quodammodo compenset dolorem tuum cujus causa fui. Veni Domine, et noli tardare: inclina coelos tuos et descende: veni, exue me veterem hominem cum concupiscentiis suis; illumina tenebras meas, infunde in me habitus virtutum, et concede mihi amplam tuam benedictionem.

Sancta Virgo Maria, vas insigne devotionis, intercede pro me, ut devote merear suscipere, et sancte conservare donum transcendens omnem plenitudinem.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXVII.

Benedico te, Domine Jesu, ex toto corde meo, qui pauperem servum tuum iterum dignatus es confortare Pane Angelorum et Calice benedictionis. Benedico et laudo te ex omnibus potentiis meis, quia praeteritae meae ingratitudinis et infidelitatis oblitus, animam meam suavi tua consolatione implevisti, Heu! quare non semper gratum me erga tantam tuam bonitatem et misericordiam exhibui; quomodo toties eam contempsi, et gratiam tuam a me abjeci? sed nunc quum omnes amoris tui thesauros in me ultro profuderis, ingratissimus forem, si non totum cor meum tibi consecrarem. Accipe illud, O bone Jesu, quantumvis miserum et ingratum; accipe illud et absconde in sacris vulneribus tuis. Loquere illi voce tua dulci: loquere, Domine, quia audit servus tuus. Non mereor quidem sanctis tuis inspirationibus dirigi: qui tam saepe sacram tuam vocem audire renui. Si tu etiam nunc surdus esses clamori meo, quid de me fierit? Ad quem iram in necessitatibus meis? Quis mederetur tot tantisque infirmitatibus meis. Ne derelinquas me, Domine Jesu, ne discesseris a me; nam sine te vivere non valeo.

Sed pretiosum Corpus tuum, O Jesu, et divinus tuus Sanguis, quibus me hodie nutrivisti, insuper, promissa tua quae fallere non possunt, confirmant spem meam in auxilio tuo et in magna tua misericordia. Adjuva me, Deus, ut in solo tuo amore sit omnis sufficientia mea; in faciendo voluntatem tuam, omnis mea gloria; ita diligam te, ita fervide serviam tibi soli, ut possim per vivam meam charitatem reparare tempus hucusque perditum in serviendo inimicis tuis. O Deus, amo te; Redemptor mi, diligo te ex totis viribus meis. Tibi soli vivit cor meum, ad te solum suspirat, et vellet mori amore tui, qui amore amoris mei dignatus es mori. Tu, Domine, totum te dedisti pro me, moriens in pretium, et convescens in edulium: ego etiam me totum tibi trado; et cum oblatione mei ipsius, offero tibi etiam merita passionis et mortis tuae; orans te, ut per virtutem dolorum tuorum, continuo me adjuves contra insidias carnis et daemonis, et contra omne quod tibi displicet. . . . Castiga me in hac vita, ut satisfaciam pro innumeris offensionibus meis; sed praeserva me ab aeterna damnatione in altera. Hic ure, hic seca, modo in aeternum

parcas: in te Domine spero, non confundar in aeternum.

Concede mihi, mitissime Jesu, ut amem te vere et sincere, sicut amari te oportet a servo tuo, ministro mysteriorum tuorum, quem toties sacris deliciis refecisti. Sit mea maxima felicitas omnia perdere; ut te et amorem tuum lucrer. Egisti hodie erga animam meam, sicut agitur erga dilectissimam sponsam: da insuper ut possim amorem amore compensare; ut nihil me separare a te valeat. In cor meum hodie descendisti; sit cor illud clausum omnio amori terren et solis affectibus sanctis apertum; sit sanctissimo Cordi tuo adeo, unitum ut non vivam ego, sed vivat in me Jesus, Deus cordis mei.

Amabilissima Mater Maria, quae sine virginitatis detrimento Dominum concepisti, ora pro me, ut purus ab omni macula, et cum fervida charitate Deo meo serviam.

Amen.

SUSPIRIA.

Deus meus, in te confido, non erubescam.

O Maria, refugium peccatorum, ora pro me.

Considera normam et regulam vitae Christi Domini praesertim reperiri in sacris Evangeliis, ideoque a te in illis sedulo requirendum esse, et Evangelia ipsa tibi esse legenda, et meditanda.

Ad hoc plurimum conferre poterit, si quotidie capitulum aliquod ex sacris Evangeliis, aut aliis N. Test. libris attente et devote perlegas: idque exemplo St. C. Borro; nudo capite, flexisque genibus.

Aspiratio.—"Adjuva me Domine, in bono proposito, et sancto servitio tuo, et da mihi nunc hodi perfecte incipere quia nihil est quod hactenus feci."—Imit. Ch.

PRAEPARATIO XXVIII.

Charissime Jesu, quot animae a te dilectae, per virtutem hujus coelestis Panis, quo me hodie nutries, ad summum sanctitatis apicem pervenerunt: et tamen animae istae erant sicut ego, fragilis ejusdem naturae, debiles et omni tentationi expositae. O quot heroica signa dederunt patientiae, charitatis, puritatis et mortifica-

tionis! Quam pacificae erant in mediis tribulationibus, laetae in adversis, fortes in persecutionibus. Martyres tui, hoc Pane roborati, ad carceres, ad bestias, ad equuleum laeti properabant. Idonei erant ad Martyrium, quia ab Ecclesia armabantur ad praelium: tuti erant contra adversarios, quia munimento Dominicae saturitatis erant armati. Tu, O Jesu, vivebas in eis, et ideo cum gaudio fidem sanguine sigillabant.

O mi Deus, si convivium tuum tam strenuos reddebat servos tuos contra terrenos fidei hostes; quid non aget contra insultus inimicorum spiritualium; cum sit alimonia quae valet contra omnes spirituales defectus. O Redemptor animae meae, si non debeo ar mari ad praelium contra Nerones et Domitianos, multum tamen indigeo armatura tua contra domesticos hostes meos, qui quotidie minantur mortem animae meae. Quomodo enim humilis et patiens ero, nisi sumam Dominum mitem et humilem corde; quomodo purus, nisi bibam Vinum germinans virgines; quomodo fervidus, nisi nutriar Sacramento pietatis? Adjuva me igitur, Domine, dulcissima tua refectione, et esto mihi turris fortitudinis a facie inimici, ut filius iniquitatis non apponat nocere mihi.

O Jesu, Salvator, quando considero primordia nascentis Ecclesiae tuae, in qua credentium erat cor unum et anima una, in qua eo major erat cura mensae tuae, quo major erat contemptus rerum terrenarum, erubesco et in me ipso confundor. O qualis charitas, qualis fervor, quantus zelus gloriae tuae! Et ego qui eumdem panem sumo et eumdem potum spiritualem bibo, tam parum animam meam curo, et tam segnis sum in rebus divinis! Ne despicias me, O Deus salutaris meus: parasti in conspectu meo mensam adversus omnes qui tribulant me; fac ut deinceps ex illa vires et robur accipiam ad pugnandum contra hostes meos. Excita me torpentem, illumina caecum, erige claudum. Doce me facere voluntatem tuam: quia servus tuus sum; ut voluntarie sacrificem tibi, et confitear nomini sancto tuo; ut quemadmodum cervus ad fontes aquarum, ita desideret anima mea ad te, Deus: ut concupiscat et deficiat in atria tua. Pone te, Domine, ut signaculum super cor meum et trahe me post te, ut curram in odorem unguentorum tuorum. Accende in me ignem quem venisti mittere in terram. Utinam diligam te, Domine, firmamentum meum, et refugium meum et liberator meus: utinam ardentissimo Angelorum et omnium Electorum amore complectar te; ut me nihil separare pos-

sit a te: tu enim es sors mea et pars mea, Deus in aeternum, cui adhaerere mihi bonum est.

Per te accessum habeamus ad Filium tuum, O Maria, benedicta inventrix gratiae, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis, Jesus Christus, Magister et Dominus noster.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXVIII.

O quam suave gaudium inebriat animam meam, quam dulcis laetitia inundat me, O mi Jesu! ex quo introisti in cor meum: quam laetam exultationem in Deo meo experior! Suavitas donorum tuorum replet intima mea, et pax, quae exsuperat omnem sensum, custodit intelligentiam meam. Quanta erat insania mentis meae, quando quaerebam solamen extra te: quando a mundo emendicabam pacem et auxilium. Infelix ego qui toties oblitus fui Dei Creatoris mei, aurum meum obscuravi et colorem optimum mutavi. Vae mihi, si ad puniendam ingratitudinem et insaniam meam, recussasses mihi consolationem et pacem, quam nunc in consortio tuo experior! Sed tu es Deus misericors et praestabilis super malitia. Laudo et glorifico te, qui iterum Corpus et Sanguinem tuum mihi praebuisti, et sic bonum pro malo et beneficium pro ingratitudine dedisti! Quanta nunc mihi felicitas, quanta gloria est attributa; posse fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, postulare quod desidero, et obtinere quod postulo. O Jesu mi, fac ut possim tibi reddere gratias tanta tua clementia dignas. Sed quomodo rependam amorem tam excelso tuae bonitatis pignore dignum? Si animae meae facultates et amoris mei fervor adaequarent facultates et fervorem Angelicorum Spirituum, nondum aliquid te dignum promere possem. Nec incomparabilis tua bonitas ab intelligentia finitia potest capi, nec ab ente finito laudari. Sis ergo ipse in me laus et gloria tua: offero tibi te ipsum, cum omnibus meritis passionis et mortis tuae, cum omnibus potentiis et perfectionibus humanitatis et Divinitatis tuae.

O mi Jesu, brevi, quando a te recessero, iterum in mediis periculis versabor, innumeris tentationibus expositus, atque sexcentis hostibus animae meae stipatus. Tunc non sufficiens ero cogitare aliquid a me, quasi ex me, sed omnis

sufficientia mea ex Deo erit. Fac ut tunc praecipue, quando sum in periculo amittendi gratiam tuam, ob oculos habeam quanta mihi hodie fecisti, qui cor meum praesentia tua sanctificasti; ne sicut Petrus, relicto coenaculo, negem te, et cum ipso incipiam detestari et jurare, quia non novissem te. O Salvator mi, longe sit a me horribile hoc malum; sub umbra alarum tuarum protege me: vel potius, absconde me in sacris vulneribus tuis. Ibi securus latebo, quando insurgent venti tentationum et quando fluctus voluptatum conabuntur me obruere. Ubinam possem tutius latere, quam in pectore amantissimi Patris? Ubi melius vincam conatus inimicorum cordis mei, quam in sinu dilectissimi Redemptoris mei, qui est defensor et protector vitae meae, refugium meum et liberator meus? Domine, pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.

O Maria dulcissima mater mea, auxilium meum, spes et refugium peccatorum, intercede pro me ad Dominum, ut concedat mihi gratiam invigilandi sensibus meis, ne amplius culpa mea perdam ex corde meo suavissimum hospitem quem hodie recepi. Ora pro me, ut gratia ejus adjutus, purum, humilem, sanctum me servem; donec in aeternum ipsum tecum possideam.

Amen.

SUSPIRIA.

Amo te, Deus abscondite.

O mi Jesu, obliviscar omnium propter te.

Considera serio et lente peccatum veniale quod fervorem charitatis minuat, et temporalem penam mercatur.

Veniale peccatum scienter et plene volenter commissum, est magnum malum in se, quia in Deum commissum.

Peccatum veniale ex infirmitate habet quidem rationem peccati, et sicut peccatum veniale, scienter et volenter, hoc leve quidem, sed tantum comparative ad mortale vel peccatum veniale ex malitia, et consuetudine viam sternunt ad grave peccatum, et sensim ad eternam animae damnationem, spoliat animam et incipit eam removere a Deo.

Ex peccato veniale, lucrum nunquam, detrimentum semper. Cave; "a minimis incipiunt qui in maxima proruunt." "Plus plerumque latet periculi in minimis peccatis contemnendis quam in maximis."—St. Ignt.

Aspiratio.—Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

Bonitatem, et disciplinum, et scientiam doce me.

PRAEPARATIO XXIX.

O Mysterium amoris, ipsis Angelis admirandum, in quo supremum numen, quod omnia gubernat et nullius indiget, se ad humilem et nihilo proximam conditionem demittit. O Jesu, amor mi, abscondis majestatem tuam sub sacris speciebus, non tui, sed nostri causa et emolumento: nempe ut amorem tuum nobis probes, et nostrum vicissim emendices; ut nos gratia et regni tui consortes reddas. Vere es Deus absconditus, ut afflictos soleris, tentatos erigas, egentes dites, miseros protegas, languentes sanes, omnique bonorum genere immemores repleas. Idcirco potentiae tuae dignitatem abscondis, ut majori cum fiducia ad te adeamus; ut sic aptius vivis sis alimentum, medicamen aegrotis, moribundis viaticum: ut ad perpetuum hostiae statum adductus, semper vivas ad interpellandum pro nobis; verbo: ut te nobis et pro nobis, in nostros unice usus, totum quantum impendas, vere pastor bonus, qui non contentus semel in ara crucis animam tuam pro ovibus posuisse, eas insuper Corpore et Sanguine tuo continuo pascis.

O Jesu eucharistice! quis te non amet? Quis talia considerando, te ex intimis medullis non diligat? Nescio quid magis mirandum, bonitas tua erga nos, an nostra erga te indifferentia. O sol divine, dissolve glaciale frigus mentis meae, ac flammis tuae charitatis ure renes meos et cor meum, ut fugato tepore, sint lampades ignis atque flammarum, thymiama fervoris constanter adolentes.

O Domine Deus, scio unicum accessum ad sacrum illud epulum posse sufficere, ad reddendum me sanctum. Nam si debita cum pietate ad mensam tuam advolo, sedeo ad ipsum sanctitudinis fontem, imo possideo ipsum sanctitatis auctorem. Quomodo ergo post tot Communiones, adhuc ingratus peccator sum; quomodo tot naevorum sordibus semper maculatus squaleo? Deberem tamquam leo, ignem spirans, ab hac mensa recedere, factus diabolo terribilis: et recedo totus frigidus, factus ludibrium daemonis: Angelorum pane saturatus, adhuc siliquas esurio; coelesti nectare potatus, adhuc mundi aquas sitio. Defectus utique non est in cibo, sed in sumente. Fateor, Domine, culpa mea est. Quoties enim ad sanctum tuum convivium accessi sine mentis collectione, totus in exteriora diffusus: quoties ad altare tuum adstiti,

non satis cogitans majestatem Dei viventis; quoties a te recessi, sine debita gratiarum actione, in eo Judam imitatus, qui cum accepisset bucellam exivit continuo? Nonne ergo timendum est ne panis vitae fiat mihi plaga mortis; calix benedictionis vertatur in calicem furoris; auctor salutis, sit causa perditionis? Absit, O Deus! ne fiat mensa mea in laqueum mihi: sed digneris me hodie adeo inflammare visitatione tua, ut in posterum semper fervidus, semper igneus ad altare tuum accendam; ut semper ante sacrum me praeparem, prout postulat summa tua dignitas; et post illud, semper debite gratias agam, prout exigit beneficii immensitas: semper ob oculos habeam illud sapientissimi regis: cum sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quae apponuntur tibi.

O purissima et immaculata Virgo, Mater Jesu, Maria, ego recipiam hoc mane illum Deum, qui in sinu tuo castissimo carnem assumpsit. Tu, ut illum digne exciperes, praeservata es ab omni naevo culpae: et ego eum excipiam in animam tot tantisque peccatis foedatam. Miserere miseriae meae, O mater misericordiae, et saltem intuitu Filii, ut minus indigne suscipiatur, offer ei pro me tuam puritatem, humilitatem, charitatem et omnem illam praeparationem, queis ornata eras, dum in Incarnatione ipsum suscepisti.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXIX.

Salve, O fons amoris perpetui, qui sub humile tectum meum intrasti: salve, Salvator mi, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, et qui verbis ministri tui obediens, indignum cor meum satiasti! Salve Redemptoris mei purissimum Corpus, quod ex Virgine natum flagellis discerptum, spinis cruentatum, in cruce, clavis et lancea perforatum, tribus horis affixum pependit. Salve, sanctissima anima, quae Verbo hypostatice unita, summis virtutibus ornata, interminatam Patris potentiam, Filii sapientiam et Spiritus Sancti bonitatem miro nexu participatem possides. Salve, Homo Deus, Christus Jesus, beatorum delicium in terror daemonum!

Exulta, et magnas in spes exurge, O felix anima mea, quae cordis hospitio suscepisti omnipotentem Deum, qui potest et vult te reddere sanctam: modo etiam tu ipsa id serio velis. Et certe; si fa-

miliariter agens cum sancto pariter sanctus erit; an minus quid esse potes, tu, quae non solum ingressa es in Sancta Sanctorum, sed ad quam ipse Sanctus Sanctorum divertere, et non tantum in domo tua, uti apud Zachaeum; sed in ipso corde tuo mansionem facere non dedignatur? Possides intra te compendium thesaurorum Divinitatis, et quasi collectionem miraculorum Dei.

Quis poterit ergo enarrare omnia bona quae parasti in dulcedine tua pauperi Deus? Nutrivisti me Angelorum Esca et torrente voluptatis tuae potasti me. Insuper introduxisti me in cellaria tua, et in cubiculum intimae tecum consuetudinis: ubi mystico connubio mihi desponsatus, tu solus mihi omnia in omnibus es. Nunc laeva tua sub capite meo est, intellectum meum multiplici lumine illustrando: et dextera tua me amplexatur, affectum miris ardoribus inflammando. Quam dulcis est fructus tuus gutturi meo, omnes sensuum illecebras mihi insipidas reddendo. O sponse, vere candide et rubicunde, quam pinguis est panis tuus, et calix tuus inebrians quam praeclarus est! O vere sacrum convivium, in quo ubertim mens impletur gratia quin et praeterea futurae etiam gloriae mihi pignus datur: nam qui manducat hunc panem vivet in aeternum.

O sponse mi, Jesu, si Elias in fortitudine cibi illius subcinericii, qui figura tantum erat Eucharistiae, ambulavit usque ad montem Dei: quanto magis ego, qui non figuram, sed rem ipsam manducavi, ambulare debeo ad montem perfectionis et sanctitatis. Si sanguis agni paschalis, qui tamen hujus nostri non nisi typus fuit, exterminatorem Angelum ab Israëlitis avertit, quidni sperem obtinere a te, qui es verus Agnus tollens peccata mundi, contra angelum tenebrarum, qui tamquam leo rugiens quaerit me devorare, et cui resistere debeo, fortis in fide. O charissime Salvator, concede mihi hanc gratiam, ut nunquam praevaleant adversum me inimici mei, sed ut fructum vitae et immortalitatis ex Sacramento tuo capiam, et tam sublimi et sanctae vocationi meae dignis moribus respondeam; tibique puris manibus et mundo corde semper immolem Sacrificium, et reddam tibi, Altissimo, vota mea. Rogo te per merita animarum tibi placentium, quae hodie mensae tuae assident, et per sacrificia ferventiorum tuorum Sacerdotum.

Recedo a te, mi Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas, et omne bonum animae meae. Commendo me itaque tibi: intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita sola-

tium in morte viaticum, in aeternitate praemium. Benedic demum abeunti, Domine Jesu, cum Patre et Sancto Spiritu; uberemque largire gratiam amplectendi semper et in omnibus tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

O Regina Sanctorum omnium, suavissima et purissima Mater et Virgo, intercede pro me, ut semper placeam dilecto Filio tuo. O Angele mi custos, omnes sancti Patroni mei, pro tam sublimi beneficio mihi hodie collato, magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Amen.

SUSPIRIA.

Juravi et statui custodire judicia justitiae tuae.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Pete a Domino jugė exercitium Divinae presentiae, ut semper ambulans coram eo, sis perfectus, ut sicut deliciae ejus sunt cum filiis hominum; ita deliciae tuae sint cum Filio Dei. Item zelum animarum: zelus discretus "non in commotione Dominus."

"Divinorum omnium divinissimum est cooperari in salutem animarum." — St. Dions.

"Domine da mihi animas." —St. Fr. Xavr.

Aspiratio.—Omnia simul in te uno habens, lumen oculorum meorum, solatium vitae meae, te non debeo demittere a me.

PRAEPARATIO XXX.

O Jesu, infinite amabilis, unde mihi tam vili terrae vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato servo, tam prodigo filio, tam infideli sponsae tanta miseratio tuae benignitatis, tanta dignatio tuae majestatis, tanta dilectio tuae charitatis, ut me, toties a te longe aberrantem, oculis misericordiae tuae respicere, erroneum reducere, caecum illuminare, lapsum erigere, ad pacis osculum invitare, et miseram meam animam iterum suavissimo et dulcissimo Convivio tuo satiare digneris. Vere miserator et misericors es, Domine, patiens et multum misericors, et suavis universis. Agnosco, veneror, amplectorque viscera misericordiae tuae tantae erga me, omnique possibili affectu laudo

et glorifico te. Utinam te, infinito honore et amore dignissimum, semper amassem, laudassem et glorificassem! Utinam nunquam offendissem, nec offenderem posthac aeternum! Sed cheu! quam parum agnovi, amavi, glorificavi te, O bonitas infinita; quid retribui tibi, praeter innumeras offensiones, ingratitudines et negligentias? Doleo, Domine, de his, et de omnibus et singulis totius vitae meae peccatis, ex toto animo, non propter supplicii meritum aut gloriae detrimentum, sed pure propter te, Deum meum, infinite amabilem; quia tibi quem diligo, diligamque aeternum, super omnia displicent. Ardenter desidero firmiterque propono emendare omnia peccata mea, maxime haec, N., et cum gratia tua, novo fervore me tuo impendere servitio. Verum, O Domine, quid prodest haec velle; nisi tu des posse et perficere? Frustra proponit homo, nisi quem gratio tua disponit. Tu nosti fragilitatem meam, quia inops et miser ego sum, nec quidquam sine te facere possum, imo ne cogitare quidem; sed ex te uno est omnis sufficientia mea. Exurge itaque in adjutorium mihi et efficaci tua gratia vires adde, ut quod volo bonum feliciter perficere possim.

O clementissime Deus, cum tu hoc mane venias ad me, ut me sanctissimo Corpore et pretioso Sanguine pascas, ut totum quantum te mihi tribuas; aequissimum est ut ego etiam amore tui me ipsum tibi sacrificem, omnibusque quae tibi displicent libenter abrenuntiem. Concede mihi igitur, Domine, gratiam valedicendi omnibus propter te, voluptatibus et gaudiis quae non sunt in te, subsidiis et auxiliis quae non ducunt ad te. Da mihi ut hunc statum ad quem me vocare dignatus es, virtutibus illi debitis diligenter excolam, et gloriam tuam unice exoptem, et sicut tu ad me totus venis, ita ego ad te totus liber accedam, et in te sancte conquiescam.

Veniat dilectus meus in hortum suum, comedat fructus pomorum suorum. Veni desideratissime sponse Jesu, posside cor meum et accende in illo ardentissimam tuae dilectionis flammam. Veni, et fac ut purissima Caro tua emundet et purificet peccatricem carnem meam, ut quae hactenus commodi et voluptatis amans, per contactum tuum fiat in poenitentia et mortificatione assidua: Sanguis tuus, in remissionem delictorum effusus, et nunc in cibum animae meae datus, lavet et abstergat cor meum, ut fiat holocaustum purissimum divinae tuae majestati. Veni, dilectissime Jesu, et per virtutem Corporis et Sanguinis tui, junge et incorpora me tibi intime; ut tu in me et ego in te maneam: nec quidquam sit quod me nunc aut in

aeternum a tua charitate valeat separare.

O inclyta Virgo Maria, Mater divinae gratiae, quae in viis justitiae ambulas, et in medio semitarum judicii, ut dites diligentes te, et thesauros eorum repleas, ora pro me, ut Jesum, pretiosissimum omnium thesaurum, digno fervore et ardenti amore in sanctissimo Sacramento recipiam.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXX.

Benedico et glorifico te, dulcissime Domine Jesu, amabilis animae meae sponse; laudo et superexalto te, benigne Deus, qui magnus de coelo medicus descendisti, ut omnibus cordis mei languoribus medereris! Cor meum et caro mea exultant in Deum vivum, qui omnium debitorum meorum immemor, pretiosissima Angelorum esca indignam creaturam cibavit. Salve, clementissime Jesu, in visceribus meis residens, et animam meam sanctificans. Salve, Corpus Redemptoris mei, nive candidius, auro et gemmis rutilantius: salve, Sanguis, melle dulcior, nectare suavior, et omni thesauro pretiosior. Ave dulcissime et gratissime hospes cordis mei; recipe me in suavissimo tui amoris amplexu, et doce me digne tecum conversari: sed cum ego ad debite tibi gratias referendum non sim aptus, laudent te mecum et gratias agant tibi benedicta Mater tua Maria, omnes sancti Angeli et beatae animae, universi populi, tribus et linguae. Jubilent tibi pro me omnes creaturae, et misericordias tuas in aeternum concinant.

O Domine, tu noscis quam falsum et perfidum amorem erga me miserum nutrio: quam pronus sum ad quaerendum commoda mea, ad gustandum voluptates terrenas. O mi bone Jesu per virtutem hujus sanctissimi Sacramenti, quo tam benigne me refecisti, libera cor meum ab ista misera servitute, et da gratiam et lumen, ut melius cognoscam et sincerius quaeram unicam et veram felicitatem. Da ut prospera me non extollant, nec miseriae me nimium dejiciant. Sciam vitam istam esse mihi tempus probationis, non fruitionis; non illudat mihi inanis spes longae vitae, sed diligenter impendam praesens tempus in sancto servitio tuo, ne inopinate veniat nox, in qua nemo potest operari; da mihi ita vivere, ut semper sim paratus ad apparendum coram te, et cum ovibus mihi locus praestetur.

O dilecte mi Redemptor,

antequam discedam a colloquio tuo, concede mihi amplam tuam benedictionem. Deprecor te per sanctissimum Corpus tuum, de Virgine natum et hodie mihi in cibum animae praestitum: per pretiosissimum Sanguinem olim pro salute mundi effusum, et nunc in medicamen cordi meo tributum: benedic inopi et calamitoso exuli tuo; vivido tui amore accende intima mea; ut perfecte diligam te, et nihil concupiscam extra te. Reconde me in splendidam, amoenam et suaveolentem lateris tui cavernam: ut ibi feliciter obdormiens, sopore mellifluae charitatis refociller. Ego me totum tibi offero et trado: suscipe et posside me totum, O dulce solatium animae meae! Sic me tibi conjunge, sic agglutina; ut nunquam a te separari possim: sic accipe me totum; ut jugiter coram te in Spiritu Sancto delicier: ad laudem nominis tui, adhaereat anima mea post te, et suscipiat me dextera tua. Illumina me in charitate, ut omnia sensuum blandimenta amore tui respuam, et cum famula tua Gertrude exclamem: O amoenitas omnium colorum, dulcor omnium saporum, delectatio omnium sonorum, suavis amoenitas amplexuum intimorum, supereffluens abyssus divinitatis! Te omni creaturae praeeligo; propter te omni delectationi abrenuntio; pro te omni adversitati obvio: in his omnibus te unicum laudatorem requiro. Tu animae meae vita, tecum sit affectio cordis mei, vi ardoris amatorii conflata. Utinam in omni, ad quod sine te tendit anima mea, reddatur inanimata, ut in te vivida tecum arctissimo amoris vinculo colligata permaneat.

Suavis Maria, ora pro me, ut gratia Dei in me vacua non sit; sed semper in me maneat. Amen.

SUSPIRIA.

O Jesu, Agne innocens munda cor meum!

Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Pete a Domino virtutem Religionis, ut Deo cujus totus es, cultum, honorem, et reverentiam exteriorem exhibeas, eique te sincerissime devoveas.

"Resistendo igitur passionibus, invenitur pax vera cordis; non autem eis serviendo.

" Non est ergo pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in fervido et spirituali."—Imit. Ch.

Aspiratio.—Erravi, sicut ovis, quae periit: quaere servum tuum, quia mandata tua (utcunque) non sum oblitus.

PRAEPARATIO XXXI.

O Sacramentum amoris et vinculum charitatis, in quo amabilissimus Jesus se totum impendit, cum infinito meritorum suorum thesauro! O ingens nostri nihili amator Deus, an non ergo sufficit quod nos ad imaginem tuam creaveris, Angelos ad custodiam dederis tuaque tam cruenta nece ab inferis redemptos, coeli haeredes nos scripseris? Ut etiam te ipsum et quidem totum quantum, modoque tam mirando impendere, donare, prodigere, non dedigneris! Quis, obsecro, quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? O Cherubini, insolitae rei miraculum adorate! En Dominus meus fit cibus meus; divini Patris Verbum erit meum nutrimentum: sapientia Dei fit refectio animi mei. O Mortales! quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri, propter emicantem inde fulgorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur. O numen, si fas est dicere, vere prodigum tui prae desiderio hominis, cum jam totum me tibi debeam creanti, totum me redimenti, quid rependam te totum mihi in epulum offerenti? O quam ingratus forem, si mutuum tibi amorem frigidus negarem; si his flammis torpidum mentis gelu respondendo, non nisi tepidus ad hanc mensam accederem. Et tamen, proh dolor! saepe sic accidit. Saepe aruit cor meum, non quia oblitus sum comedere panem meum; sed quia ipsum non debite sumpsi; quia saepe culpa mea fructum hujus cibi coelestis impedivi, tepide appropinquando et frigide recedendo.

O amantissime Redemptor Jesu, ad pedes tuos provolutus, confiteor me saepius peccasse contra honorem huic sanctissimo Sacramento, debitum, per negligentiam meam, mentis evagationem et irreverentiam: confiteor me saepius accessisse ad hoc coeleste convivium, sicut ad mensam communem, sine debita praeparatione, ad hoc mysterium fidei, cum fide non satis viva; ad hoc Sacramentum amoris, cum corde languido, sine fervore. Recte igitur, O Deus, scrutator cordium, recte mihi negasti exquisitum illum saporem et suaves delicias, quas animae sanctae ex hoc divino alimento hauriunt; quippe qui talibus non eram dignus. Debuissem, si ferventer me praeparassem, si devote sumpsissem, et ardenter gratias egissem, a mensa tua recessisse confortatus, totus tibi consecratus et intime unitus ac in

te mutatus; et recessi debilis, tepidus, dissipatus, mundo et me ipso plenus.

Specialiter itaque hodie intendo, mi Jesu, per hanc sumptionem S. S. Corporis et Sanguinis tui, reparare praeteritas meas communiones, in quibus potuissem peccare defectu attentionis et fervoris, defectu debitae praeparationis et gratiarum actionis, vel quocumque alio modo, sicut tibi notum est. Memorare, Domine, in Eucharistia te non agere judicem implacabilem, qui vindictam exerceat; sed patrem benignum, qui in throno amoris misericordiam faciat omnibus corde contrito te rogantibus. Accipe igitur dolorem meum, desideria et proposita mea: offer te ipsum aeterno Patri debitis meis onustum, et sanguine tuo madidum; atque divina ista et superabundans reparatio et satisfactio erunt mihi in tutissimum asylum contra rigorem justitiae ejus.

O sanctissima Virgo et Mater Maria, Regina misericordiae; vita, dulcedo et spes mortalium, firmum solamen miserorum et tutissimum praesidium omnium te invocantium, tu quae singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito, et divinum omnium Reparatorem et Mediatorem Jesum nobis peperisti; ora pro me, ut dignetur omnipotens Pater hoc sacrificium de manibus meis accipere ad laudem et gloriam suam et in reparationem praecedentis mei teporis et negligentiae.

Amen.

GRATIARUM ACTIO XXXI.

O Divine Reparator et Salvator, Agne Dei immaculate, qui tollis et abluis peccata mundi: qui abundanter justitiae Dei satisfecisti pro delictis omnium nostrum, gratias ago tibi, benedico et laudo te ex intimis medullis animae meae, quia omnia debita mea tam misericorditer in te sumpsisti, et pro salute mea ultimam sacri tui cruoris guttam effudisti. Sed, O dulcissime Redemptor, qualem gratitudinem tibi nunc exhibebo, qui huic jam immenso favori tuo superaddidisti beneficium me hodie tam suaviter coelesti alimonia confortandi, ut sacratissima tua praesentia me adjuves in reparatione innumerabilium delictorum et negligentiarum, quas in praecedentibus sacrificiis coram te commisi, debili mea fide, tepida praeparatione, continuis mentis evagationibus, et frigidis aut nullis, quas tibi pro tam dulci refectione impendi, gratiarum actionibus. Age caus-

am meam apud Patrem omnipotentem, O divine Mediator, et dum in corde meo resides, illumina et dirige illud, ac doce me, indignum famulum tuum, reparare omnes negligentias et delicta mea, in eo spiritu et cum eodem fervore, quocum tu, victima salutaris, peccata omnium hominum hic in terris tulisti et reparasti. Inflamma illud divinis istis ardoribus, quibus amantissimum tuum cor flagrabat, quando hoc sacrum Sacramentum pro nobis in ultima coena instituisti. Accende in eo ardentissimam charitatem et spiritum fervoris; ut in posterum digne se praeparet ad celebrandum et sacram communionem sumendum : et tam viva fide, tanto ardore et fructu, tam sanctis dispositionibus sacrum tibi sacrificium offerat et mysteria tua sumat, ut de die in diem in dilectione tua et in perfectione magis ac magis proficiat. Accipe itaque, amantissime Jesu, gratiarum actiones et reparationes meas, quasi a te ipso procedentes : quoniam gratia et misericordia tua mihi illas inspiravere. Offer illas mecum aeterno Patri, in unione meritorum et satisfactionum tuarum, ut dignetur mihi misericorditer indulgere quidquid negligentia mea deliqui, et gratiam ac delictionem pro futuro concedere.

O suavissime sponse Jesu, dilata mentem meam immensitate tui serenissimi amoris ut rapida contemplatione attingat te, sapientiam aeternam. Misericorditer intuere me, inter calamitates hujus vitae laborantem: O unica salus mea! Amem te plus quam me; et me non amem, nisi in te et propter te : obtegat me totum dilectio tua sancta. Anima mea, dulcedine tui illecta, penitus colliquescat charitate, et tota in te transeat; ut ita quotidie maximo cum ardore te recipiat; donec mihi gratiam tribuas te in viaticum sumendi, ultimo vitae meae articulo. O Jesu, da ut moriatur anima mea morte justorum, et in hoc momento magni momenti, quando ibo in domum aeternitatis, dignare me sacra praesentia tua munire, ut in conspectu tuo appaream purus, ab omni culpa immunis, et ultimis sanctae Ecclesiae ritibus munitus, audiam dulcissimam vocem tuam: Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. Concede mihi gratiam saepius recordandi istius horae, ut sit mihi incitamentum ad bonum prosequendum et malum fugiendum, ad odiendum terrena et amandum coelestia. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?

Beatissima Maria, Auxilium Christianorum, per illas poenas quas sustinuisti in morte dilecti Filii tui, te rogo, ut materno affectu in tremenda

illa lucta mihi assistere digneris, ut animam meam exhalem in suavissimis Jesu et Mariae nominibus proferendis. Mater Dei, ora pro me, nunc et in hora mortis meae. Amen.

SUSPIRIA.

O Jesu, benedictio tua sit super me semper.

O Maria! dulcis parens clementiae, me hora mortis suscipe.

Pete a Domino plenissimam conformitatem cum Divina voluntate, ut de te gloriari possit Deus: Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

"Decet sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vitae speculo plebs commissa et elegere quod sequatur, et videre possit quod corrigat."—St. Greg.

"O vos nescitis: cujus pretii sit apud Deum unius boni sacerdotis vita."—S. C. Borro.

Aspiratio.—Praecedat Dominus meus ante servum suum; et ego sequar paulatim vestigia ejus, donec veniam ad Dominum meum.

PETITIO BENEDICTIONIS POST OMNEM GRATIARUM ACTIONEM.

Benedicat mihi indignissimae creaturae suae, Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Omnipotentia Patris conservet me.

Sapientia Filii erudiat me.

Charitas Spiritus sancti accendat me.

Ut te Deum meum, unum in substantia, et trinum in Personis, hic in terris agnoscam, amem et praedicem; in celis aeternum intuear et amplectar. Amen.

AD S. SPIRITUM.

HYMNUS DE S. SPIRITU.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, quia a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In seculorum secula. Amen.

Alius Hymnus de S. Spiritu.

Veni, sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

Veni, Pater pauperum,
Veni, dator munerum,
Veni, lumen cordium

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O Lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo Numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confitentibus
Sacrum Septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.
Amen.

LITANIA S. SPIRITUS.

Kyrie eleïson.
Christe eleïson.
Kyrie eleïson.
Spiritus sancte a Patre Filioque procedens, miserere nostri.
Spiritus Domini, Deus Israel,
Dominator hominum,
Replens orbem terrarum,
Habens omnem virtutem,
Omnia bona operans, et omnia prospiciens,
Ornans coelos, stabilis et securus,
Spiritus veritatis omnia suggerens, et distribuens,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii, fortitudinis, scientiae et pietatis,
Spiritus timoris Domini et prudentiae,
Spiritus, quo inspirante locuti sunt sancti Dei homines,
Quae ventura sunt annuntians,
Donum et promissio Patris,
Spiritus sancte Paraclite arguens mundum,
Spiritus, in quo daemonia ejiciuntur,
Spiritus, ex quo renascimur,
Spiritus, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus gratiae et misericordiae,
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram, et reddens testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei,
Spiritus suavis, benigne, super mel dulcis,
Spiritus pignus hereditatis nostrae, deducens nos in terram rectam,
Spiritus principalis, vivificans et confortans,
Spiritus salutis, judicii et gaudii,
Spiritus fidei, pacis et ardoris,
Spiritus humilitatis, charitatis et castitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac mansuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac consolationis,
Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis, ac sanctificationis,
Spiritus vitae, patientiae, continentiae, ac modestiae,
Spiritus omnium gratiarum,

Miserere nostri.

Propitius esto, parce nobis, sancte Spiritus.
Propitius esto, exaudi nos, sancte Spiritus.
A spiritu erroris, libera nos, Spiritus Dei vivi.

A spiritu immundo,
A spiritu blasphemiae,
Ab omni obstinatione et desperatione,
Ab omni praesumptione et veritatis contradictione,
Ab omni malitia et prava consuetudine,
Ab invidia fraternae charitatis,
A finali impoenitentia,
Per aeternam a Patre, et Filio processionem tuam,
Per invisibilem unctionem tuam,
Per omnem gratiarum plenitudinem, qua Virginem Mariam semper possedisti,
Per supereffluentem sanctitatis abyssum, qua in conceptione Verbi Matrem Dei inundare fecisti,
Per sanctam in Baptismo Christi apparitionem tuam,
Per salutarem super Apostolos adventum tuum,
Per ineffabilem bonitatem tuam, qua Ecclesiam gubernas, concilias Praesides, Martyres corroboras, Doctores illuminas, Religiones instituis,

} *Libera nos, Spiritus Dei vivi.*

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut in spiritu ambulemus, et desideria carnis non adimpleamus, te rogamus, audi nos.
Ut te numquam contristemus, te rogamus, audi nos.
Ut omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione, et vero spiritu conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut cuncto populo christiano cor unum, et animam unam donare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut virtutum omnium complementum nobis donare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Spiritus Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, &c., Effunde in nos S. Spiritum.
Agnus Dei, &c., Emitte in nos promissum Patris Spiritum.
Agnus Dei, &c., Da nobis Spiritum bonum.

V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.
R. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Orationes, pp. 36, 44, et Deus qui, &c.

PIAE ADSPIRATIONES AD S. SPIRITUM PRO SEPTENIS EJUSDEM DONIS IMPETRANDIS.

I.

Veni, sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Dona tuae gratiae.

Veni, O Spiritus Sapientiae! Instrue cor meum, ut sciam aestimare, et amare bona coelestia, eaque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi, aeternumque possidere valeam. Pater noster, &c.

II.

Veni, sancte Spiritus, &c.

Veni, O Spiritus Intellectus! Illumina mentem, ut omnia salutis Mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen aeternum videre, plenamque Tui, Patrisque ac Filii cognitionem obtinere merear. Pater noster, &c.

III.

Veni, sancte Spiritus, &c.

Veni, O Spiritus Consilii! Assiste mihi in omnibus instabilis hujus vitae negotiis, mentem in bonum inclina, et a malo absterge, meque per rectum mandatorum tuorum tramitem, ad optatam salutis aeternae metam dirige. Pater noster, &c.

IV.

Veni, sancte Spiritus, &c.

Veni, O Spiritus Fortitudinis! Da robur cordi meo, illudque in omni perturbatione, et adversis casibus confirma, virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, ne umquam victus a te Deo summo bono meo separer. Pater noster, &c.

V.

Veni, sancte Spiritus, &c.

Veni, O Spiritus Scientiae! Fac, ut caduca hujus mundi bona eorumque vanitatem perspiciam, et contemnam, neque aliter iis utar, quam ad tuam unius gloriam, meamque salutem: tua vero aeterna praemia omnibus rebus terrenis anteponam. Pater noster, &c.

VI.

Veni, sancte Spiritus, &c.

Veni, O Spiritus Pietatis! Cor meum ad veram pietatem, et sanctum Domini Dei mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quaeram, et in vera dilectione inveniam. Pater noster, &c.

VII.

Veni, sancte Spiritus, &c.

Veni, O Spiritus Timoris Domini! Confige timore tuo carnes meas, ut provideam te Dominum Deum meum in conspectu meo semper, omniaque solicite caveam, quae purissimis divinae Majestatis tuae oculis displicere possunt.

HYMNUS.

SS. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi coeli, et universae potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra Majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensae Majestatis.
Venerandum tuum verum et unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae, Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus Regna Coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso Sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum, Domine: et benedic hereditati tuae.
Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus Nomen tuum in seculum: et in seculum seculi.
Dignare, Domine, die isto: sine peccato nos custodire.
Miserere nostri, Domine, miserere nostri.
Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.
In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

MODUS SE PRAEPARANDI AD MORTEM.

SINGULIS MENSIBUS.

AD MORTEM SESE PRAEPARANDUM.

"Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives."
Isa. xxxviii.

Vitae nostrae ultimus actus est mors; quae, ut felix et fortunata nobis sit, cogitationes omnes atque actiones huc dirigi debent. Non potest enim male mori, qui bene vixerit. Bene autem et feliciter vivet, quicumque bene mori didicerit; bene autem mori noverit, qui in omni vita mortis memor fuerit, et ad eam se comparaverit. Cum igitur omnis scientia atque doctrina, omnis exercitatio, et dies omnes eo referantur ut novissima beata sit; de illa tanquam triumphali, tanquam aeterna, tanquam meta et termino peregrinationis nostrae, a qua felicitas dierum omnium et aeternitatis pendeat, lo-
ndum est.

equenter mortis recor-
Vides quam fuerit cordi viris sanctis mortis perpetua recordatio.

In hoc totius felicitatis nostrae cardo volvitur, ut bene moriamur; summa vero miseriarum est, si quis male vitam finierit: neque hac in parte bis peccare datur; error, si aliquis contingat, non potest compensari: semel morimur, et exinde omnia pendent: Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque locō ceciderit, ibi erit, per totam utique aeternitatem.

Beatus igitur, inquit auctor de Imitatione Christi, qui horam mortis suae semper ante oculos habet, et ad moriendum quotidie se disponit: vere beatus, quia procul dubio, in Domino morietur, amodo dicet ei spiritus ut requiescat

a laboribus. Quam infelices e contra et miseri, qui ab hoc salutari prospectu oculos mentis avertunt, in coeno terrenarum voluptatum liberius sese volutaturi! sicuti enim pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capientur homines isti in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

Fidei itaque ac rationi consentaneum esset, cum quilibet actus ultimus vitae tuae esse possit, ut juxta Ecclesiastici consilium, in omnibus operibus tuis memor esses novissimorum tuorum, et sic in aeternum non peccares. Aequum esset, ut saltem singulis diebus ad tantum opus te accingeres, ut suadet auctor Imitationis supra laudatus, mane scilicet, cogitando te ad vesperam forsan non perventurum; vespere autem facto, non audendo mane tibi polliceri, sed qualem excusationem praetendere poteris apud summum Judicem, si vel per aliquot horas in mense, soli negotio tuo, quod est negotium aeternitatis, vacare recusaveris?

Hoc est praeparationis hujus artificium, ut nempe die mensis tibi praefixa, omnibus aliis posthabitis curis, sedulo conscientiam discutiens, in hunc statum te conferre satagas, in quo optares inveniri si mors in foribus adstaret, et mox ad Dei judicium esses citandus. Hac ipsa die confessionem tuam perage quasi esses in ultimo vitae discrimine, et corpore Dominico, si hoc tibi concedatur, quasi coelesti viatico agonem tuum munire ne praetermittas.

ADMONITIO SPECIALIS.

Cum infirmus eris, Confessarium tuum mox advoca. Ab eo monita salutis audi, et exige. In oculis continenter habe effigiem Christi crucifixi, dolores tuos offer in unione dolorum ejus. Aquam lustralem ad lectum habe. Potiones medicas sume in satisfactionem delictorum. Roga praelegi subinde libellum pium idoneum. Viaticum ne procrastina. Confitere, et communica saepius, si potes. Sacram Unctionem postula, vegetis adhuc sensibus. Impera Missae sacrificium, ac eleemosynas, etiam pro vivo ad-

huc, et quidem hoc potius. Importunos omnes consolatores exclude. Cum Deo conversare. Immorare actibus fidei, spei, et charitatis ac sanctissimis nominibus Jesu, Mariae, et Joseph.

Testamentum (si quidem adhuc non determinatum) consultissime sanus feceris. In eo, animae in primis tuae miserere. Si eam tibi gratiam Dominus dare dignabitur, ut ipsum cohaeredem velis scribere, magnam arrham habes haereditatis coelestis tibi obventurae. Porro iis in pauperibus Christum magis agnosce, quos verius cognoveris servos et amicos esse Jesu Christi; sic nempe Deum magis honoraturus de tua substantia. In sanctis pauperibus beatitudo est intelligentiae. S. Hier.

MORS. CONSIDERATIO.

Primum punctum: Mors est certa. Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium. Heb. ix. 27. Pulvis es, et in pulverem reverteris. Gen. iii. 19. Haec fides et experientia docent. Qui de morte dubitaret, stultissimus haberetur. Ubinam jam formidabiles exercitus Alexandri magni, Ludovici XIV., &c.? In umbra mortis. Ubinam poetae, rhetores, legislatores, philosophi antiquitatis? In umbra mortis. Ubinam celeberrimi architecti, qui, &c.? In umbra mortis. Ubinam oratores christiani, doctores, &c., qui mundum illustrarunt? In umbra mortis. Haec extende. Ecce cani tui, dentes vacillantes, oculi tui jam debilitati, crura vacillantia, &c., mortem tibi annuntiant.

Mortuas carnes comedis, mortuorum spoliis vestiris; somnu capis (mortis imaginem) in lecto, in cubiculo, ubi fors alii jam obierunt. Depinge hyemem, arbores foliis nudatas, campanas quae mortem annuntiant, &c. Conclude cum Davide; Uno tantum gradu ego morsque dividimur. 1 Reg. xx.

Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. S. Hier.

Memoria mortis tecum semper quiescat, tecumque semper evigilet. S. Joan. Clim.

Secundum punctum: Hora est incerta. Veniet Dominus . . . in die qua non sperat, et hora qua nescit. Luc. xii. 46. Sicut fur in nocte, ita veniet. 1 Thess. v. 2.

Hic quaedam dicantur de morte subita, quae singulis fere diebus accidit in uno

alterove loco; et quidem eis, qui ad mortem parati non sunt. Eheu!

Tertium punctum: Ergo mors paratos nos semper inveniat. Et vos estote parati; quia, qua hora non putatis. Filius hominis veniet. Luc. xii. 40.

"Christiano crastinum non est." Tertul. "Latet ultimus dies, ut observentur omnes." S. Aug. "Beatus qui horam mortis suae semper ante oculos habet, et ad moriendum quotidie se disponit... Quando illa extrema hora venerit, multo aliter sentire incipies de tota tua vita praeterita, et valde dolebis quia tam negligens et remissus fuisti." Imit. Christi, l. i. c. 23.

Si musicus, semel lusurus et cantaturus, ex bono successu magnam fortunam acquirere posset; ex malo autem successu perpetuum in carcerem detrudi deberet: nonne optime se praepararet? Atqui homo semel tantum morietur, et ex bona vel mala morte dependet felix vel infelix aeternitas!

MORS IMPEDIT ADHAERERE CREATURIS.

Punctum primum: Impedit ad lectum moribundi. Moriens, si se non bene praeparavit, caliginoso et morienti oculo quaerit amicos, qui fugiunt, propter faetorem quo inficitur. Ecce manus ejus arripiunt objecta, et retinere cupiunt, quae fugiunt, ipsumque relinquunt. Ecce, O miser, tabulas et instrumenta, quibus probatur te temporalia et census possidere; vide et lege; oculi caligant, non possunt. Ecce personam, quam nimium, et cum peccato, amabas: porrige manum in signum amoris; livida manus non potest. Ecce domum; pecus, &c., eheu! cogitur dicere extremum vale. Solum mihi superest sepulchrum. Job. xvii. 1. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti cujus erunt? Luc. xii. 20.

Heu! heu! siccine separat amara mors? 1 Reg. xv. 32.

Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Ps. lxxv. 6. Non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. S. Aug.

Secundum punctum: Impedit ad sepulchrum.

Veni et vide. Joan. xi. 34. Non videbis hic monumentum Lazari, sed lamentabile sepulchrum. Veni, et vide: ecce cadaver amatoris mundi; re-

manet ipsi linteum unum, quatuor asseres et sex pedes terrae; jam in silentio clamat: Putredini dixi: pater meus, mater mea, et soror mea vermibus. Job. xvii. 14. Veni, et vide: ecce cadaver pulcherrimae illius filiae, quae, &c.; jam horride foetet. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Eccl. i. 2. Usquequo . . . diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? Ps. iv. Veni, et vide: ecce cadaver istius ebriosi et impudici, qui, &c. Dixerat vivens: Vino pretioso et unguenti nos impleamus . . . nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra . . . ubique relinquamus signa laetitiae. Sap. ii. 7. Jam poenitet, sed serius est. Veni, et vide: ecce cadaver istius sacerdotis qui Ecclesiam vexavit, et populum, "hereditatem, dedit in perditionem." Veni, et vide: ecce cadaver dominatoris illius, et cujus conspectu, sicut alterius Alexandri, terra siluit (1 Mach. i.), et expavit. Jam silet. Quid nobis profuit superbia? Sap. v. 8. Veni, et vide: ecce cadaver illius divitis avari, qui pauperes non juvabat, imo opprimebat. Cum avaro nil sit scelestius (Eccl. x.); mortuus est dives, et sepultus est in inferno. Luc. xvi. 22. Divitiarum jactantia quid contulit nobis? Sap. v. 8.

Igitur, "vanitas est divitias [peri]turas quaerere, et in illis [sper]are. Vanitas, honores ambire, et in altum statum se attollere. Vanitas, carnis desideria sequi et illud desiderare, unde oportet postmodum graviter puniri. Vanitas, diligere quod cum omni celeritate transit, et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet." Imit. Christi, l. i. cap. 1.

Exempla, &c.

Exempla quaedam (1) magnae laetitiae in hora mortis; (2) horroris et desperationis in eadem hora.

Primum punctum: Magnae laetitiae.

Generatim omnes, magno gaudio afficiuntur quando in Domino moriuntur.

Sed quidam istud animae gaudium alte manifestarunt. S. Aloysius de Gonzaga, petebat a Card. Bellarmino, an illusio non esset tam libenter mori? Audiens se ultra octo dies non amplius victurum; petiit ut Patres, Te Deum vellent recitare in gratiarum actionem.

Nesciebam tam suave esse mori, dicebat moriens P. Suarez, Soc. Jes.

Leprosus, de quo loquitur Rodriguez (Perf. Chr.), prae gaudio cantabat, quia murus corporis, quo separabatur a Deo, incipiebat ruere.

S. Hilarion abbas (21 Oct.) morti proximus dicebat: "Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope anni servisti Christo, et mortem times?" His dictis, obiit.

Quaedam religiosa, nomine Catharina, multum gemebat morti proxima. Causam petentibus respondit: Non pro me gemo, quia viginti quinque annis praeparavi me ad mortem; sed pro iis qui se non praeparant (S. Lig. Prep.) P. Sanchez, S. J., aegrotans, dicebat Patri Alvarez: "Prae dolore morerer, si scirem me adhuc uno die vivere debere."

P. Torrês, Soc. Jesu, moriens dicebat: "Nunquam existimassem mori rem tam dulcem esse; nec dubito hanc esse vocationis gratiam."

S. Theresia dicebat se mortem non timere, quia itura erat ad eum quem maxime amabat. Surin, Fond. de la Vie Spir.

B. Gerardus, frater S. Bernardi, mortuus est cantando psalmum: Laudate Dominum de coelis. S. Bern. Serm. in Cant.

Lud. de Sales, frater S. Fr. Salesii, aegrotus cum incitaretur ad resignationem, his versiculis respondit: "Sive mori me Christe, jubes, seu vivere mavis, Dulce mihi tecum vivere, dulce mori." Butler, vi S. Fr. de Sales.

Dicebat S. Vinc. a Paulo se, a tredecim annis, nunquam petisse lectum nisi paratum illa nocte mori.

Numquid S. Laurentius, cum in craticula ureretur; numquid omnes martyres; numquid omnes, qui Christum induerunt, laete moriebantur, et cum S. Paulo, cupiebant dissolvi, et esse cum Christo? Phil. i.

Secundum punctum: Horroris et desperationis.

Agag, rex Amalec, et hostis populi Dei, occisus est a Samuele, Deo jubente: Et oblatus est ei Agag pinguissimus, et tremens. Et dixit Agag: siccine separat amara mors? 1 Reg. xv. 32.

Antiochus illustris, impiisimus persecutor populi Dei, victus ejectus, moritur morbo turpiter faedo, maledictus, et exclamat: "Ecce pereo tristitia magna in terra aliena . . . et miserabili obitu vita functus est." 1 Mach. 6 et 2, Mach. 9.

Voltaire, impiorum octodecim saeculi facile princeps, qui praedixerat se post viginti annos obtriturum infamen (hoc nomine afficiebat Religionem) post annos viginti, annum pro anno, mortuus est in tam horribili rabie, ut proprium excrementum exsorbuerit. Medicus ejus se hoc vidisse testatus est.

Vidi ego impium morientem, qui, cum eum genibus flexis obsecrarem ut converteret se; necdum serius esse,

&c., furenti rabie stimulatus, horrendum in modum caepit blasphemare, et blasphemando, cunctis, qui aderant, trementibus, expiravit.

Historiae tales multae sunt, et non pauci sacerdotes illa horribilia viderunt ad lectum obstinatorum in peccatis morientium.

UT AD MORTEM DEBITE ME PRAEPAREM.

Primum punctum: Vivam ut qui quotidie mori potest, in statu gratiae.

Secundum punctum: Vivam ut qui brevi mori debet; hinc omnes actiones peragam, qualiter desideravero in hora mortis; singulis mensibus habebo diem recollectionis, &c.

Tertium punctum: Vivam ut qui jam mortuus est; soli Deo, et non creaturis, adhaerebo.

Primum punctum: quid de morte incertum? Tempus, modus, locus, &c.

Secundum punctum: Quid certum? Me semel tantum moriturum, omnia relicturum, et me pariter relinquendum.

Tertium punctum: Quid simul certum et incertum? Certum est esse felicem et infelicem aeternitatem. Incertum est qualis futura mea sit. Haec a mea voluntate dependet, cum auxilio gratiae divinae, quam petere debeo. Serpens (daemon); Evae dicebat: Nequaquam morte moriemini (Gen. iii. 4); jam homini dicit: moriemini quidem, sed in provecta aetate, et omne tempus habebis praeparandi te ad mortem. Sic hominem decipit, qui solute vivit, donec mors veniat sicut fur de nocte, et moriatur non praeparatus.

MORS. ALTERA CONSIDERATIO EXAMEN.

"Statutum est hominibus semel mori."—Heb. ix. 27.

I. Statutum est hominibus semel mori: Ita fides, ita quotidiana docet experientia. Sed quid est mori? Est transire de tempore in aeternitatem; est deserere omnia quae in mundo sunt, et in aeternum ad ea non redire;

est ire in domum aeternitatis, ut in aeternum ibi feliciter vel infeliciter vivere.

O quam aliud tunc feres judicium de creaturis omnibus quae te a Deo, fine tuo ultimo, abstraxerunt!

"O mors, bonum est judicium tuum!" In vita divitiae, deliciae, favor hominum, honores, pulchritudo et quae sunt hujusmodi, videntur magna, solida, longa, vera bona; sed cum mors illis finem imponet, apparebit quam fuerint exigua, vana, brevicula, fluxa et falsa. Dicere tunc debebis: "Transierunt omnia tanquam umbra," et cum "viris divitiarum nihil invenies in manibus tuis." Quid ergo tecum feres in aeternitatem, in qua tibi posthac semper vivendum erit? Nihilum ex omnibus quae parasti, praeter opera bona et mala: "Opera illorum sequuntur illos."

O quam crudus dolor torquebit cor tuum, quam amara poenitudo te affliget, cum cogitabis: ubi opes, quibus labores et curas omnes, impendi? ubi voluptates, in quas honorem, pecuniam, conscientiam dissipavi? Ubi luxus, lusus? Ubi nugae nugarum? Evanuere omnia, et in aeternum non redibunt. Heu me! deserendae sunt omnia quorum amore Deum deserui; et nihil mihi relinquunt, praeter vulneratam conscientiam et infructuosam poenitudinem. Omne stolidum! substantiam omnem consumpsi, ut mihi in brevi vitae via bene esset, eorum, quibus in aeternitate viverem, supine incurius. Quanta stupiditas! datum mihi est vitae tempus, ut aeternos thesauros bonis operibus compararem, et ego id omne coëmendis puerorum crepundiis et aranearum telis insanus consumpsi!

II. Statutum est hominibus semel mori! heu! terribilem veritatem! omnia fere, quae cum errore fiunt in mundo, possunt corrigi: domus collapsa potest restaurari: lis adjudicata per appellationem potest evinci: divitiae perditae per industriam possunt recuperari: bellum hoc anno male gestum, altero anno per generositatem militum potest suppleri. Verum error in morte commissus non potest emendari, quia semel tantum morimur, et si semel misere, semper misere?

Dic cum Sancto Ambrosio: "Sto inter duas aeternitates. In unam aut alteram cadam necesse est."

Dicebat S. Franciscus:
"Paradisus apertus, infernus apertus,
Christianus in medio."

Dicam ego:
Paradisus apertus, infernus apertus
Ego, Sacerdos, in medio.

III. Bene moritur Sacerdos pius, sanctus, zelosus. Videt cum gaudio finem laborum, certaminum, persecutionum. Testimonium habet bonae conscientiae: dicere tunc potest: "Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae quam reddet mihi. . . . Dominus justus judex." Credo, quod Redemptor meus vivit, quem toties fide viva, mente purâ, corde perfecto contrectavi, et in ara immolavi, atque, "ex iis, quos dedisti mihi, non perdidi quemquam.

E contra, male moritur Sacerdos malus, vitiosus, tepidus, quia recordatur quod impuris manibûs, impudica lingua, impio corde eum susceperit, quem paulo post visurus est Judicem. Eheu! quantis cum angustiis! quanto conscientiae tumultu! O mors quam amara est tali Sacerdoti memoria tua!

Eheu, quid mihi eveniet cum illuxerit ultima hora? quam consolationem haurire potero ex meis meritis? ah! quam modicam! accessi ad altare tepidissime! persolvi preces distracte! bona exempla dedi modica, scandala plurima! eheu! quid in morte fiet? O Bone Deus! actum est de me, nisi misericordia tua suppleat, quod ex me deficit. Ah! da gratiam, ut sic vivam, sicut in morte vixisse me optavero!

MEDITATIO.—DE MORTE EORUM QUI IN SACRIS MINISTERIIS VITAM TRADUXERUNT.

I. Considera quam felix, quam pretiosa coram Deo mors pii Sacerdotis, qui fideliter ministerium suum implevit, qui bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. 2 Tim. 4. Haec mors est illi finis belli laborumque omnium diviniae gloriae causa susceptorum, et initium aeternae pacis ac beatae quietis. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Apoc. 14. "Quanta est dignitas, inquit Beatus Cyprianus (lib. de Exhort. Mart.), et quanta securitas exire hinc laetum, et claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus; et aperire eosdem statim, ut Deus vidiatur et Christus!" Nonne igitur toto affectu talem mortem exoptas? Nonne in corde tuo dicis: Moriatur anima mea morte justorum, et fiant

novissima mea his similia? Num. 32. Vis mori morte justorum, vive vita justorum, opera justorum exerce, quia opera illorum sequuntur illos (Apoc. 14): dum tempus habes, operare bonum (Gal. vi.): in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple. 2 Tim. iv. Beatus utique servus, quem cum venerit dominus, invenerit sic facientem.

II. Considera e contrario, quam funesta, quam infelix, quam horrenda mors eorum qui in ecclesiasticis ordinibus vel muneribus constituti infideliter vel perfunctorie se gesserunt; qui, neglecto Dei cultu et Ecclesiae obsequio, vitiis se immerserunt, cupiditatibus obsecuti sunt, et carnis curam fecerunt in desideriis. Venient tunc in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum, et erunt decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum. Sap. iv. Sed quae tunc angustia, quis animi cruciatus, quis terror miserum Sacerdotum invadit, cum et praeteritae vitae tam inutiliter, tam culpabiliter impensae recordatur, et mortis instantis acerbos dolores persentit, et proxime futuri judicii exitum perhorrescit? Obstupesce super caecitate tot infelicium Sacerdotum, qui de istis nusquam in vita sua cogitant: vide ne de illorum numero sis.

III. Considera statutum esse omnibus hominibus proindeque omnibus Sacerdotibus semel mori. Heb. ix. In hoc enim naturae debito erit sicut populus, sic Sacerdos. Isa. xxiv. Moriendum igitur tibi est, qualiscumque sis, mortis in te sententia prolata est. Sed quo tempore, qua hora, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, non constat: poena certa est, hora incerta. Moriendum tamen est, idque semel tantum. Si pluries, si bis, quod una vice deesset, suppleretur altera: sed statutum est semel mori (Heb. ix.); et interim ex illo mortis tuae momento, salutis vel damnationis tuae pendet aeternitas. Justorum vel peccatorum morte moriendum tibi est, elige; et si sapis, dum tempus tibi est, ita vitam tuam institue, ut morte justorum mori dignus sis; et ad majorem cautelam singulis diebus, praesertim ante somnum in eo statu te ipsum compone, in eo sensu, in iis animi dispositionibus, in quibus ultimo vitae tuae momento inveniri velles.

MEDITATIO.—DE ULTIMO EXAMINE ET JUDICIO EORUM QUI MUNERIBUS ECCLESIASTICIS FUNCTI SUNT.

I. Considera et serio perpende haec Apostoli verba: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. 2 Cor. v.

Omnes, inquit, oportet manifestari, nullus excipitur, proindeque eodem momento quo ultimum vitae tuae spiritum emiseris, oportet te manifestari ante tribunal Christi, ibique omnia tua etiam occultissima patefieri, discuti, in judicium adduci. Audies tremendam illam Judicis vocem: Redde rationem villicationis tuae (Luc. xvi.), sacerdotii tui, ministerii tui, talentorum tuorum. Heu! (aiebat Job, et tu quoque longe potiori jure dicere debes) quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Dominus? et cum interrogaverit, quid respondebo illi? Job. xxxi.

II. Considera, quam exacta, quam rigida futura sit discussio illa. Ibi enim judicium tibi subeundum erit de omnibus factis, dictis, cogitatis: ibi omnia peccata tua, etiam ea quae videntur levissima, in justitiae divinae bilance expendentur: ibi non modo de propriis peccatis reddenda erit ratio, sed etiam de peccatis aliorum, quibus verbo et exemplo prodesse debebas: ibi a te inquiretur quem usum feceris bonorum omnium, naturae et gratiae, quae tibi concessa sunt; ad quid impenderis corporis tui membra et organa, animae tuae facultates, et quaecumque talenta tibi concredita: ibi judicabuntur omnes justitiae tuae (Ps. lxxiv.), id est omnes actus religionis, charitatis, et aliarum virtutum; item orationes, officia divina, sacrificia oblata: ibi ad stateram sanctuarii expendentur omnia a te facta vel omissa, in dispositione divinorum mysteriorum, in administratione sacramentorum, in praedicatione verbi divini: denique cuncta Deus adducet in judicium, et cordis tui abditissima quaeque scrutabitur in lucernis. Heu! ecce venit; et quis poterit cogitare diem adventus ejus? et quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans. Malach iii. Vigila itaque, et omni tempore ora (ut ipsemet judex monet), ut possis stare ante Filium hominis, et ejus passione intercedente tremendi illius judicii felicem exitum sortiri.

III. Considera medium optimum ad promerendam supremi illius Judicis clementiam, esse charitatis et misericordiae operibus sedulo incumbere: beati siquidem misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequenter. Igitur dum tempus habes, operare bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (Gal. vi.), et quascumque occasiones instruendi, exhortandi, consolandi, corripiendi, et quovis modo juvandi alios, eorumque saluti et bono spirituali cooperandi, etiam eleemosynis et subsidiis temporalibus, toto animi affectu amplectere; ac denique impende te ipsum pro animabus fratrum tuorum; et saepissime tibi in mentem revoca quae in supremo judicio Christus Dominus dicturus est: Quod uni ex minimis meis fratribus fecistis, mihi fecistis. Matt. xxv.

MEDITATIO. — DE FIRMO VITAE SACERDOTALIS PIE INSTITUENDAE PROPOSITO CONCIPIENDO.

I. Considera quantum nunc intersit tibi firmum vitae sacerdotalis pie instituendae propositum concipere. Certe proposito illo deficiente, vita Sacerdotis ut plurimum infrugifera, instabilis, et variis spiritualibus periculis obnoxia: sine illo proposito, omne caput languidum et omne cor moerens; et plerumque a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Denique hoc a te propositum Christus exspectat, hoc a te expetit, ut toto cordis tui affectu illi soli vivas, ad illius solius honorem et gloriam omnia tua et te ipsum referas. Vide igitur quid illi hoc a te efflagitanti respondere velis; et serio perpende divini illius salvatoris edictum: Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit meeum, dispergit. Luc. xi.

II. Considera quae sint benedictiones quae hoc propositum firmiter in animo conceptum consequantur: hinc enim provenit vera pax et tranquillitas animi; hinc in muneribus ecclesiasticis obeundis alacritas, in virtutum exercitiis delectatio, adversus tentationes irruentes robur: ex hoc denique proposito firmiter concepto et quotidie iterato, procedit perseverantia, quae est virtutum reliquarum veluti corona et complementum.

Quid igitur obstat quin hac ipsa hora, hoc ipso momento, divina gratia innixus, conci-

pias firmissimum propositum vitae tuae secundum Dei voluntatem instituendae, et ad normam muneris tibi ab Ecclesia imponendi, vel impositi componendae; illudque sic conceptum Deo offeras, et ab eo instanter per Christi merita postules, ut te in eo stabilire et confirmare dignetur; eamdemque oblationem et postulationem quotidie iterare et renovare cures, ut qui coepit in te opus bonum, ille perficiat? Philip. i.

III. Considera quomodo post propositum illud conceptum Deoque oblatum, te gerere debeas; nimirum ut serio incipias illud opere exsequi, ita ut deinceps officia et functiones ministerii tui proprias debite exercere, et virtutes quae illud maxime decent alacriter consectari, et tentationibus irruentibus fortiter obluctari, et ea denique omnia quae ad vitam pie instituendam adjumento esse possunt libenter amplecti studeas.

PROXIMA VEL QUOTIDIANA PREPARATIO AD MORTEM.

Media generalia actiones bene faciendi.

1. Ut fiant in Deo, id est, ut operans sit in gratia et caritate Dei constitutus; aliter enim opera vitae aeternae meritoria esse non possunt: quare consultum iis omnibus praemittere serium actum contritionis.

2. Ut fiant propter Deum, seu ex pura intentione illi placendi ejusque gloriam amplificandi: quae intentio non tantum operi praemittatur, verum etiam inter operandum subinde renovetur, ne paulatim incipiamus nos nostraque commoda, aut propriam gloriam spectare.

3. Ut fiant coram Deo, seu tanquam eo visibiliter praesente, quemadmodum revera praesens, et arbiter est omnium nostrarum actionum. Et ad hanc Dei praesentiam sibi imprimendam sufficit actus fidei, qua credimus Deum immensum et ubique adesse.

4. Ut fiant cum Deo, seu ad imitationem exemplaris nostri Christi Domini, quem similia agentem vel patientem nobis proponemus, et in quorum unione nostra offeremus Deo Patri. Si vero contingat nos aliquid agere quod Christus non egit, aut agere non potuit, eo quod praesupponat aliquam imperfectionem, uti est discere,

peccata sua deflere, &c., cogitemus quam perfecte id fecisset, si per impossibile illi fuisset obnoxius, &c.

5. Ut unaquaeque fiat quasi ea sola nobis esset peragenda, juxta vetus dictum: "Age quod agis." Quare, donec hanc peregerimus, excludamus omnem aliarum curam et sollicitudinem in tempus illis assignatum, ad quod juvabit etiam omnes actiones suas habere bene prudenterque distributas.

6. Ut quamcumque actionem faciamus velut post illam statim morituri, et rationem Deo reddituri; stimulemusque nos hac consideratione, quod si haec ultima foret vitae meae, qualiter illam fecisse vellem? et quidni ultima sit, cum sim mortalis, et incertus quo sim momento moriturus?

7. Post opus proderit brevis aliqua reflexio et examen, ut, si quid negligentiae, vel respectus humani, vel proprii commodi et amoris, vel vanitatis sese insinuaverit; si vero bene peractum sit, Deo gloriam et gratias deferas, eademque agendi ratione in posterum utaris.

VITIA OMNIA ERADICARE.

Media generalia ad extirpationem vitiorum.

1. Mature vitium illud oppugnandum eligatur quod tibi molestissimum est, et quasi radix aliorum, aut quo maxime proximus offenditur.

2. Ne plura simul vitia, imo ne unicum quidem totum aggrediaris, sed illud in suos actus partesque divide, et singillatim oppugna.

3. Concipe ingens desiderium illud extirpandi, considerando tum commoda quae ex illius extirpatione tibi proveniunt, tum gloriam quae Deo, gaudium quod Angelo Custodi, bonum exemplum quod proximo, confusionem quae daemoni ex ista tua victoria accedet.

4. Ut desiderium fiat efficax, mane praevide occasiones quae tibi eo die occurrere possunt istud vitium oppugnandi; propone viriliter decertare, implora Dei, Beatae Virginis, Angeli et Patroni ad hoc auxilium.

5. Ut consulas humanae fragilitati, quae victoriam desperat longa et difficili pugna obtinendam, vota tua et proposita non ultra diem aut etiam dimidiatum extendas. Si enim eo die aut saltem horis aliquot abstinere eo vitio potueris, quidni horis alteris et die altero? modo propositum tuum post tempus pugnae exactum semper iteres.

6. Oblata pugnandi occasione, sivi ea praevisa sit,

sive non, te recollige, et, revocatis in memoriam argumentis quae vincendi desiderium in te excitarunt, et praecipue quod unica fortassis haec pugna ad perfectam expugnationem et victoriam suffectura sit, generose te exerce.

7. Si in pugna succumbueris, ne despondeas animo, sed post actum humilitatis et diffidentiae tui ipsius, et veniae postulationem, resume vires cum confidentia in Deum, et novo fervore hostem oppugnare.

8. Si reipsa occasiones non offerantur, finge tibi hostem, et imaginario bello virtutem tuam explora. Valet enim haec exercitatio plurimum ad firmandas animi vires.

9. Ut pleniorem tui profectus notitiam habeas, nota quotidie numerum, non solum victoriarum tuarum, verum etiam casuum, et sequentes cum antecedentibus casibus victorias compara. Si enim hae multum illos excesserint, certissimum profectus indicium est, maxime si pares semper, multoque magis si posterioribus temporibus occasiones pugnandi fuerint frequentiores. Ita quotidie mori.

Ad acquirendam conservandamque internam pacem.

1. Stude alterius potius facere voluntatem, quam tuam.

2. Elige semper minus, quam plus habere.

3. Quaere semper inferiorem locum, et omnibus subesse.

4. Opta semper et ora, ut voluntas Dei integre in te fiat.

5. In Christo, cum Christo, et pro Christo quotidie vivere, et tanquam fortis miles crucis bonum certamen certare et sic, ad corenam justitiae iter facere.

"Cogitari vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua."

ORATIO ET PROTESTATIO.

Domine Deus, ego creatura tua redempta sanguine Filii tui, ad te venio Creatorem meum, ob quem creatus sum, ob quem vixi, propter quem et in quo mori cupio. Venio, inquam, cum fiducia, et me projicio in sinum misericordiae tuae. Quantum possum doleo, quod tui aliquando oblitus fuerim, qui nunquam oblitus es mei. O utinam te nunquam offendissem. Suscipe hoc, ab intimo cordis

mei, ardens votum, et miserere mei; scis enim, uti spero, Domine, quia amo te plusquam me, et super omnia, quae sunt et esse possunt. Scio quia cor contritum et humiliatum non despicies, neque unquam projicies me; paratum enim cor meum, Deus, facere voluntatem tuam. O felix hora, quando veniam ad te! Priusquam autem abeam, cupio Bonitati tuae toto corde offere sacrificium laudis. Gratias igitur ago tibi infinitas, quod me creare ad imaginem tuam, redimere sanguine Filii tui, toties mihi parcere dignatus sis. Quid vero tibi, Domine Jesu, retribuam pro vita et morte tua, et quod toties me pascere dignatus es corpore tuo. Abyssus miseriarum mearum invocat abyssum immensae charitatis tuae, in voce quinque vulnerum tuorum; propter haec, etiamsi occideris me, in te sperabo. Quis mihi tribuat, ut cum omni affectu coelestis curiae te laudem atque glorificem? Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Ps. cxx. Abnego omnia terrena, quia in te uno omnia habeo; abnego me, quia tuus sum ego. Pone, ergo, me juxta te, et conjusvis manus pugnet contra me. Job xvii. Et si forte contingeret vi morbi; aut hostis fallacia, aliena ab his me cogitare vel loqui, ea revoco et abjuro; et protestor coram te, Deus meus, et te, O Mater Dei et mea, Virgo Maria, et vobis, Angeli et Sancti Dei, quia in fide apostolica, catholica, Romana, vivere volo et mori. In Deo ac Domino meo Jesu Christo solo confido, et meritis ejus; et amo illum super omnia, toto corde, tota anima mea, et usque ad extremum spiritum amare volo. Quidquid contra haec, tam sanctae et tam sincera voluntate concepta, mihi hostis suggesserit, irritum esse cupio, et pro nihilo haberi desidero, totumque omnino abominor, execror, et abjuro; hocque testamentum in die judicii solum volo validum esse, quod paratus sum sanguine meo signare, pro quo, et pro te, O Deus meus, millies mori opto ut tibi vivam, cui omnia vivunt. Tibi moriar, dulcissime Jesu, qui amore mei dignatus es mori.

PRECES JACULATORIAE INFIRMORUM.

Nota.—Quamvis preces sequentes videantur morituris accommodatae, posse et debere saltem plerasque usurpari etiam ab iis, qui sunt extra periculum mortis, et tantum levi morbo laborant; ut tempore aegritudinis non vacent ab exercitatione pietatis. Nec est necesse omnes aut multas recitare; sufficit enim si una aut altera, cum pietatis sensu, saepius repetatur.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Ps. cxviii.

Deus, propitius esto mihi peccatori. Luc. xviii.

Agnosco et amplector charitatem tuam erga me; agnosco et detestor ingratitudinem meam erga te.

Respice, Domine, super hanc animam meam, pro qua non dubitasti manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Suscipe, Pater aeterne, dolores meos in unione amarissimae Passionis ac mortis dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, in quo tibi bene complacuit.

Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Jesu. S. Gertrudis quotidie tercenties sexagies quinies hoc dicebat; tot scilicet vicibus, quot sunt in anno dies.

Dignum est, ut hac hora patiatur aliquid servus tuus, pro quo ipse tam multa pati dignatus es. Thomas a Kempis.

Hic ure, hic seca, hic nihil mihi parcas, ut in aeternum parcas. S. Augustinus.

Jesu Fili Dei, sicut scis, sicut vis, miserere mei. Idiota. Jesu, esto mihi Jesus.

Piissime Jesu, pone Passionem, crucem, et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam.

Te supplex, omnium creaturarum possibilium possibili affectu, adoro, laudo, glorifico, Deus cordis mei.

Doleo ex toto corde meo, quod unquam offendi te.

Abyssus abyssum invocat; abyssus miseriae, abyssum misericordiae.

Maria, Mater gatiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Eja advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos coverte.

Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

O clemens, O pia, O dulcis, Virgo Maria.

Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Sancte Michael Archangele, defende nos in praelio,

ut non pereamus in tremendo judicio.

Sanctae Angele Dei, qui custos es mei, jam nunc in hoc discrimine tuere me.

Sancti patroni mei sanctae patronae, intercedite pro me.

Omnes Angeli et Sancti Dei, circumdate lectum doloris mei: et defendite me ab omni incursu hostis maligni.

Credo in te, spero in te, amo te, Deus meus, O summum et omne bonum meum.

Spero in misericordia tua, Domine; et in multitudine miserationem tuarum habebo fiduciam.

Amo te ex tota mente mea, et ex omnibus viribus meis; et amare te et glorificare volo in aeternum.

Mori jam denique supplex efflagito, ne unquam amplius offendam te.

Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitae meae.

Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione mea.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum!

Concupiscit et deficit anima mea in atria tua, Domine.

Veni, Domine Jesu; veni, et noli tardare.

O bone Jesu, suscipe spiritum meum.

O Jesu! O Maria! O Joseph!

PRECES AD FELICEM MORTEM IMPLORANDAM.

Domine Jesu Christe, qui te aeterno Patri, pro peccatis meis, in ara crucis immolasti, en ego N. N. licet indignissimus, de tuis tamen meritis confisus, me tibi crucifixo et et cum morte luctanti pariter immolo. Imprime cordi meo gratam et frequentem tuae passionis et agoniae memoriam, ut mei oblitus mihimetipsi moriar, et tu, Jesu, vita animae meae, solus vivas in me. Sim, obsecro, pie Redemptor, tibi patienti semper conformis; in dolore patiens, in opprobriis humilis, in expoliatione contentus, in derelictione mei perfecte subditus, ut nulla tentationum vi a te Deo cordis mei unquam divellar. Cumque, morte adveniente, jubebis me debitum naturae persolvere, absconde me intra tua vulnera, et ab hostium me tuere insidiis: ut elutis, vera cordis contritione et Sacramentorum susceptione, peccatorum maculis, de daemone et morte merear,

tecum et per te triumphare. Qui cum Patre et Spiritu Sancto, &c.

O beatissima Virgo et Mater, quae in monte Calvariae pretium animae meae vidisti, per illum doloris gladium, qui tuam tunc animam pertransivit, suppliciter peto, ut me toto vitae decursu tuo patrocinio foveas; et in tremenda mortis hora precibus juves, praesentia soleris, ac contra daemonum incursus tuearis, ut feliciter obiens Filium tuum tecum in aeternum laudare merear.

Amen.

AD SANCTUM JOSEPHUM SPONSUM BEATAE VIRGINIS.

Ave, sanctissime patriarcha Joseph, deiparae Virginis sponse, quem Filius Dei patrem suum vocabat. Tu dignus fuisti parvulum Verbum incarnatum intueri, audire, amplecti, deosculari. Tu singularis in privilegio dulcissimae sanctae conversationis cum Jesu et Maria. Sancte Joseph, qui e castissimo corpore animam immaculatam inter Jesu et Mariae brachia expirasti, nobis in mortis agone assistas, potentissime defensor; et sicut sanctitate et gloria praestas inter coelites, ita nobis sanctam impetres vitam et gloriosam aeternitatem. Amen.

AD SANCTAM BARBARAM.

O beata Virgo et Martyr, cui datum est nobis in articulo mortis opitulari, et omnes ad te pie confugientes defendere, fovere, et a mala morte per Sacramentorum susceptionem prohibere, intercede pro nobis ad Dominum, ut per sanctam vitam et beatam mortem digni efficiamur promissionibus Christi.

Intercessio nos, quaesumus, Domine, beatae Barbarae, Virginis et Martyris tuae, ab omni adversitate protegat, ut, per interventum, sacrosanctum corporis Filii tui viaticum ante diem obitus nostri, cum vera cordis contritione et integra peccatorum confessione percipere mereamur.

ALIA ORATIO IN EUMDEN FINEM.

Moriturum me certo scio. At quando, ubi, quomodo, prorsus ignoro.

Terra sum, et in pulverem et terram convertetur caro mea.

Immortalis sum animo et spiritu, et ibo carne solutus in domum aeternitatis meae. O aeternitas interminabilis! O mortis ultimum punctum, a quo pendet aeterna aeternitas!

Tu solus vitae meae Dominus et Deus es. Vivere et hodie non recuso; sed vitam nolo, si tibi et tuis obsequiis vitam meam omnem non impendam. Si me mori vel hodie jubes, mortem non recuso; moriar, ut te videam, moriar tecum, ut in aeternum vivam. Ah fiat in me, de me, circa me, et circa mea omnia, sanctissima voluntas tua, in tempore et in aeternitate.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? Domine, quid me vis pati? Domine, quid de me vis fieri? Resignationibus nostris, quaesumus, Domine, placare susceptis; et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.

Doleo, et toto corde doleo, quod te offenderim Deum meum; quia bonus es, sanctus es, amor meus es, Deus meus es.

Absorbeat, quaeso, Domine, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui ab omnibus, ab omnibus, ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris tui vivam, amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es, Deus factus homo, vivere et mori.

Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in cruce, maxime in illa hora quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam.

Libera nos, Domine, a subitanea et improvisa morte,
Libera nos, Domine, morientes a mala morte,
Libera nos, Domine, morientes ab omni peccato,
Libera nos, Domine, morientes ab insidiis diaboli,
Libera nos, Domine, morientes ab omni terrore et formidine,
Libera nos, Domine, morientes a diffidentiae et desperationis tentatione,
Libera nos, Domine, morientes a spiritu praesumptionis,

} *Secundum magnam misericordiam tuam.*

Libera nos, Domine, morientes a cordis duritie,
Libera nos, Domine, morientes ab ira tua,
Libera nos, Domine, morientes a potestate diboli,
Libera nos, Domine, morientes a poenis inferni,
Libera nos, Domine, morientes ab omni mundi, sanguinis, et carnis illecebra,

Concede nobis, Domine, morientibus susceptionem Sacramentorum,
Concede nobis, Domine, morientibus abundantiam divinae gratiae,
Concede nobis, Domine, morientibus perfectam contritionem,
Concede nobis, Domine, morientibus firmam spem et certissimam fidem,
Concede nobis, Domine, morientibus ardentem charitatem,
Concede nobis, Domine, morientibus patientiam et tolerantiam inter dolores,
Concede nobis, Domine, morientibus fortitudinem contra diabolicos incursus,
Concede nobis, Domine, morientibus perfectam cum tua voluntate conformitatem,
Concede nobis, Domine, morientibus protectionem Beatae Mariae semper Virginis, Angelorum custodiam, et Sanctorum omnium intercessionem,
Concede nobis, Domine, morientibus Sacerdotum orationes et auxilium,

Secundum magnam misericordiam tuam.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, per sanctam Incarnationem tuam,
Per sanctam Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,
Per sanctam et laboriosam vitam tuam,
Per famem, sitim, et vigilias tuas,
Per exclamationes et suspiria tua,
Per amarissimas lacrymas tuas,
Per maximos cordis tui pavores et dolores,
Per sanguineum sudorem tuum,
Per manuum tuarum colligationes,
Per opprobria, alapas, et ludibria tua,
Per acerbissimas flagellorum plagas,
Per spineam coronam tuam,
Per sacratissimas sanguinis effusiones,
Per sanctam Crucem et Passionem tuam,
Per fel et acetum a te gustatum,

Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Per quinque vulnera tua,
Per sanctam agoniam tuam,
Per animam tuam sanctissimam in manus Patris commendatam, et pro redemptione mundi a corpore separatam,
Per mortem et sepulturam tuam,
} *Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.*

Pater de coelis, Deus,
Fili Redemptor mundi, Deus,
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Per viscera misericordiae tuae,
Per merita et intercessionem Virginis et Matris Mariae,
Per intercessionem sanctorum Angelorum et Archangelorum,
Per merita et intercessionem sanctorum Apostolorum et Evangelistarum,
Per merita et intercessionem sanctorum et sanctarum Martyrum,
Per merita et intercessionem sanctorum Doctorum,
Per merita sanctorum Monachorum et Eremitarum,
Per merita et intercessionem sanctorum Sacerdotum et Levitarum,
Per merita et intercessionem sanctarum Virginum et Viduarum,
} *Moriatur anima mea morte justorum.*

Sancte Michael Archangele, Angeli nostri Custodes, et omnes sancti beatorum Spiritutum ordines, et vos beatissimi Patroni nostri N., N., N., N., N., defendite nos in praelio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Tuque, O Maria, Mater et Virgo, Mater admirabilis, consolatrix afflictorum, et Regina Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut spiritus noster, absque ulla peccati macula et poenae reatu, mereatur a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci. Amen.

ALIA ORATIO PRO FELICI MORTE OBTINENDA.

Domine Jesu Christe, vitae et necis princeps, cui et vivimus et morimur, per sacrosanctum in cruces mortem tuum precor, ut adventus in morte tuus me non dormientem, imparatum et inertem, sed vigilantem inveniat. Ne permittas quaeso me impenitentem ex hac migrare vita, et improvida morte praeoccupari; sed moriturum mature

confirmes, ac munias Catholica fide, vera poenitentia, pura confessione, digna satisfactione, et sanctissimo Eucharistiae Viatico, Oleique sancti perceptione. Cum caetera omnia me deserent, quae caduca et fluxa in hoc mundo possidentur, tu, qui cum electis tuis perpetuo manes, me non deseras, praesertim in extremo illo vitae agone, quando cum infestissimo Satana vel maxime luctandum est. Assistant mihi tum in morte Angeli tui, et migraturum adversus tentationes omnes protegant, tum in doloribus consolentur atque confirment. Vigeant in me tunc, fides, spes, charitas, et patientia. In manus tuas me, animi omnino compotem, commendem, atque in pace sancta obdormiam, ut in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparasti, secure transire possim. Memento mei, Domine, qui regnum tuum poenitenti, etiam sero, latroni promittere, ac, pro summa clementia tua, donare dignatus es.

ORATIO AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Pater aeterne, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, per omnem bonitatem tuam, te rogo, concede mihi, ut in bono perseverem et moriar in gratia tua.

Bone Jesu, per charitatem aeterni Patris, et ultima in cruce verba, quibus Patri spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitae meae.

MODUS SALUTANDI BEATAM VIRGINEM TRINA SALUTATIONE ANGELICA, QUEM IPSAMET SANCTAM MECHTILDEM DOCUIT, PROMITTENDO EI CERTUM IN HORA MORTIS AUXILIUM.

Ave Maria.

O Domina mea, Sancta Maria, sicut Deus Pater, per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, ita mihi, quaeso, adsis in hora mortis, expellendo a me omnem contrariam potestatem.

Ave Maria.

O Domina mea, Sancta Maria, sicut Filius Dei tanta te cognitione et claritate dignatus est, ut totum coelum illuminent, ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres et corrobores, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

Ave Maria.

O Domina mea, Sancta Maria, sicut Spiritus Sanctus suum amorem plene tibi infudit, ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. Amen.

MISCELLANEA SACRA SEU FORMA CLERI.

PROMPTUARIUM SACRUM ET MORALE, AD FACIENDA EXERCITIA, ALIISVE TEMPORIBUS VITAE NOSTRAE CONSENTANEUM.

"Preparate corda vestra Domino, et servite eit soli."—1 Reg. vii.

I.

DE STATU ET ELECTIONE.

Vade quoniam ego in nationes longe mittam te. Act. xxii.

Ecclesiasticae potestatis origo est Dei voluntas et Dei jussus. Ante omnia in quocumque Ecclesiae ministro requiritur Dei vocatio. Apostolus Paulus hanc vocationem pro ceterorum fundamento ponit, "Segregate mihi, in opus." Attendat hic sibi minister Dei, et vocationis suae requirat originem, ideo :

1. An jussu Dei sacerdotium suscepisti? An vero sponte sua, hominum arbitratu aut favore?

Penitentia hodie, et celeriter repares quod vocationi tuae defuerunt; humilis et supplex divinam imploret gratiam eoque abundantiorem, quid magis defuit prima vocationis gratia.

Circumspice sanctuarium Dei! Heu, quot spurii; quot in quorum mente, corde, sensibus, moribus, verbis, colloquiis, nihil apostolicum? Sunt "hi amici Dei?" Non loquimur presertem de juvinibus, vel de inexpertis, sed de pluribus, etiam etate provectis, "multitudo languentium?"

Sic quisque suum peccatum videat, sentiat, et pro dolore dicat; peccatorum primus ego sum. Sic tamen ob peccata sua sese quisque humiliet, ut in

Christum Jesum confidat et sperat, qui venit peccatores salvos facere.

Te fecit Deus exemplum gratiae, te omnibus posuit dux in deserta, medicus animarum, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt; ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate, et castitate.

Supplices hic: Da mihi, O Deus misericors, hanc veritatem agnoscere, sentire, penetrare, et ab ea penetrari.

Utquid te obliviscor unquam? utquid, aliud preter te cogito! utquid aliud sentio et amo! utquid tepidus in via salutis langueo, et non totus hac immensa charitate tua ardens, viam mandatorum et justificationum percurro.

Resolves; quid importat haec vocatio, et ad quid astringit?

Ut sicut sum Christi membrum, frater, servus et legatio; sic et de spiritu Christi vivam. Spiritu Christi in meis actionibus animer, Christi mores, vitam et exempla, imiter, "Sancti estote," consortes mei, quia ego sanctus sum; quo plus sanctus eo plus et consortes mei. Haec intima participatio spiritus Christi, haec Christi vitae imitatio totum debet esse studium meum, desiderium meum, votum meum.

O Misericors Deus, Deus clemens, qui me immeritum ad societatem Filii tui vocasti, da mihi, licet indigno ejusdem Filii tui spiritu animari, et in omnibus vivere, ut me spiritu Christi animatum et viventem, Christoque indutum, agnoscas pro filio, et in sinu tuo, ut filium recipias in eternum.

Amen.

II.

ALTERA CONSIDERATIO AD EUNDEM FINEM.

An mente saepe pervolvis vocationem tuam a Deo esse? "Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat." Joan. xv. Sicut misit me pater, et ego mitto vos. Joan. xx.

An hanc Dei vocationem et electionem "certam facere conaris per bona opera;" et "gratiam Dei, quae in te est per impositionem manuum," resuscitas? 2 Tim. i.

An consideras "formam gregis ex animo te esse debere (1 Tit.) et speculum, in quod reliqui homines oculos conjiciunt ut ex te sumant, quod

imitentur? Levia delicta in te maxima esse. Actionesque tuas cunctis venerationem adferre debere" (Trid. Sess. 22): Liber Laiciorum est vita Clericorum?

An in omnibus "te ipsum praebes exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in charitate, in fide, in castitate?" 2 Tim. iv.

"Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, quae se divino ministerio dedicarunt." Trid. Sess. 22. An aestimas vocationem sanctissimam et pro illius singulari benefico gratias Deo saepe rependis. "Gratias Deo super inenarrabili dono ejus." 2 Cor. xv. "O ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiae." S. Bern.

Hinc disce, Christi minister, quacumque fulgens dignitate, ad quid illa tibi data sit? Non ad otium et vitam mollem, sed ad opus, et ut strenue labores.

Non ad imperium et dominationem, sed ad ministerium, ut humiliter ministres?

Non ad destructionem, sed ad edificationem?

Non ad tuum proprium bonum, tuumque commodum, sed ad Ecclesiae utilitatem?

Non ad tuam gloriam, sed ad Christi gloriam, ut sanctos, et electos illius consummes?

Hinc disce, quod quid majus habes in Ecclesiae ministerium, eo magis teneris operare et ministrare.

Et ideo propter gradum tuum non extolli, aut superbiri, sed humiliare et tremere debes.

Ad quid vocatus sum? Ad opus ministerii generaliter.

In particulari autem, Christum continue et attente studere. Christus, liber intus et foris scriptus, semper a sacerdote legendus.

Intus, ipsius animus, charitas, humilitas, mansuetudo.

Foris, externi actus, patientia, penitentia, paupertas.

In hoc studio animus noster, Christi animum induat, et mores nostri vitam Christi exprimant.

III.

SPIRITUS ECCLESIASTICUS.

Quis te spiritus animat? An "Spiritus qui ex Deo est?" "Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus." Rom. viii. 9. "Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare," 1 Joan. "In-

duimini Dominum nostrum Jesum Christum." Rom. xiii. 14. An frequenti recursu ad Jesum, et seria meditatione de ejus vita, hunc spiritum Jesu Christi in te fovere et nutrire non desinis, ut dicere possis: "vivo ego, jam non ego; vivit vere in me Christus." Gal. ii. 20. An ut justus, ex fide judicas, loqueris, operaris, vivis?

An saepe renovas bonam intentionem, "ut omnes ad Jesum, et sensus dirigantur et actus?" S. Bern. Serm.

An practice ostendis, exteriora ab interioribus unctionem, vigorem et efficaciam habere debere?

An afficeris erga res spirituales, et "pietatem, ad omnia utilem" exerces? 1 Tim. iv.

"Christi bonus odor sumus Deo." Cor. ii. "Id est," dicit A'Piconio, "bona fama, verbo, exemplo, patientia." Ibid. ulterius: "tanquam thuribula incensa spargimus quocumque incendimus spiritualium, fidei Christianae odorem, et credulis predicamus et incredulis. Quasi unguentorum ampullae sumus, quanto majus frangimus, tanto ampliorem odorem Christi et Dei diffundimus ad omnes."

Ibid.: "Nolet Dei minister dum sacrum exercet ministerium, seu verbum Dei annuntiando, seu sacramento conferendo, recorditur infinitae Dei misericordiae in sua cum hominibus reconciliatione. Attendat quid sit quid agat. Dei minister est, sub Deo, et cum Deo cooperatur in reconciliandis cum eo hominibus, Christi legatus est, Christi vicem et locum tenet.

"Loquatur et agat igitur ut talis, id est, ut Dei cooperarius, ut Christi legatus, in spiritu Dei, in spiritu Christi, majori qua potest misericordia et charitate."

Ecclesiastici debent esse sancti?

Probatur ex eo, quod constituti sint in sublimi dignitate; adeo quidem sublimi et eminenti, ut SS. Patres de illa non loquantur nisi maxima cum admiratione et emphasi.

Quomodo inde infertur, quod speciali sanctitate debeant esse praediti?

Quia, ut ait S. Bernardus, monstruosa res est, gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima, ingens auctoritas et nutans stabilitas.

Allega rationem adhuc magis convincentem, cur Ecclesiastici in sanctitate et perfectione excellere debeant?

Ratio quae desumitur ab eorum, praecipue vero sacerdotum, functionibus, undequaque convincit.

Quae sunt istae functiones?

Orare pro populo, eum edocere viam salutis aeternae, remittere peccata, administrare Sacramenta, cantare Dei laudes, eique offerre tremen-

dum Missae Sacrificium: quid sublimius excogitari potest? Nonne functiones illae prorsus divinae, sanctitatem exigunt angelicam?

An etiam ex Scriptura sacra probatur obligatio Ecclesiasticorum sancte et exemplariter vivendi?

Affirmative, et quidem tripliciter: (1) Ex veteri Testamento, ubi Deus pluribus in locis specialem sanctitatem exigit a Sacerdotibus et Levitis, qui tamen tantum serviebant umbris et figuris mysteriorum quibus deserviunt sacerdotes et ministri novae Legis; (2) ex doctrina Christi et Apostolorum in novo Testamento, prout videri potest in Evangeliis et Epistolis; (3) ex qualitatibus, quas Scriptura Ecclesiasticis attribuit, et ex quibus eorum sanctitatem et perfectionem concludit.

Quae sunt istae qualitates?

En praecipuas: Christus eos vocat sal terrae, lucem mundi; Apostolus: Dispensatores mysteriorum Dei; Homines Dei; Adjutores Jesu Christi et pro ipso legatione fungentes. Malachias, Angelos Domini: imo etiam deos illos appellat Psalmista. Quae omnia indubie ad perfectionem maxime sublimem eos obstringunt.

Quid hac de re sentiunt SS. Patres?

Unanimiter asserunt eos ad sanctitatem vitae atque perfectionem specialem teneri. Unus pro omnibus sit S. Augustinus: Clericus duas res professus est: et sanctitatem et clericatum. Serm. i., de communi vita Cleric.

An id etiamnum docet Ecclesia?

Omnino; ita quidem se explicat in Concilio Œcumenico: Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Conc. Trid. Sess. 22, de Reform. cap. 1.

Quid debent facere Clerici, ut sanctitatem, quam exigit status eorum, acquirant?

Maxime haec quatuor: (1) magno zelo satisfacere obligationibus, officiis et muniis status sui; (2) diligentissime evitare omne malum et omne quod habet speciem mali; (3) exercere se in virtutibus modo perfectiori; (4) humiliter se subjicere regulis morum ab Ecclesia in suis Canonibus praescriptis.

IV.

DE PECCATIS ECCLESIASTICORUM.*

Suntne rationes speciales cur Ecclesiastici sedulo peccata evitare teneantur?

Affirmative: ut ex antecedentibus colligitur, eorum peccata ingratitudine et malitia peccata reliquorum fidelium quam plurimum superant; communiter magis scandalosa sunt seu proximo perniciosa; difficillimum est Clericis perversis seriam agere poenitentiam.

Quae peccata majori cura ac sollicitudine vitare debet Ecclesiasticus?

Oportet eum irreprehensibilem esse, atque adeo ab omni malo, imo ab omni specie mali prorsus alienum; sed prae caeteris aversionem specialem habere debet a superbia, impudicitia et gula.

Quare Clericus maxime detestari debet omnem superbiam?

Quia nullum peccatum adeo detestatur Deus, cujus minister est; quia nullum adeo directe opponitur doctrinae et exemplis Christi Domini, cujus discipulus est; quia character genuinus est reprobationis aeternae; quia initium est omnis peccati et omnium virtutum aerugo.

Quare Clericus speciali odio debet prosequi omnem immunditiam?

Quia peccatum est, quod Apostolus Paulus nequidem vult nominari inter Christianos, quanto minus inter Clericos; quia adeo hoc crimen Deo est odiosum, ut propter illud eum poenituerit hominem fecisse, mundum diluvio puniverit, et quinque civitates igne ac sulphure in cineres redegerit; quia experientia teste nullum vitium est, quod saepius et sensibilius Deus punit in hac vita, et teste S. Petro etiam nullum quod severius puniet in altera (2 Pet. ii. 9, 10); quia difficillime ab hoc viscoso luto se extricant, qui semel sunt intricati, juxta hoc Spiritus sancti oraculum: Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum. Osee v.

An immunditia non est magis abominanda in Clericis, quam in laicis?

Indubie; atque ideo praeter rationes allegatas, cur immunditiam odisse debeant, specialiter pro ipsis militant sequentes: sanctitas status quem profitentur, cui specialiter repugnat impudicitia, signanter

---

* Vide pag. 230

si in ordinibus sacris sint constituti; quia tunc eorum immunditiae habent circumstantiam sacrilegii propter votum castitatis; angelicae functiones quas exercent, praecipue dum assistunt tremendo Sacrificio, in quo immolatur Agnus absque macula.

Quare Ecclesiasticis specialiter horrori esse debet gula, seu ebrietas, omnisque noxius excessus?

Quia corpori et animae aequaliter nocet: foecunda parens est omnis generis morborum et tinea virtutum, pietatis praesertim ac fervoris; quia proximum maxime scandalizat; quia ineptum reddit Ecclesiasticum, ut functionibus suis debite fungatur, hebetudinem in intellectum, confusionem in memoriam, teporem, nauseam et pigritiam in omnes animae facultates inducens.

V.

DE VIRTUTIBUS ECCLESIASTICORUM.

Quas virtutes debent habere Ecclesiastici?

Omnes omnino; Christus omnes ab eis virtutes requirit, inquit S. Chrysostomus hom. 15, in Matth. super haec verba: Vos estis sal terrae.

Debentne excellere in fide?

Affirmative, quia sine illa impossibile est placere Deo.

Qualis debet esse illa fides?

Debet esse viva et operans; ita ut, sicuti v. g. fide divina credit Ecclesiasticus se teneri ad vitam sanctam et perfectam, ita conetur indies in virtute proficere; debet esse simplex et humilis, submissa scilicet omnibus decisionibus et definitionibus Ecclesiae.

An etiam excellere debent in spe et fiducia in Deum?

Certissime: etenim difficultates maximae et labores assidui, qui functiones eorum comitantur; tentationes violentae, quibus undequaque sunt circumdati; et pericula innumera, quibus exponuntur quotidie in medio mundi corrupti? Haec omnia eos obligant, ut unice in Domino confidant, ejus adjutorium fiducialiter praestolantes.

An Ecclesiastici tenentur multum amare Deum?

Quis ergo Deum amabit, si id non praestent ministri ejus? Quis eum diliget, si ardentissima charitate eum non diligant illi, quos amicos et fratres suos vocare dignatur? Dominus noster Jesus Christus, ut notat S. Aug., volens curam animarum conferre S. Petro, non nisi sanctum amorem ab eo

exigit. Non aliud quam amas? interrogatur; inquit: non aliud quam amo; respondenti dicitur: pasce oves meas.

An Clerici etiam religione pleni esse debent?

Cum Clerici ideo vocati sint a Deo ut fidelem ei cultum praestent, virtus religionis character genuinus esse debet veri ecclesiastici et probi ministri altaris.

Quos praesertim effectus in Clericis producere debet virtus religionis?

Tremenda religionis nostrae mysteria et mira Dei magnalia, sancto quodam timore, maxima reverentia et tenerrimo amore eos replere debent, atque excitare, ut omni cura et sollicitudine Dei cultum promoveant, signanter in Officiis divinis, templorum et altarium ornatu, &c.

Quomodo debent se habere Ecclesiastici erga virtutem humilitatis?

In hac sancta et pretiosa virtute omnes suas delicias constituere, in continua ejus praxi fortitudinem et solatium quaerere debent.

In quibus consistit Clerici humilitas?

In eo, ut humiliter de seipso sentiat, nulli se praeferens, omnibus se postponens; ut amet solitudinem et vitam absconditam cum Christo in Deo; ut servet modestiam et simplicitatem in vestibus, et omnibus exteriorbus suis.

An etiam peculiari ratione obedientiam practicare debent Clerici?

Omnino tamquam genuini discipuli divini et amabilissimi Magistri, qui fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et praeterea in ordinatione ad Sacerdotium Episcopo suo reverentiam et obedientiam solemniter promittunt.

An Ecclesiastici non egent specialiter mansuetudine, affabilitate et benignitate?

Egent quam maxime: nihil enim adeo idoneos eos reddit ad sanctificandum alios, quam hae virtutes; illis imbuti S. Apostolus Paulus et S. Franciscus Salesius, omnibus omnia facti, infinitas animas Christo lucrifecerunt; imo ipsemet Christus hoc innocenti stratagemate usus est, ut homines ad sui sequelam perduceret, atque in virtute mansuetudinis aeque ac humilitatis seipsum in exemplum dedit Apostolis, dum ait: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Matt. xi. 29.

An Ecclesiasticus non debet habere amorem omnino specialem pro virtute castitatis?

Sine dubio. Praeclaram hanc virtutem conservare debet tamquam thesaurum immensi pretii; quia status quem profitetur, votum castitatis implicitum ordinibus sacris annexum, et functionum suarum sanctitas, eum obstringunt, ut vivat in puritate prorsus angelica.

Quid oportet facere, ut castitas conservetur?

Oportet illam quotidie humiliter a Deo postulare, dicendo cum S. Augustino, lib. x. Conf. cap. 29: Castitate, Deus meus, accende me! continentiam jubes: da quod jubes, et jube quod vis? vitare otium, quod pulvinar est diaboli, parens omnium vitiorum, sed maxime impuritatis; mortificare quinque sensus, praecipue visum, ad exemplum S. Job: Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine (Job xxxi.); et gustum, vitando omnem excessum in cibo et potu; quia corpus laute nutritum rebellat adversus spiritum; statim ac tentatio contra castitatem insurgit, vel mala cogitatio incidit, illam excutere ut scintillam ignis, cor ad Deum elevare et ad alia se convertere, juxta consilium S. Aug.: Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.

An non sunt alia quaedam media ad conservandum castitatem idonea?

Accipe haec quatuor. Primum: frequenter accede ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae: hoc posterius a SS. Patribus vocatur, et, ut effectus demonstrat, revera est vinum germinans virgines; illud vero, seu frequens confessio, foecundissimus fons est puritatis, ut praeter experientiam quotidianam, confirmat consensus unanimis asceticorum et scholasticorum.

Secundum: diligentissime devita signanter frequentationem personarum alterius sexus, ad litteram observans hanc regulam S. Basilii: Cum mulieribus sermo brevis, rarus et rigidus habendus est.

Tertium: tenera devotione semper colas sanctissimam humanitatem Jesu Christi, sanctissimam Virginem ejus Matrem, S. Josephum.

Quid judicandum de lusibus?

Sub certis restrictionibus possunt esse liciti: si tantum ludatur ad animi relaxationem, studiis aut functionibus fatigati; si non sit periculum acquirendi habitum vel propensionem ad lusum, quae cognoscuntur adesse, si studia, functiones aut alia negotia exinde patiantur, aut spiritus devotionis et fervoris minuatur; si non nimis diu ludatur cum dispendio pretiosissimi temporis; si solummodo ludant pro minutis summulis, sine periculo amittendi notabiles; si talibus ludis tantum se occupent, qui per leges Superiorum non sunt prohibiti.

VI.

ORDO VITAE.

"Ordo ducit ad Deum. S. Aug."

An aliquam vitae ordinem tibi praescripsisti? Gravissimi momenti hoc punctum est quod caetera complecitur, et sine quo, caetera aut nulla, aut parva esse noscuntur.

"Mens mutabilitatis suae pondere, ad aliud semper impellitur quam est, et nisi in statu suo arcta custodiae disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur." S. Greg. M.

An in spiritu poenitentiae et fervoris hunc vitae ordinem in rebus spiritualibus, in studiis, in functionibus sacris, in ipsis rebus domesticis praescriptum, sedulo observas?

Illum tantum diem vixisse computa, quem sine ulla regulae transgressione duxisti.

"Custodite ordinem, ut ordo vos custodiat." S. Bern.

Confessarii sacerdotum, omni qua possunt ope, hoc punctum urgeant.

In variis synodis praescribitur Clero ordo diei; et in hoc ordine diei praescribitur "quotidiana meditatio, lectio spiritualis, examen conscientiae."

Specialem autem curam habebit, ut cum externa regularum observantia jungat spiritum internum; non ad oculum serviens, sed omnia faciens ad majorem Dei gloriam, et etiam nihil omittens ex respectu humano. In precibus et exercitiis spiritualibus semper attentus et devotus, meditationem et lectionem spiritualem pii libri nullo die praetermittet, tempora studii exacte implebit, in recreationibus semper erit modestus et exemplaris et vigilans.

VII.

MEDITATIO.

"Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis." Gen. xviii.

"Lex tua meditatio mea est." Ps. cxviii.

An quotidie meditaris? ut hoc diligenter facias memor sis meditationem quotidianem mandari ab omnibus devotis et Scriptoribus. Nec mi-

rum, siquidem hoc sanctum opus et SS. Patres, et ordinum institutores, et sancti viri ecclesiastici omnes, maximi fecerunt semper, et suis praescripserunt.

An serio perpendis profectum tuum spiritualem ex meditatione procedere, et absque meditationis exercitio nullum, secluso miraculo Dei, ad Christianae religionis normam pertingere? "Nam. consideratio regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus." S. Bern.

P. Mag. Avila. a sacerdotio sucipiendo avertebat eos, qui meditationi dediti non erant.

An in Christo praecipue consideriationis obtutus figis, mores ejus observas, eloquia meditaris? B. Laur. Just.

S. Xaverius singulis mensibus vitam Jesu Christi in meditatione percurrebat.

An diligentur observas annotationes pro meditatione bene perficienda? Ejusmodi sunt: praelegere meditationem vespere, praefigere puncta, fructum, tesseram. Mane inter surgendum mox meditationis materiam recolere.

Confessarii sacerdotum meditationem, si opus est, pro poenitentia aliquando imponant.

Servetur hic methodus.

Unusquisque se constituat in praesentia Dei.

Humiliet se et actum contritionis eliciat.

Gratiam ad bene meditandum imploret.

Finem particularem sibi praefigat.

Actum adorationis exerceat.

Attente consideret et mente revolvat puncta Meditationis, anteriori vespere praelecta aut quae tunc recitantur, et illa sibi applicet reflectendo ad dispositiones suas, &c.

Affectus, conformes veritatibus quas consideravit, et reflexionibus quas fecit ad seipsum, devote eliciat.

Quid intelligis per resolutiones?

Sunt actus voluntatis orti ex considerationibus et affectibus, quibus firmiter proponimus, juvante Dei gratia, exequi certas praxes virtutum vel bonorum operum, quas concepimus nobis necessarias esse aut utiles.

Quaenam observanda sunt circa resolutiones?

Ut non nimis multae sint, quia sic mentem confunderent: melius est quotidie paucas facere, easque fideliter in praxim deducere; non sufficit quod sint generales, sed debent esse omnino particulares quoad tempus, personam, actiones, &c., ita ut resolvat meditans, quid in talibus individuis circumstantiis sit dicturus v. g. vel acturus; efficaces esse debent, ex resoluta et generosa voluntate procedentes; ideoque eas in charta quandoque describe, ut sic magis memoriae imprimantur et eas postea relegere possis ad voluntatem firman-

dam; resolutiones illas comitari semper debet magna diffidentia de seipso et firma confidentia in Deo.

Quid fieri debet in conclusione meditationis?

Oportet Deo gratias agere pro beneficiis, piis inspirationibus et motibus gratiae; veniam petere de defectibus admissis; eum rogare, ut benedicat bonis nostris propositis, praesenti diei, vitae nostrae et morti; assumere ex punctis meditatis illa quae animum magis affecerunt, ut de die ea aliquando mente revolvamus; resolutiones nostras omnemque orationis fructum B. M. V. commendare, recitantes in hunc finem: Sub tuum praesidium confugimus, &c. aut Pater et Ave.

Benedictus XIV. concessit Indulgentias plenarias semel quolibet mense lucrandas, etiam applicabiles defunctis, omnibus et singulis qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, per totum mensem, orationi mentali dabunt operam: modo illo die quo cupiunt lucrari Indulgentias plenarias, omnibus consuetis conditionibus satisfaciant; scilicet vere poenitentes et confessi, SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro Christianorum Principum concordia, &c., pias ad Deum preces fuderint.

Similiter concedit tales plenarias Indulgentias omnibus et singulis, qui in Ecclesiis aut alibi, publice vel privatim, quoscumque homines orare et meditari docuerint, aut hujusmodi doctrinae interfuerint; insuper singula vice qua id praestiterint, concedit Indulgentias septem annorum et totidem quadragenarum. Praefert autem Pontifex ille, ut oratio illa mentalis fiat in communi, quia, ut dicit ex S. Chrysostomo: "In oratione cum fratribus plus aliquid habetur, videlicet concordia, conspiratio, amoris conjunctio et charitatis clamor felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexae, validiores in coelum evehuntur."

VIII.

DE LECTIONE PIA ET DE OFFICIO DIVINO; SIVE DE HORIS CANONICIS.

An quotidie instituis lectionem piam? Attende lectioni (1 Tim. iv.), imprimis Scripturae sacrae, quae a S. Ambrosio liber sacerdotalis nominatur.

An e libris asceticis conaris acquirere scientiam sanctorum, tum tibi, tum aliis ducendis maxime necessariam? Scientia haec caeteras scientias vivificare, illisque unctionem et efficaciam subministrare debet.

An in legendis libris piis veritatem quaeris, non elo-

quentiam: utilitatem potiusquam subtilitatem.

I. Officium divinum.

Est praestantissima inter orationes vocales, undecumque spectetur, sive ex parte materiae, sive ex parte formae, finis causae efficientis aut exemplaris.

Est Deo acceptissima, qui in ea spectat Christum et Ecclesiam ejus sponsam, non indignos ministros.

Eidem maxime gloriosa, utpote nomine et vice Christi ab Ecclesia oblata.

Iis quibus imposita est debet esse commendatissima, utpote proprium eorum officium, Angelis ipsis aemulandum.

II. Requiruntur dispositiones internae et externae.

III. Externae dispositiones sunt.

Diligentia in tempore conveniente, praeveniendo potius quam differendo, ad quod habeatur hora fixa et determinata, quae, si quando impediatur, sollicita cura suppleatur.

Modestia in situ et modo orandi, pacatè, sine festinatione. Tranquillitas, colligendo se ante recitationem, et evitando turbationem. Studium et applicatio animi, tanquam ad rem gravissimam et maxime seriam.

IV. Dispositiones internae, seu virtutes hoc exercitium comitantes sunt: Puritas cordis seu conscientiae munditiea, ne impedeatur meritum, et ut evitetur illud: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas? &c. Ps. xlix.

Humilitas, dicendo ex corde cum Patre credentium: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Gen. xvii.

Attentio animi ad verba, ut bene, distincte, decenterque proferantur; ad sensum, ut cogites quid dicas, quantum potes; saltem ad Deum, quem oras aut laudas. Defectus attentionis, si sit voluntarius, ut saepe, institutum Ecclesiae evertit, fructum orationis evacuat, eamque in peccatum convertit.

Devotio sive applicatio cordis, intrando in affectus eorum qui has precationes condiderunt, imo in affectus Christi, Ecclesiae, fidelium omnium quorum vices geris.

V. Media ad has virtutes excitandas et fovendas sunt consideratio, cautio, et methodus.

Primo: Igitur considera ferquenter et serio, obligationem strictam, cui non satisfacis nisi bene recitando; tempus longum perditum, si male recites; personam quam sustines, cum quo et ad quid loquaris; concentum Angelorum laudantium Deum, ut aemuleris.

Secundo: Has cautiones ad-

hibe; assume tempus sufficiens, ne coarcteris et cogaris festinare; locum quietum et a strepitu remotum, ne distraharis; situm fixum et sine agitatione, ne tuberis; omnia prius quaere, praevide et annota: recita ex libro, non de memoria; nunquam abrumpe absque vera necessitate; vide ne situs commodus conciliet somnum; ad occurrendum oblivioni, quaere ante decubitum, in examine et extra, an penso diurno satisfeceris.

Tertio: Methodus ad recitandum Officium sit quasi ad meditationem.

Adveniente hora, animum collige, et praepara, cum fide dicens: In conspectu Angelorum psallam tibi. Ps. cxxxvii.

Praevisis omnibus, recita ex Breviario orationem praeparatoriam: Aperi, Domine, os meum.

Praeludia adhibe toti officio congrua; pete gratiam specialem convenientem.

Psalmos nocturnorum ad tres Personas Divinas seorsim dirige et refer; in Lectionibus audi Prophetas, Apostolos et alios Scriptores sacros, et Deum per eos loquentem: in Responsoriis Angelis te adjunge: in Orationibus Ecclesiam indue, ut minister.

Inter recitandum, excita in te affectus fidei, spei et charitatis, gaudii, timoris, ad quos psalmus et hymnus invitat, in progressu, fervorem intende; juxta gradationem, petite, quaerite, pulsate.

Absoluta psalmodia, reflecte et examina; si bene successit, gaude et gratias age; si minus bene, dole et veniam pete, fructumque collige, et ad erratorum indulgentiam consequendam, recita orationem: Sacrosanctae et individuae Trinitati, &c.

IX.

BREVIARIUM.

An Breviarii recitationem consideras ut magnam obligationem sacerdotis, ut orationem ecclesiae, quae ejus nomine per sacerdotem Deo offertur, pro fidelibus, et imprimis pro ipso sacerdote, cujus est sustentaculum et ornamentum?

Pro universo terrarum orbe legatus intercedit apud Deum. S. Chrys. de Sacerd.

An digne, attente, ac devote Breviarium recitas, in unione illius divinae intentionis, qua ipse Christus Dominus in terris laudes Deo persolvit?

"Si psalmus orat, orate; si gemit, gemite; si sperat, sperate." S. Aug. in Ps. xxx.

An occasionem non praebes multis distractionibus?

"Quomodo te audire postulas, cum te ipsum non audias?" S. Cyprian, Serm. de orat. Dom.

"Plus placet Deo latratus canum, quam oratio talium clericorum." S. Aug.

An horas in ultimum tempus sine causa sufficienti non differs, illasque tunc cursim absolvis? an non differs Matutinum et Laudes usque post Sacrum. Vid. Bened. XIV., de Sacrif. Miss., sect. 2.

In hac sacra functione quomodo procedas? Memorare bene verba Apostoli (B. Pauli Cor. ii. 11) "ut non circumveniemur a Satane non enim ignoramus cogitationes ejus." Bene recordati sumus reflectiones R. P. Berd. A. Piconio (Trip. Expos. Epis. B. Pauli), hic: hujus callidi serpentis astutias et dolos, quibus nos omnes, tum prelatos, tum Sacerdotes a Deo conantur adducere, variae sunt et oppositae ejus in nos machinationes, modo illecebris, modo lenitate, modo serveritate nos impugnat Hoc bene D.Thos. expressit dicens. "Diabolus enim multos decipit, quosdam silicit trahendo ad peccatorum perpetrationem, quosdam vero ad nimiam contra peccantes rigiditatem, ut si non potest eos habere per perpetrationem facenorum, saltem perdat quos jam habet per prelatorum austeritatem, qui eos non misericorditer corrigentes, in desperationem inducunt et sic nos perdit, et illos diaboli laqueos includit."

Hoc dictum bene recordetur
"Non vox, sed votum."
"Non cordula musica, sed cor
Non clamans, sed amans
Cantet in aure Dei."

An non facilius, pro minima re, interrumpis? Cum ex ferventi recitatione Breviarii sequatur sacerdotum et totius Ecclesiae bonum; ante recitationem aliquantulum subsiste, et orationem praeparatoriam cum reflexione dicas. Ante orationem praepara animam tuam. Ecclis xvii. 23. De situ et modo recitandi officium haec perpende. Miroir du Clergé:—Un maintien décent, respectueux, recueilli, contribue beaucoup à exciter les pieuses affections du cœur. C'est la réflexion de S. Augustin: "Orantes, de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus vel etiam posternuntur, et si quid aliud visibile faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei

pandatur animus. Sed hinc magis se ipsum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius atque ferventius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri nisi motu animi praecedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis qui eos facit, augetur; ac per hoc cordis affectus qui ut fierent ista praecepit, quia facta sunt, crescit." Par le même principe de la correspondance intime entre lâme et le corps, un maintien dissipé, une posture lâche, entretiennent la dissipation de l'esprit et fomentent l'indévotion du cœur.

Entrez-vous dans le sens des psaumes et des autres prières qui composent l'office divin? Tâchez-vous de vous pénétrer des sentimens qu'elles renferment?

L'Eglise, à la vérité ne l'exige pas. "Requiritur," dit le P. Antoine à ce sujet, "attentio interna ad Deum seu res divinas, vel ad sensum verborum, vel saltem ad verba ut laudes Dei, orationem, et pias affectiones continentia, considerando Deum praesentem cum pio humilique ad ipsum affectu, intendendo per illa Deum orare ac laudare, atque omnem voluntariam distractionem rejiciendo." Mais la pratique que nous recommandons ici a été recommandée par les Pères. On connaît ces paroles de S. Augustin: "Si orat psalmus, orate, et si sperat, sperate, et si timet, timete. Omnia enim quae hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt." Celles de Cassien ne sont pas moins expressives: "Omnes psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, ut eos non tanquam a propheta compositos, sed velut a se editos, quasi orationem pro priam profunda cordis compunctione depromat." S. Bernard a dit après eux: "Nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis."

X.

DE RECTITUDINE INTENTIONIS.

Recta Intentio: "Nimirum," inquit S. Lig., "desiderium vacandi divinae gloriae et saluti animarum, non suum," ut ait S. Bernardus, "honorem querendi proprium; aut corporis voluptatem; quae sua sunt; non quae Jesu Christi."

"Non quero gloriam meam,

sed ejus qui me misit." "Itaque nos neminem novimus secundum carnem." 2 Cor. v. Sic Apostolus se defendat contra pseudo apostolorum calumnias. Nec studuit aliis hominibus placere, sed gloriam Dei et proximorum salutem in omnibus operibus et verbis quisivit.

O divinum agendi modum? Deum in omnibus spectare, diligere, intendere: propter Deum salutem proximi omni studio procurare? Talis fuit Apostolorum agendi modus. Quis tuus?

An carnaliter, an spiritualiter agis?

"Si (Gal. i.) hominibus placerem, Christi servus non essem." Perpende hoc judicium terribile?

Disce, studium placendi hominibus, aut amorem humanae gloriae, fontem esse corruptionis evangelicae, preterquam invidiae, et dissindentiae inter fratres. Verus minister Dei ab omni humanae gloriae affectu liber est; Deum unice quaerat, dum sacrum ministerium exercet, aut verbum Dei annuntiando, aut sacramenta conferendo, recordetur infinitae Dei misericordia, in sua cum hominibus reconciliatione. Christus legatus est, Christi vicem et locum tenet semper, et in omni loco et occasione; loquatur et agat igitur ut talis, id est, ut Dei cooporarius, ut Christi legatus, in spiritu Dei, in spiritu Christi, majore qua potest misericordia et charitate.

Itaque cor tuum diligenter examina: si non sit unice Dei, Dei non est?

Unum uni, una uni, unum cor uni Deo, una anima, uni sponso: Christo.

An studeas operibus et verbis intentionum tuarum rectitudinem declarare, et omnem etiam minimam de tua doctrina, motivis, auctoritate, &c., suspicionem purgare? Haec est aliquando necessaria, presertim, his alienis temporibus in Evangelii ministro, ut in Ecclesia Dei verbum vitae fructificet, et ministerum sacerdotale similiter fructificet.

MODUS GENERALIS RECTE FACIENDI QUAMLIBET ACTIONEM.

Tria servanda sunt ante quamlibet actionem.

I. Excitandum est desiderium vehemens debitam diligentiam in suscepta actione adhibendi:—quale est hoc. Bone Deus, desidero medullitus amare te, quantum possum, in hac actione; vel exercitio ministerii divini.

II. Debet dirigi in Deum finem ultimum, aut saltem fieri ex aliqua

supernaturali intentione, qua mediante, in Deum referatur. Idcirco optima intentio formanda, imo plures ad majus meritum, eidem actioni praefigendae:—*v. g.*

1. Ut Deum honorem et sanctificem.
2. Ut merear regnum coelorum.
3. Ut faciam voluntatem Dei.
4. Ut impetrem quotidiana corporis et animae bona.
5. Ut dimittantur mea debita, seu peccata.
6. Ut non incidam in tentationes et periculum peccandi.
7. Ut ab omni malo culpae et poenae liberer.
8. Ad honorem Beatissimae Virginis, totiusque Ecclesiae triumphantis.
9. Ad utilitatem meam, amicorum, inimicorum, totiusque Ecclesiae militantis.
10. In auxilium fidelium defunctorum.

III. Petenda a Deo humillime gratia ad susceptam actionem rite exequendam, hac vel simili formula. En ante te desiderium meum, Deus; da quod jubes, et jube quod vis;—vel, Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.

In actione ipsa servanda sunt itidem tria.

I. Debet intellectus attendere actioni praesenti, nec variis cogitationibus distrahi; considerando quomodo Christus, Beata Virgo, aut Sancti fecerint talem actionem; renovando subinde vivam memoriam Dei praesentis, nos intuentis, praemia offerentis, minas intentantis.

II. Voluntas debet saepe excitare desiderium bene agendi, renovando plerasque ex intentionibus praefixis, et assidue implorando opem divinam.

III. Omnes vires corporis et animi serio applicandae sunt omni meliori modo, quo a nobis fieri potest, ne Sanctus Spiritus nobis objiciat illud Jer. xlviii. Maledictus qui facit opus Domini negligenter.

Post Actionem denique tria iterum servanda.

I. Examen instituendum, perfectene actio sit peracta.

II. Si bene successit, gratiae agendae Deo; si male, petenda venia.

III. Conatus noster offerendus Deo in unione meritorum Christi, Beatae Virginis, et Sanctorum omnium; hoc, vel simili modo. Suscipe, o pie Jesu, hoc imperfectum obsequium meum, in unione tuorum sanctissimorum meritorum, Beatae Virginis, et Sanctorum omnium, ad praedictas intentiones; supple, et satisfac pro me, plenissime.

Possunt aliae intentiones addi supradictis, vel earum loco usurpari; v. g. Hoc volo agere vel sustinere,

1. Ut gratus sim Deo, pro infinitis beneficiis mihi aliisque collatis.
2. Ut consequar virtutem N. mihi necessariam.
3. Ut superem vitium N.
4. Ut aptior reddar officio meo.
5. Ut aliquo modo imiter Christum Dominum ejusque Sanctos.
6. Ut crescam et perseverem in bono.
7. Ut sim aliis bono exemplo.
8. Ut stem promissis vel bonis meis propositis.
9. Ut lucrer indulgentias, si quae tali actioni, annexae sint.
10. Ut sortiar beatam mortem.

Nota.—Multiplicatis solis intentionibus, multiplicari posse actuum merita, etiam theologice asseritur.

XI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Cum Dominus Noster Jesus Christus in sacramentis gratiae copiam, in vitam aeternam supereffluentem, ponere dignatus sit, nihil Ecclesiae sacerdotibus magis cordi esse debet, quam ut fideles semper aquas in gaudio hauriant de hisce fontibus Salvatoris, sed cum nihil sanctius, nihil augustius hujus modi institutionibus, sollicite et enixe cavendum, ne quid negligentiae vel irreverentiae, in eisdem pertractandis, admittatur. Casta caste, sancta sancte, divina, quantum humana id sinat fragilitas, perfecto mentis totiusque animae affectu peragenda. Nihil quod eorum administrationem spectat, sive ritus, sive verba, sive lòci temporisque adjuncta parvi est faciendum; sed potius etiam minutissima quaeque ab Ecclesia praescripta, magni ponderis sunt reputanda, ac summa diligentia observanda. Quamobrem, si propter locorum circumstantias difficile, aut ferme impossibile sit, sacramentorum administrationem eo, quo par est, splendore et exteriore cultu perficere, eo ipso magis studere debemus, ut interiori animae devotione hujus modi defectui suppleamus, ac fidelium recipientium, seu, assistentium, mentes ad ardentiorem pietatem inflammemus, Propterea quae sequuntur statuenda censemus:

Cum locus congruus sacramentorum administrationi sit ecclesia,. curet sacerdos ut illuc veniant qui eadem suscipere desiderant; noscantque omnes certas horas, et locum singulis sacramentis destinatum; ut ita confusio evitetur. Non tamen recuset, quotiescunque petantur, praecipue si vel necessitas urgeat, vel periculum immineat quod non sit redituri petentes, si repellantur.

Studeat etiam munditiem et nitorem in iis omnibus servare, quae in sacramentorum administratione adhibenda sunt, ut inde fidelium reverentia magis augeatur.

Tandem rubricis adhaereat, easque accurate observet.

XII.

DE BAPTISMO.

In unaquaque ecclesia, cui annexa est cura animarum, sit fons baptismalis in loco conspicuo et conveniente positus; in quo aqua baptismalis jugiter servetur. Sit decenter ornatus, clave obseratus, et, si locus sinat, cancellis inclusus. Valde utiles sunt regulae quas circa modum custodiendi fontem baptismalem S. Carolus Borromeus tradidit.

Oleum catechumenorum et sanctum chrisma, necnon, si placet, sal, et alia ad baptismi administrationem requisita, in baptisterio, vel saltem in sacrario, seorsim, et cum omni reverentia, et summa cum munditie, asserventur, In novis ecclesiis aedificandis, praeparetur locus in quo recondantur, in ipso baptisterio.

Liber item baptizatorum a sacerdote sedulo et caute in sacrario servetur, in quo baptizatorum necnon patrini ac matrinae nomina ab ipso sacerdote, forma injuncta, conscribantur.

Non admittantur patrini vel in matrinae qui non sint catholici, vel qui a jure excluduntur: nimirum, impuberes, excommunicati majori excommunicatione, nondum confirmati, qui paschalis communionis praeceptum non adimplent, demum ecclesiastici. Curet sacerdos ut, propter periculum fideï infantium facile obventurum post mortem parentum, ambo, quoties fieri possit, adhibeantur.

INSTRUCTIO DE CUSTODIA FONTIS BAPTISMALIS. (S. Carl. Borrom.)

Ex Actis Conc. Excerpta.

Fons baptismalis qua ratione construendus.

Fons baptismalis e marmore, aut e solido lapide constet; lapis alius bene firmus, solidus, ac totus quam primum comparetur.

Interea vero ad quam baptismalem tuto continendam, dum ille alter paretur, non vas fictile alteriusve generis, sed aereum, stamno ab interiori parte illitum, tanta magnitudine quanta lapidis vacuitas est ita ponatur, ut in-

trinsecus illum undique strictim attingens, beneque compactum eidem cohaerescat. Habeat operimentum vel ciborium ad sacra olea tuto decenterque conservanda, in eo ipso fonte accomodatum, nisi ubi ex instructionibus specialibus aliter extruendum est. Conopaeo etiam e tella saltem opertum sit.

Tabellam habeat item intrinsecus, quae dimidia tantum aperiatur, fontisque ostium compresse claudens, aquam a pulvere et allis sordibus cautius tueatur. . . .

Sepiatur omnino unumquodque baptisterium, si ferro vel lapide episcopi judicio non poterit, saltem ligneis cancellis.

Praeterea si extra fornicatam capellam, aut parietis concavitatem hemicycli instar constructam totum, aut ex parte sit tum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex asseribus constet, aut saltem e tela decenter picta.

Decebit etiam in capella, aut in pariete proximo, S. Joannis imago Christum Dominum baptizantis.

In ecclesiae ingressu collocatus sit fons baptismalis, isque a sinistra ingredientium parte, nisi quibus in ecclesiis pro situs ratione illum ab altera parte potius collocandum episcopus judicarit. Quae vero baptisteria in ecclesiis, capellisve eo potissimum nomine extructis, cathedrali, vel parochiali ecclesiae fere adhaerentibus exstant, illa non amoveantur; sed ecclesiae, aut capellae ubi illa sunt, instaurentur, aut reconcinnentur: ubi vero in ecclesiis praesertim insignioribus non sunt, in posterum eas vel ecclesias, vel capellas aedificari, in illisque baptisterium constructum idem episcopus curet.

In baptismali fonte, ubi per infusionem baptizatur, id plane caveatur, ut ne aqua capiti infantis infusa in eumdem fontem recidat, sed in sacrarium profluat; idque propterea sacrarium e marmore solidove lapide prope fontem construatur,

In baptismalis fontis ciborio, mantilia duo, eaque candida, ab omnique sorde munda asserventur, quae infantis capiti abstergendo usui sint.

Pluraque ideo in sacristia ejusdem generis mantilia certo loco conserventur.

Si vero vel mantilia vel sudariola ad eum usum aliquando afferunter, ea nisi nova ne adhibeantur: tum nova adhibita, ne in profanum, sed in ecclesiae usum cuirecte accommodari possint conevrtantur, alioqui comburantur.

XIII.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Ex Bened. XIV., Bouix. S. Liguorio, et aliis fontibus.

Inter tot amoris pignora nobis tradita a Divino humani generis Salvatore, eum nullum sanctius, nullum praeclarius illo inveniatur quo corpus suum sacratissimum in cibum, pretiosissimum suum sanguinem in potum nobis dedit. Nihil ergo Ecclesia antiquius habet, quam pietatem et devotionem erga Dominum Nostrum in S. Eucharistia fovere

et ubique omnimodo promovere: ut sacerdotum corda, spiritus pinguedine repleta, eant de virtute in virtutem, ac Ecclesiae filii veluti novellae olivarum in circuitu Dominicae mensae quotidie assistentes celestis panis dulcedine recreentur, ac in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei.

Quaecunque igitur ad divinissimum hoc sacramentum, et ad Sacrificium incruentum referentur, altaria vasa sacra, sacraque supellex, si non splendida et pretiosa, saltem nitida, munda et decentia debeant. Nihil lacerum, nihil squalidum, nihil vilioris quam decet pretii, in re sacra facienda sacerdos admittat. Calix et pyxis, si fieri potest, cuppam saltem habeant argenteam, intus inauratam; quod de patena pariter dicendum.

Optandum quidem esset missam quotidie ab omnibus sacerdotibus celebrari; saltem frequenter ab altari sumant Christum, qui eorum in gratia renovet juventutem.

Benedictio sanctissimi Sacramenti dari non potest sine episcopi licentia. Multo minus processiones, praeter eas quae a rubricis praescribuntur, vel expositio solemnis sanctissimi Sacramenti haberi possunt nisi cum ejusdem permissu. In expositione et benedictione exacte servetur ritus jam approbatus et praescriptus, utpote qui Ritui Romae adhibito est conformis.

Ante S. Eucharistiam in tabernaculo repositam lampas diu noctuque luceat. Pyxis velo serico albo, vel aureo cooperiatur.

Si vero ob periculum sacrilegii S. Sacramentum in altari vel etiam in ecclesia tuto servari non possit, praeparandus est locus decens et semotus, ab episcopo approbandus in quo conservetur, cum lampade semper accensa.

Clavis tabernaculi non debet aedi tuo vel alii personae custodienda tradi: sed solus sacerdos penes se eam teneat.

Fideles ad frequentem communionem exhortandi sunt; ac opportune admonendi de communionis necessitate ad sacras indulgentias lucrandas, non solum statutis quibusdam anni temporibus, sed, quantum fieri potest, saepissime; modo congruam tantae gratiae vitam degant, ac se devota praeparatione disponant.

Ad devotionem magis magisque fovendam, vehementer optandum est, ut ecclesiae aditus vel continuo diu, vel si ruri sit, per aliquot horarum spatium, fidelibus pateat; et doceantur omnes amantissimum Salvatorem in SS. Eucharistia latentem invisere, adorare, ac fervidis precibus supplicare, animamque simul communione spirituali refocillare.

Utque pietas fidelis populi augeatur, videtur summopere expedire ut oratio Quadra-

ginta horarum, ita ut nullum sit temporis punctum, in quo Domino Nostro, in hoc Sacramento graviter offenso, expiatio aliqua non offeratur, precesque pro Ecclesiae pace ac animarum salute fundantur. Ad promovendam pariter devotionem erga hoc divinum Sacramentum, convenit ut, ubi fieri potest, fundetur Sodalitas Sanctissimi Sacramenti, cujus socii cultui altaris, processionibus, aliisque ritibus providebunt. Haec sodalitas, una cum confraternitate Doctrinae christianae, ante omnes alias in congregatione erigi debet. Conc. prov. Mediol. i.

Quamvis, ob locorum circumstantias, non liceat, absque sacrilegii et scandali periculo, Sanctissimum Viaticum aegrotis publice et solemniter deferre, et ideo a S. Sede permissum jam sit sine lumine ac occulte illud portare, tamen advertere sacerdos debet se Deum absconditum sibi adhaerentem habere, et secum ad suorum solatium ferre. Reverenter igitur, imo devote, et veluti in contemplatione defixus, Sanctissimum Sacramentum in sacculo decenter vel pretiose ornato, ad collum appenso, ad aegroti domum deferat. Et cum saepe miserrimae sint pauperem nostrorum habitationes, ita ut vix decore administrari in iis possit S. Viaticum, magnopere laudandum usum esse, et omnibus commendatum deferendi secum, vel praemittendi, capsulam omnibus requisitis instructam, decentem sancti sacramenti administrationem. Quam primum fieri possit, pyxis post communionem infirmorum ad ecclesiam deferatur, et usque ad purificationem in Tabernaculo reponatur. Hostiae consecratae, sive pro communione fidelium, sive pro benedictione Sanctissimi Sacramenti, frequenter renovari debent, nec ultra septem dies conserventur. (Bened. XIV.) Pyxis etiam purificari debet, ita ut fragmenta minutiora in ea non congerantur, cum periculo etiam irreverentiae in administrando.

Similiter, linteamina, corporalia, pallae, et alia altaris indumenta, integra sint et mundissima, et saepe abluantur per personas a canonibus deputas; scilicet quoad corporalia et pallas, per ipsum sacerdotem, ubi subdiaconus non adest, ad reverentiam et praesentiam Salvatoris Nostri et totius curiae coelestis, quam huic Sacramento conficiendo, et confecto non dubium est interesse.

Item ab omni alia re vacuum debet esse Tabernaculum; nec vasa olei S, nec capsula reliquiarum, neque calix, neque purificatorium, ibi servari debent: ut omnino sacra Eucharistia cum suo vase in eo duntaxat conservetur.

Ut omne dubium de materia

sacramenti amoveatur, non cuilibet permittendum ut hostias consecrandas conficiat, sed personis fiducia dignis, et, si placet, monialibus hoc munus concredatur. Similiter vinum ad sacrificium, non a cauponibus, nec a qualibet popina est comparandum, cum notorium sit sincerum vinum ab hujus modi hominibus saepe non vendi; sed omnis diligentia est adhibenda, curantibus etiam episcopis, ut vinum de genimine vitis presbyteris ubique praesto sit.

XIV.

DE SACRIFICIO MISSAE.[1]

Serio pensanda sunt quae sequuntur, a Patribus Tridentinis decreta, scilicet: "Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebratur, quivis facile existimare poterit, qui cogitaret maledictum in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur: satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriore devotionis ac pietatis specie, peragatur."

An SS. Missae sacrificium offers cum ea, qua par est puritate, devotione, et circumstantium edificatione! Vetat Tridentinum, Con. De Eucharistia, ne sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus nisi prius sacrementali confessione expiatus, ad celebrandum accedat. Permittit tamen sacerdotibus celebrationem praevio tamen actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat nec sit copia confessarii; simul vero in eo eventu rerum mandat, ut qui ita celebraverit quamprimum confiteatur. In casu vero urgentis necessitatis non sufficit attritio, sed omnino contritio requiritur. "Illud *quamprimum confitiatur*, est verum preceptum, non mere concilium."—S. Lig., Theo. Mor.

"Sacerdos lethali crimine infectus, duplicis culpae reus,

---

[1] Vid. p. 289 et 294.

celebrando, scilicet, conficiendo vel suscipiendo indigne sacramentum, et infideliter sibiipsi ministrando."—Ibid.

"Accedat sacerdos ad tribunal altaris ut Christus, assistat ut angelus, ministret ut sanctus, offerat vota populorum ut pontifex, interpellat pro salute, gratia, et pace, ut mediator, pro se autum exoret ut homo."—S. Laur. Justin.

"An sic vivis ut quotidie merearis accipere."—S. Aug.

"An celebraturus, haec intendis. Scilicit, Deum colere. Christi mortem memorare, et Ecclesiam juvare."—S. Bonav.

Fructus Missae triplex est. *Generalissimus* cujus fideles omnes sunt participes, *specialissimus*, quo Sacerdos fruitur. *Medius*, quem sacerdos applicat pro iis, pro quibus sacrificium offert. (S. Liguor. De Sacf. Missae.) Sacrificium hoc est *latreuticum et eucharisticum* id est, laudis, et gratiarum actionis pro beneficiis acceptis. *Propitiatorium:* quo expiantur peccata, gratia peculiari, et ex intuitu Dei hujus sacrificii, donum penitentiae largitur. Est denique *impetratorium*, i.e. spiritualium et temporalium bonorum. O, magna est vis unius Missae? Penas remittit defunctis existentibus in Purgatorio; quia ad hunc finem quoque a Christo institutum, nec potest hoc effectu carere; quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. (Card. Bona.) Quoad effectus *ex opere operantis* duo sunt capita ex quibus augeri potest: Primo, bonitas, et dignitas operantis, procidens ex habitu gratiae sanctificantis, et virtutum: quo sanctior est sacerdos, et gratior Deo; eo magis acceptabiles erunt ejus preces, et oblationes. Secundo, est actualis devotio quâ sacrificium offertur, magisque prodest pro se offerentibus, et suscipientibus, et illis pro quibus offertur. Ideo satagere debet sacerdos, ut sit Deo valde gratus, et continuâ virtutum heroicarum exercitationê crescat apud illum in gratia et sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore et devotione. Ibid.

Docet S. Thomas proprium effectum hujus sacrificii esse hominem in Deum transformare, et ipsi per amorem assimilari. Imo, ex potestate quam habet sacerdos absolvendi peccatis, et conficiendo Corpus Christi, etiam Angelis superior est.

"Quicumque es sacerdos, haec sedulo oportet considerare, nihil in te terrenum sit, nihil commune cum populo? Sit Angelica conversatio tua; vita divina, mores illibati. Quid turpius quam honor sublimus, et vita deformis, sancta professio et illicita actio. Vide igitur quam digne actio respondeat nomini, mores dignitati."—Tract. Asct.

Recte infertur S. I. Chry-

sostemus: "Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum carnem hunc devidentem, os, quod igne spirituali repletur, linquam, quae tremendo nimis sanguine rubescit. Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris, quod angeli videntes, horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem. Hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus Christi unum corpus, et una caro."

An semper permittis ferventem preparationem? Ait Sapiens. "Ante orationem prepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum." Hoc vero Rex regum, et Dominus Dominantium mandat tibi per Prophetam dicens: "Preparare Israel in occursum Dei tui."

Sicut enim fructus frequentis celebrationis in hoc precipue attenditur, ut quotidie crescas in humilitate, patientia, mundi contemptu, et charitate; ita vera preparatio in hoc sita est, ut quotidie aliquid vitii deponas, aliquid virtutis acquiras, donec dicere possis cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus?

An, numquam celebras cum quadam indifferentia, vel cum irreverentia, "quae ab impietate vix seperata esse potest." C. Trid. Sess. 22.

"Ab omni indecore, et absurdo capitis, oris, et reliqui motu corporis abstinent," postulat S. Ch. Borro. "Nec prolixior, nec tempestive, sed graviter." Ibid.

An, ad altare accedens, aut ab eo recedens oculos modeste dimissos tenes?

An, omnia verba distincte et conveniente voce pronuntias?

An tempore debito specialiter procedes ad altare: "Stricte jubemus, ut hora qua Missa celebranda est Dominicis et festivis diebus, semper sit certa et determinata, et numquam mutetur sine licentia Episcopi. Nec potest Presbyter Missam incipere, ante, aut post horam praescriptam sine grave officii violatione." Stat. Dioc. Prov. Dub.

An post Missam solves gratias Deo?

"Volumus, ait S. C. Borromeo, ut sacerdotes omnes finita missa, nisi forte velox charitas, aliasve res gravis momenti, quae moram non fert, eos avocet, pro summi beneficii et honore munere, Deo gratias agant. Quippe, laici, qui hac in parte plerumque religiosiores videntur esse; non leviter scandalezantur, quando vident Sacerdotes, paracto Sacro, in plateas, aut alibi, prodire. Sacerdotes debent, esse imitatores, SS. Apostolorum, qui non ante exierunt cenaculo, quam hymno dicto. Solus proditor Judas ante exivit."

De applicatione Missae.

"Eis qui veteres habent satisfaciendas, vetitum est accipere novas missarum eleemosynas, dummodo, ut legitur in decreto Urbani VIII. infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri. *Modicum tempus* in mente S. Concilii esse, *unum mensem.*" S. Lig. Theo.

Sacerdos in hujus sacrificii actione aliis offerentibus superior est. Cum sit actus potestatis ordinis, ejus subjacet voluntati, et ideo applicatio fructuum ab ejus intentione precipue pendet. Sed quanta et qualis sit portio fructus, quam Christus voluit sive generatim ad omnes fideles, sive speciatim ad hos vel illos, secundum intentionem particularem sacerdotis derivari, incertum omnino est. *Pars quaedam notabilis* omnium fructum Christo sic volente et disponente, relicta est liberae applicationi et determinationi sacerdotis celebrantis. Colligitur ex natura Sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur, ac propterea illis prodesse debet pro quibus offertur. Aliquibus visum est quod sacerdos qui pro pluribus offere intendit et eos specialiter et nominatim exprimat, singulis minus prodessit. De *fructu medio* communis sententia est non esse infinitum extensive; sed eo magis in singulis minui, quo magis extenditur. Ad scrupulos evitandos, debet sacerdos Sacrificii fructus primo et principaliter illi applicare pro quo tenetur celebrare ratione specialis obligationis vel eleemosynae, seu promissionis. Sed sine ejus prejudicio, et in quantum licite, potest aliis item applicare sibi charitate, aut alia quavis ratione peculiariter conjunctis seu commendatis. De S. Miss. Tract. Asct.

XV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Cum hoc sacramentum secunda recte dicatur post naufragium tabula, cumque omnes peccaverimus ac gloria Dei egeamus (Rom. iii. 23), ab ipsa tenera aetate omnibus inculcanda est tam salutaris medicinae efficacia; ejusque usus sedulo exercitandus. Exhortandi etiam sunt fideles, ut non modo semel in anno, vel raro, sed saepe ad hoc lavacrum animae recurrant; imo ut quoties peccati sordes contraxerint, toties munditiem exquirant: quoties aegri-

tudinem sentiant, properent ad medelam. De administratione igitur hujusce sacramenti quae sequuntur observanda.

Pueri doli capaces, ad confessionem non solum admittendi sed attrahendi sunt; eisque rite dispositis absolutio danda. Quare non probandus usus absolutionem differendi, donec ad primam communionem admittantur. Sed e contra, summa diligentia etiam rudiores et crassioris indolis pueri sunt disponendi ad hoc sacramentum.

Medicinalis hujus Sacramenti ratio poscit ut quantocius post lethale peccati vulnus recipiatur. Propterea non absque causa justa, ad aliud tempus sine absolutione remandandi qui peccata contrite confitentur. Presertim vero conversorum ad fidem confessiones generales non sunt ad diuturnum tempus protrahendae; sed si satis instructi inveniantur, et sincero cordis dolore veniam petant, eam misericorditer ipsis impertiatur Dei clementissimi minister. Quod si de rudioribus conversis agatur, ipsos bene instructos curet, antequam ad Sacramenta admittat.

Sed etiam catholicos quos ignorantes deprehenderit vel suspicatus fuerit, diligenter de mysteriis fidei interroget, et non nisi satis instructos ulterius procedere sinat. Praeterea hujusmodi homines, et pueros presertim, aptis interrogationibus adjuvare studeat, ut confessionis integritatem et claritatem reddat certiorem.

Sint in unaquaque ecclesia dies et horae pro confessionibus excipiendis designatae, et accurate observentur.

XVI.

CONFESSIO.

Quoties confiteris?

An singulis hebdomadis, juxta praxim timoratorum, praescriptum S. Caroli Borr.

Si singulis hebdomadis hoc in quibusdam locis fieri non possit, ultra quindenam non differatur. Invigilent sacerdotum confessarii ut in hoc puncto relaxatio non admittanda?

Quomodo confiteris?

An cum vera sinceritate et contritione, cum vero emendationis proposito, vel an sine sensu, sine proposito, et ex mera consuetudine?

"Si negligenter agimus; ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera; et inde habebimus Judicium, unde poteramus habere remedium."

S. Aug. "Da Domine Deus meus, cordi poenitentiam, spiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem." S. Aug.

An quaeris in confessione non adeo animae levamen, quam augmentum gratiae, incrementum amicitiae divinae, majorem cordis puritam? An non quaeris confessarium tibi nimis facilem, qui nec interrogat, nec stimulat, nec dirigat? Summa vigilantia acerrimaque in omnes partes circumspectione operam data ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectae vitae studiis certissimum ducem sequaris. S. Basil.

An in spiritu fidei confessarium ut Jesum ipsum adis?

An serio te praeparis ad absolutionis gratiam recipiendam? An, confessione per acta, aliquamdiu remanes in gratiarum actione, vel an mox cum confessario sermonem mices?

An in singulis confessionibus ferventer proponis vitare, v.g. illud peccatum veniale voluntarium, quod aliorum peccatorum fons est et origo? Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. xix. Levia delicta in te maxima. C. Trid.

"In excipiendis sacerdotum confessionibus reverenter se gerat, sed gerat se etiam fortiter in faciendis debitis correctionibus, et in deneganda absolutione quoties oportet. Et Sacerdotum parum meticulosae conscientiae non omittat interrogare precipuae circa haec tria. (1) Utrum distuterit celebrationem missarum per mensem, si fuerint missae mortuorum, et per duos, si fuerint vivorum. (2) Utrum celebravit festinanter, aut gravitate conveniente ad venerationem tanti hujus sacrificii. (3) Utrum, devote satisficerit obligationi divini officii. Aliter, non omittat insinuare, ut se habilitet juxta suam opportunitatem ad lucrandas Deo animas; ut celebret nonnisi, cum debita preparatione missam, et gratiarum actione, ut incumbat orationi mentali, et studiis ecclesiasticis regulariter, sine quibus difficillime bonus erit sacerdos." Praxis Confessarii, c. 16, S. Lig.

Vide pro hac ultima consideratione quod dicitur, c. ibid., "Confessarius Sacerdotum."

XVII.

ZELUS ANIMARUM.

"Et nunc, fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum

corda eorum erigite." Jud. viii.

"Pastor negligens luporum est gaudium. Vos qui pastores estis, pensate quia Dei animalia pascitis, vere aliis recta predicamus si dicta rebus etexemplo ostendimus." S. Greg. "In omnibus exhibeamus nosmetispos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam." 2 Cor. vi.

Con. Trid. dixit, "moneant episcopi suos clericos in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone, scientia, Dei populo praeeant. In memoriam ferant quod scriptum est: sancti estote quia ego sanctus sum. Levia etiam delicta quae in ipsis maximae essent, effugiant sacerdotes."

"Saepe recogitent pastores ad ovium suarum salutem omnes suas actiones et fuctiones pastorales debere dirigere, et aliquando proanimabusearum reddendam rationem in strictissimo Dei judicio; atque ideo etiam eorumdem salutem continuis precibus et quotidianis sacrificiis Deo ferventer commendent. Meminerintnon ad ignaviam, sed ad salutares ecclesiasticae militiae labores vacatos esse, et e templo seu clero omne bonum provenire."

An ergo laboras sicut bonus miles Christi Jesu? 2 Tim. ii. Sufficit unus homo zelo succensus totum corrigere populum. S. Hier.

An possis dicere hodie: "Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum." 3 Reg. xix.

"Qui non zelat (S. Aug.) non amat." Qui autum non amat quo in statu manet? in morte, id est, morte eterna. O, luctuosa sors sacerdotis.

An immemor es (1 Reg. ii.), "Qui glorificaverit me, glorificabo eum, qui autum contemnent me, erunt ignobiles." Tu ergo, O homo Dei, assume zelum pro sancto ejus nomine, et in illius gloria conservan, da ac propaganda totum esse coneris, et in omnibus tuum hoc sit verbum ac symbolum: Ad majorem Dei gloriam.

Unde cum Paulo aliquando dicis, ve mihi si non evangelizavero, si de animarum salute nihil curavero. In ordine ad hoc debitum spiritum, considera:—

Primo, Dignitas animae, de qua. S. Bern. O anima, Dei insignata imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, capax beatudinis, heres bonitatis, particeps rationis.

Secundo, Excellentia operis. Omnium divinorum divinissimum est Deo cooperari in salutem animarum, plus est quam mortuos suscitare.

Tertio, Merces promissa quae tanta est: "Qui ad justitiam erudiunt multos, dicitur apud (Dan. xii.), fulgebunt quasi stellae in perpetuas eternitates."

Quae sunt media propria, quasi fundamentum zelus tui, quibus animarum salus procuratur? Proximae sunt sub manu tua, gratia Dei, oratio, verbum, et exemplum.

Dum fatigas, vel in studiis, vel predicatione, vel in confessionibus, vel in visitatione frequente infirmorum, considera: "Charitas Christi urget nos." 2 Cor. "Quis infirmatur et ego non infirmor. Quis scandalazatur, et ego non uror." Ibid.

Recordare dicta S. Ignat.: "Non debet se reputare amicum Christi, qui animas non fovet, quas ille fuso sanguine redidimit."

"Pluris (ibid.) tibi sit cujusve hominis salus, quam thesauri omnes universi mundi."

"Unicum (ibid.) impedivisse peccatum pro omnibus totius etiam vitae laboribus et curis, satis magnum impensae operae pretium est."

An ut zelum accendas, saepe cogitas de gloria Dei et de pretio animarum? Demon clamat: Da animas, caetera tolle tibi; et quid tu? S. Car. Bor.

An convictus es zelum animarum certissimum argumentum esse tui erga Jesum amoris. "Simon diligis me? Pasce agnos, pasce oves." Nullum est omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum. Curare alios est Deo motivum ut nos curet. S. Greg.

An zelus tuus purus est, alienus a propriis commodis?

An simplex, sine acceptione personarum; generosus et indefessus? Zelus ignis est, et ignis nunquam dicit: Sufficit. Prov. xxx.

An zelus tuus est prudens?

An in silentio aliquid ex parte parochianorum sufferre vales? Discretus in silentio, utilis in verbo. 'An contra, etiam e cathedra, licet tecte, eos imprudenter non carpis, et ita magis accendis?

In reprehendendis vitiis ita se gerant, ut pietatis et charitatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant. S. Car. Bor.

An in contradictionibus, in laboribus, in malo successu zelus tuus fortis est; et, ne cadas animo, an cogitas Deum a te exigere curam, non curationem? An non nimis facile arbitraris non esse spem emendationis? Quia breve est tempus nostrum, brevis providentia nostra, vellemus omnia, uno ferme momento,

fieri. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Heb. x.

An zelus tuus est universalis, extendens se ad omnes parochianos, et ad omnia media, quae sunt in tua potestate posita? An incumbis ut agnoscas vultum pecoris tui, tuosque gregis consideras? Prov. xxvii.

Parochiam suam quoties cumque potuerint, circumeant (pastores) universam, et cunctorum parochianorum conficiant indicem, seu librum status animarum, secundum Ritualis Rom. praescriptum. Diligenter ac zelose recognoscant vultum pecoris, frequenterque visitent domos et familias suorum subditorum.

An quaeris oviculam perditam?

Saepius etiam zelo ardentes, sicut Phinees, filius Eleazari, adeant suspectos aut scandalose viventes, eosque arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate et patientia, cum saepe, ut pronuntiat (Trid. Sess. 13) plus erga corrigendos agat benevolentia quam, austeritas plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. Imo cum Moyse, Aarone, Samuele, accedant crebro ad aras, ad thronum gratiae, et ibi patrem misericordiarum pro iis cum fiducia interpellent. Sacerdotum enim est orare pro delictis et peccatis populi.

An ad alicujus sacramenti administrationem rogatus, ire non tardas?

Charitas incipit a domo; hodie ubique est dictum commune. Debeo meam zelare perfectionem. (Vid. p. 431. Spiritus ecclesiasticus, et seq. art.)

Ad quod me elegit Deus! Nonne ut essem sanctus et immaculatus in conspectu ejus.

Ut sim adoptionis Dei filius; ipsius heres, eternorum illius bonorum possessor.

Ut sim "sacerdos in eternum," et sic merita pretiosii sanguinis Jesu Christi membris ejus in tempore autem applicare, a peccatorum sordibus abluere per infusionem gratiae sanctificantis, et omni spirituali et celesti benedictione cumulare, ut illic Christo uniti et incorporati, mecum "misericordias Domini in eternum" cantent. Nam Christus adimpletur in singulis et omnibus christianis, maxime autem in ejus sacerdotibus, "dedit ipsum caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius; et plenitudo ejus, qui in omnibus adimpletur." Eph. i.

Proinde, unus quisque christianus est Christi membrum, et ipse Christus "ut caput" in suo corpore mystico perficitur.

Dehinc, debeo meam imperfectionem horrere, utpote Christi Jesu salvatoris dedecus et opprobrium; et debeo

aliorum saluti et perfectioni; strenue presertim animae propriae cum zelo incumbere.

Qumodo huic divinae voluntati et vocationi respondeo? An sancte vivo. An bona opera facio constanter.

Vae mihi: defectus innumeros video; profectum nullum video. Haec cogita nunc in amantudine animae, et cum firmo proposito de futuro.

De futuro: si externa zeli opera respiciantur, quae precipue ad presentem materiam pertinent, hujusmodi illa omnia esse quae Pastor Pastorum in terris explevit, vid, quaeque ad salutem animarum, et Dei gloriam pertinent. Sic dividuntur; opera sacri ministerii; opera canonicè stabilita; et cura pauperum et infirmorum.

Primo: De operibus sacri ministerii specialiter locutus est; De Sacrificio SS. Missae. De Predicatione verbi. De ministerio S. Penitentiae. De cura Parvulorum.

Secundo: Bona opera canonice stabilita sunt; confraternitates piae, et soldalitates Marianae; S. Rosarii, Via Crucis, opus Propagationis Fidei; opus sustentationis Fratrum infirmorum. Denarium S. Petri, Catholicae educationis. Societas S. Vin. a Paulo. Bibliothecae Parochianae; et alia opportune et specialiter constituta Sancta Sede vel Ordinario.

Tertio: Cura miserabilium; infirmorum visitatio, afflictorum consolatio, juvamen pauperum, conversio peccatorum, et scholarum inspectio.

Considera quaenam esse debeant zeli conditiones, ut verus sit.

Primo: Ut discretione regatur; et nisi cum prudentia, moderamine nulla, pietatis opera suscipiantur; et priusque semper consulto per orationem, divinae voluntatis oraculo.

Secundo: Ut cum singulari animi fortitudine, ac firmitate junctus sit. Haec autum fortitudo, et firmitas ab eo imploranda est, qui quandocumque ipsi placitum est; infirma mundi eligere ut fortia confundat. 1 Cor.

Tertio: Ut quotiescumque de gloriae divinae propagatione vel animarum salute agitur, solus Dei honor respiciatur, nee ullo modo acquiescatur carne aut sanguine.

Quarto: Denique zeli conditio est, ut malis quibus mederi non potest, ingemiscat, et si nihil aliud valet, saltem dolorem et lacrymas, sincerae charitatis testes Deo offerat.

Vide igitur an has dispositiones in te deprehendas; ut sin minus, eas obtinere studeas, tum piis precibus, divinam opem exposcenda, tum etiam sanctorum acta, et historias perlegendo, in quibus illius zeli preclara quaedam exempla reperias quae occasione occurrente imiteris.

Quaenam est tua agendorum regula?

An astutia humana, proprio lucro intenta! Anne prudentia evangelica, unice Deum quaerens?

An neminem asperius objurgas, neminem a te repellis! An maximis etiam peccatoribus sinum pandis misericordiae. "Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati. 2 Tim. ii.

An zelus tuus mollis aut timidus, impetuosus non purus, activus, ardens, et omnino alienus proprio commodo?

"Sedi et flevi et luxi diebus multis, jejunabam et orabam ante faciam Dei." Ita Nehemias, cum audiret afflictionem populi sui. 2 Esdra i. Cum cernis lamentabilem tot animarum interitum uriturne cor tuum. Compaterisne sicut noster salvator, qui videns civitatem flevit super illam? Luc xix. Quomodo propriae saluti prospicis dum curas alienam?

Reduc in mentem annos pristinos.

XVIII.[1]

DE CURA PARVULORUM.

"Facti sumus parvuli in medio vestrum tanquam si nutrix fovet filios suos." Thess. i.

"Ars artium regimen animarum," sed imprimis intra onera sacerdotis, haud dubio, est cura parvulorum. Audi S. Jo. Chry.: "Haec maxime etas eget disciplina, tenera enim cum sit, cito illa quae dicuntur imbibit, doctrinaque ibi, seu sigillum in cera, imprimitur. Alioquin autum haec [illegible]meva etas, vel ad vitium, [illegible] ad virtutem declinatur. Si quis igitur a principio illos a vitiis abduxerit, et ad optimam viam direxerit, seu in quemdam habitum, et rectam vitae rationem eos constituet, neque sponte sua facile ad malum declinabunt, consuetudine illos ad bona opera trahente."

Ex infantibus bene enutritis et educatis fit populus fortis et honestus; ex infantibus bene instructis et timoratis prodit societas fidelium, et populus sanctorum.

Educatio juventutis utriusque sexus res est maximi momenti et pondoris. "Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedit ab ea." Prov. xxii. 6.

Ab educatione vere Catholica bonum ecclesiae, salus patriae et familiarum omnino pendet, i.e. dum intellectus scientiis imbuitur, debet cor ad virtutem informari.

"Neque enim haec res est levis momenti, a qua totius reipublicae tum salus tum pernicies, dependet." Verb. Epis. Belgii in lit. 1835.

Audi testem qui de nimia pietate certe nunquam suspectus est; Locke sic loquitur (Traité sur l'éducation): 'Je crois pouvoir assurer que, de cent hommes, il y en a plus de quatre-vingt-dix, qui sont ce qu'ils sont, bons ou mauvais utiles ou nuisibles a la société par l'instruction qu'ils ont reçue."

Quo spiritu, quo zelo, laboras in grege parvulorum?

An "tanquam si nutrix fovet filios suos." Munera obeunda sunt tria presertim enumeranda; vid.:—

Primo: Catechismus.

An singulis dominicis diebus et festis Catechismum habes.

An ad maximum hoc munus diligenter semper assistes, et omnimodo conaris scholas animare: interrogatione, premiolis, &c., rudes, et pueros majores aetate, et timidos, benevole invitare; juvenes, infantes, et segniores, per premia allicere ad attentionem.

Secundo: Praeter scholas Christianae doctrinae, sunt scholae seculares.

An serio observas quam necessarium est hac nostra maxime aetate invigilare pabulum quo enutriantur in his scholis seculis. In scholis et in collegiis solidissimia instructione catholica juventus armanda est contra omnis generis impietatem et errores, quae post in seculo sepissime offendet. Sed si parvuli petierunt panem, et lapides acceperunt; quis infirmatur, quis scandalizatur; vere bonus pastor? Lupus, potestas civilis, venit, rapit, et dispergit oves; malus pastor vidit et quia mercenarius fugit. Tandemque, sanguis eorum clamabit ad Pastorem de terra: Vindica Domine sanguinem nostrum, fiant dies pastoris nostri pauci, rationem reddat pro animabus nostris, et sanguis noster sit super caput ejus.

Tertio: An maxime cordi habes instructionem parvulorum ante primam communionem?

An huic praemittis preparationem remotam, et proximam; intellige; per Catechismum, et per frequentiorem Confessionem?

Et an sat persuasum tibi est utillissimum semper, nec raro necessarium esse parvulorum

pluries etiam per annum confiteri. De confessione parvulorum intellige: "prudentes et circumspecti sint pastores in excipiendis confessionibus puerorum, eosque non ita perfunctorie tractent aut dimittunt; sed sedulo considerent, ut iisdem a teneris instillent cognitionem, reverentiam, et necessitatem hujus sacramenti." Moullet, Resol. Theo.

"Confessiones quoque parvulorum, licet quintum aut sextum aetatis annum nondum expleverint, excipiant quotannis, eosque piis monitionibus foveant, reprehensiones asperas non adhibeant, blandiantur potius, et laudent candorem. Nec vero ipse Dominus oblatos sibi parvulos nunquam redarguit. S. C. Borro.

An sequeris noxiam praxim puerorum confessionem et absolutionem deferendi donec ad primam communionem debeant se preparare. Ex Conc. Later.: "Omnis utriusque sexus: perspicitur neminem confessionis lege obligatum esse ante eam aetatem, qua rationis usum habere potest. Neque tamen ea aetas certo aliquo numero annorum definita est. Sed illud statutum universe videtur ab eo tempore confessionem puero indutam esse quum inter bonum et malum discernendi vim habet, in ejus mentem dolus cadere potest. Jubet enim semel saltem quotannis fideles omnes sua peccata confiteri." Cath. Concl. Trid.

S. Lig. dicit: "Tenentur hoc precepto pueri doli capaces. Saltem post septennium unde si talis puer videatur cognoscere Deum per hoc, vel illud offendi, ostendatque dolorem et propositum, ac principua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi, secus tamen, si non est sufficiens usus rationis, si vero dubium sit, potest (imo, in articulo mortis debet) absolvi sub conditione." Vid. vol. vi.

Et in Tract. IV. de Pent. dicit: "Probabiliter hunc absolvi puerum vel semifatuum sub conditione, quando dubitatur de ipsorum dispositione, et quidem si ungeat periculum mortis vel preceptum paschale." De Lugo ait: "Tales esse absolvendos sub conditione, si dubie sint disposti, maxime si confessi sint aliquod dubium mortale." "Si autum dubium sit," ait Lig., "an puer perfectum usum rationis habeat, si ille in actu confessionis non manerit compositus, sed oculos in gyrum ageret, manibus jocaretur aut torquertur, impertinentia interponeret, tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi preceptum paschale, absolvendus est sub conditione."

Quomodo cum pueris in tribunali debeas agere? "Cum pueris adhibere debet omnem charitatem confessa-

rius et modos suaviores quantum fieri potest. Primo eos interrogare debet an sciant res fidei, et si nesciant oportet eos patienter instruere si tempus adest, vel eos mittere ad alium. Cum autem agat de confessione, in principio curare debet ut pueri ex seipsis confiteantur peccata sua, et postea fieri illis potuerunt interrogationes." Praxis Confes.

An diligenter saltem semel in anno preparas pueros et puellas parochiae tuae ad Eucharistiam digne accidere?

An immemor fuisti, "quod esto pueri non teneantur communicare statim post adeptum usum rationis, non tamen prohibentur ad Eucharistiam accedere, semper ac sciant discernere hunc celestem cibum a profano; tunc enim ut ait D. Thos. quia possunt aliquam devotionem concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum, idque confirmatur ubi dicitur, "cui penitentiae sacramentum conceditur, neque Eucharistiae Sacramentum negare debet si desideret."

Notandum hic quod praescripsit S. Carolus Borromeo (Synod Decr. ix.): "Parochi illos qui decennium attingerint, instruant ad cognitionem Eucharistiae, doceantque quam reverenter ad eam accedant."

S. Liguorio advertit supra hoc: "Citius possunt obligari pueri, qui ante talem aetatem perspicaciores conspiciunter, et reprehendet illos sacerdotes qui indiscriminatim non admittunt ad communionem, nisi pueros in certa aetate constitutos."

ALTERA CONSIDERATIO DE EODEM SUBJECTO.

De Confessione Parvulorum.*

Aliquando fit ut parochi et confessarii errent in praxi relative ad confessiones parvulorum ante primam Communionem: quia istae confessiones non satis saepe, vel non satis bene excipiuntur; est tamen damnabilis error. "Caveat sibi quisque, ne praetexu minoris aetatis, se abduci a recto patiatur, quasi pueri sint qui nondum ad usum rationis pervenerint, quorum audit confessiones: solet enim usu venire ut in pueris etiam, quamvis in aetete sint adhuc tenera, peccata mortalia inveniantur." S. Car. Borro.

"Subinde in pueris, in

---

* Manuale Missionum, Kerckhove.

quibus minime credas, inveniuntur peccata, etiam mortalia: et in unis tardius, in aliis vero citius, adest usus rationis sufficiens ad peccandum. Ideo prudenter cum illis agendum, ut deprehendatur veritas, et non doceantur peccare." Sylvius, in explic. instruc. S. Car. Borro.

"Tam puerorum, quam majoris aetatis, excipiendae sunt confessiones, etsi relapsuri videantur." Gerson, magnus parvulorum amans. De arte audiendi conf.

"Pastor, qui passim pueros non absolvit nisi ad tempus primae Communionis, fit reus: 1. Violatae justitiae, negans Sacramentum ex justitia debitum. 2. Violati praecepti confessionis annuae. 3. Periculi salutis puerorum. 4. Omnium peccatorum quae pueri ex defectu gratiae sanctificantis committere solent. Concur. Theo. Mech. Etiam, Lessius, Dens, S. Lig., &c., qui eadem principia sustinent.

Fingo colloquium cum pastore:

An pueri sunt tui parochiani? R. Ita.

An post plenum rationis usum possunt peccare, etiam mortaliter? R. Ita.

An habetur etiam pro eis venia apud Deum? R. Ita, per absolutionem.

Cur ergo eos non absolvis, nisi in periculo mortis, quando minus sunt ad absolutionem dispositi; R. Excusationem non habeo, et terribilem Deo rationem reddam.

Obj. 1. Non tam cito possunt mortaliter peccare. R. Quandoque malitia supplet aetatem. Et cur a venialibus non absolvis, ut gratia augeatur?

Obj. 2. Sunt alii boni confessarii, qui non absolvunt. R. In hoc boni non sunt, sed suo commodo student.

Obj. 3. Vix possunt conteri. R. In quo possunt peccare, per Dei gratiam possunt poenitere. Sufficit contritio quantum puerilis aetas ferre potest, ait S. Car. Borro.: "Animus puerilis non exigit contritionem virilem."

Obj. 4. Sed leves cum sint, statim relabuntur. Respondet Gerson, ubi supra: "Hauritur aqua ex sentina etsi reditura; lavatur manus, etsi adhuc maculanda: aliter periret navis, sordes manui nimis cohaerescerent." Accepta gratia adjuvat, ut saltem in gravia non relabantur; et si relabuntur, citius resurgent.

Sunt alii pastores, qui, etsi bonae voluntatis, aptam methodum non sequuntur: venit tota puerorum turba simul, strepitum facit; tempus non sinit ut pacate omnium confessiones cum fructu audiantur, et omnem gratiam, quae eis debetur, recipiant.

Quaenam est ergo optima methodus quam sequi convenit in hoc vere gravi

ministerio, unde tenellae juventutis bonum spirituale plurimum dependet?

1. Quater ad minus in anno vocabunter pueri et puellae, et in ecclesia ab invicem separati. Venient autem tribus successive diebus.

2. Prima die a 7mo circiter usque ad nonum annum inclusive, secunda ab anno 10mo omnes qui inscripti non sunt pro primo Communione; tertia omnes inscripti. Haec ultima classis posset utiliter sexies in anno venire.

3. Fit, post orationem, instructio paterna et simplex ad captum (qui in his tribus classibus diversus est), in qua adeo animantur ad confessionem, ut confiteri desiderent et non timeant. Tunc explicantur ipsis scitu necessaria, et quid credere, sperare et amare debeant, et quare. Post hoc examinatur prudenter conscientia, et actus Fidei, Spei et Charitatis recitantur. Dein fit cum eis actus contritionis, ut vere doleant se Deum offendisse et proponant deinceps non offendere.

4. Confitentur; sed sequentia servanda sunt:

1. Sint ad minus duo confessarii, et plena detur parvulis licentia; ut non cogantur masculi apud unum, et puellae apud alterum confiteri.

2. Adsit qui invigilet, ut tranquillitas et silentium bene serventur.

3. Confessarius poenitentem suavi nomine compellet, dicat optimum patrem se esse; matri, imo nemini, se posse peccata declarare; ut non vereantur omnia dicere.

4. Non interrumpat poenitentem dum confitetur; nisi videat non posse, vel non audere. In hoc casu interroget circa defectus qui in loco a pueris magis committuntur; sed prudenter, ne doceatur malum quod ignorat; v.g., ubi de sexto, &c., secundum morem regionis: nam per res inhonestas quandoque intelligunt lutum jacere, vestes maculere alterus, &c.

5. Ubi confessi sunt, moneantur suaviter de parvis defectibus, v.g., de inobedientia, parvis furtis (prudens sit confessarius in exigenda restitutione; (1) quia parvuli saepe non possunt; (2) quia est plerumque in materia parva; (3) quia deinceps parva furta non auderent confiteri; ergo restituant parvula aliqua prece), &c.; sed specialiter de iis qui possent fieri, vel esse, peccata mortalia, v.g., de blasphemia, maledictis, turpibus, &c.; attamen caveat confessarius dicere jam in ipsis esse mortalia, nisi, omnino certum sit. Quandoque peccat puer venialiter in re gravi, quia in confuso apprehendit ut leve; quandoque graviter in re levi, putans in erronea conscientia (saepe per imprudentiam parentum) esse grave, et se meruisse infernum.

6. Tunc detur poenitentia et absolutio. "Poenitentia autem his pueris injugenda levis sit, quantum fieri potest; et curandaum est ut illa ab ipsis quantocius impleatur; alioquin aut eam obliviscentur, aut omittent. Curet etiam confessarius pueris insinuare devotionem erga Deiparam. (S. Liguori. In prax. conf.) Detur, v.g. Unum Ave Maria, recitandum in ipso confessionali, statim post absolutionem; nisi capaces sint aliquid plus facere.

Secundum plures doctores, ait S. Liguori (ubi supra), possunt aliquoties absolvi etiam dubie dispositi, subconditione, etiam si venialia tantum habeant, ne careant diu gratia sacramentalia, et forte etiam sanctificante, si forte gravem culpam habeant ipsis occultam.

"Si dubium sit, ait idem ibid, an puer perfectum rationis usum habeat . . . in periculo mortis, aut obligatione praecepti paschalis, absolvendus est subconditione; et tanto magis si confessus fuerit aliquod dubie mortale."

His omnibus adminiculis fiet ut parvuli sape et libentur confiteantur; ut habitus malos, si quos habent, deponant, et in confessione generali primae Communionis ad cautelam dumtaxat generaliter debeant absolvi. Quantum bonum! Quot fructus ex optima illa radice, in vita sequenti enascentur!

Convenit omnino, ubi possibile est, ut pueri praemiolis (v.g. imagine, numismate B. M. V., &c.) donentur, juxta meritum; his, et aliis praemiolis, maxime excitantur ad devotionem et ad bene agendum.

"Anno 1866, Emin. Dnus. Cardinalis Antonelli, Jussu Summi Pontificis, litteras dedit Archiepiscopo Bituricensi (Bourges), in quibus graviter conqueritur de falsis principiis quae in quibusdam Galliae locis regnant, et sunt sequentia:

1. Parvulis non dandi absolutionem sacramentalem ante primam Communionem, quae 12mo, 13tio, vel etiam 14to aetatis anno tantum locum habet.

2. Jubendi ut post primam Communionem diu expectent de novo confiteri, et quidem anno Communionis, tempore paschali, ad Sacram mensam non accedant; sub praetexu quod diutius expectando melius sint parati. Hoc cum dolore Summus Pontifex carpit et improbat; jubetque ut praefatus Archiepescopus, cum Episcopis suffraganeis et aliis, multum laborent, ad abusum illum, generali disciplinae sanctae Matris Ecclesiae adeo contrarium, et malis parentibus adeo gratum, omnino a medio tollendum."

XIX.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS, ET CURA INFIRMORUM.

Magno pretio habenda est hujus sacramenti institutio, quo, in extremo cum salutis hoste certamine, ad victoriam uncti, roboramur.

Quamobrem cavet sacerdos, ne quis fidelium sibi commissorum vel propria incuria, vel ex defectu suae pastoralis vigilantiae, absque hac salutari medicina tam corporis quam animae e vita discedat.

Hortetur igitur fideles ut non ad extremum vitae punctum, cum jam sensus deficere ceperint, hujus saluberrimi sacramenti receptionem remittant, sed ut potius, ingravescente morbo, statim ac fuerint in periculo constituti, vocent presbyteros ecclesiae, qui eos oleo ungant, sicque pro extremo agone vires praebeant et tutamen.

Ad custodiam olei infimorum habeat locum decentem, clave observatum, si fieri potest in ecclesia, vel in sacrario : aut etiam, juxta praescriptum in Concilio prov. Mediolanensi IV., "in ipsa domo, loco decenti ac tuto." [1]

[1] Sacerdotes non possunt pro sua commoditate apud se in domibus suis retinere sacrum olium infirmorum excepto tamen casu magnae distantiae ab ecclesia. S. R. C. Decr. 1826.

In novis ecclesiis aedificandis, paretur fenestella propre altare majus, cui incribatur Oleum infirmorum, cum suo clave munito.

Sacerdos ad moribundum vocatus, si is vel morbi vi, vel repentino aliquo casu jam sensum omnem amiserit, ut nihil plane intelligat, hoc extremae unctionis sacramentum ministrare debet si modo adhuc vivat, et, dum usum rationis haberet, *pii animi significationem dederit*, ut inde judicari possit, eum hoc sacramentum petiturum, si adhuc integrae mentis esset. Ita sensus communis Theo.

De aegrotos visitando et morientes juvando sit sollicitus; nec post Sacramenta suscepta prorsus relinquat; sed saepe, et, si tempus suppetat, quotidie invisat, ac in extremis assistat. *S. Viaticum, protracto morbo, nec cessante periculo, frequentius administret.*

Deus, ut manifestaret quam gratam habet assistentiam moribundis praestitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit angelos religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

De frequentatione communionis, sententia communis

tenet, quod in eadem infirmitate aegroto non jejuno *pluries* Viaticum dari possit perseverante eodem morbi periculo, ratio est, quia hoc sacramentum aegrotis datur non tantum ad satisfaciendum precepto, sed etiam et praecipue ad superandas tentationes, quae tempore gravis morbi magis urgent. S. Augustinus dicit, "Quotidie peccas, quotidie sume." S. Franciscus Salasius (Vita divota, c. 21), dicit, "Pro pauperibus relictus est hic thesaurus, et pro infirmis haec medicina." Etiam si expedierit corporis salutem impertiatar hoc S. Sacramento. *S. Cyrillus Alexandr. ait, quod Sancta Eucharistia etiam morbos depellet et aegrotos sanat.* Et de suomet patre S. Gregor. Nazianz. refert, quod statim ac S. communionem accepit, convaluit. Manifeste apparuit ex dictis SS. Patr. quod, *communionum frequentia ex utilitate penitentis potissimum determinari debet.* Le Noir, Praxis Confessarii.

Benedictus XIV. docet, posse et debere Viaticum in eadem infirmitate, *iterum* administrari, praesertem *si aegrotus exposcit; et si velit.* Quot autem dies inter communiones intercedere debeant non certo constat, nec hodie necessarium est inquirere. Sententia nostris diebus acceptata, valde probabilis et pia est, *quod altera die, quotie infirmus etiam non jejunus, sacrum Eucharistiam suscipere possit, et quoad forman, per modum Viatici; perseverante morbi periculo.* Vid., Rev. J. O'Kane, Notae, &c.

De Extrema Unctione, et iteratione ejusdem.—Hoc Sacramentum est quaedem spiritualis curatio per modum corporalis curationis exhibita. Sed curatio corporalis iteratur. Ergo et, hoc Sacramentum iterari potest. Nullum Sacramentale, nec sacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari, quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus deperitus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis et mentis, quae est effectus hujusmodi Sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per Sacramentum effecta, ideo hoc sacramentum sine injuria potest iterari. Vid. F. Lebrethon, Summa Minor.

Non debet hoc Sacramentum dari nisi illis quorum *mors est propinqua secundum estimationem hominum.* Et hoc Sacramentum iterari potest, et quidem in eadem infirmitate, *quando est alius status infirmitatis, seu quando novum periculum oritur.*

Pro praxi nota; nisi necessitas urgeat; *tribus vicibus* necesse est recitare *Confiteor Deo,* quando administratur

Sacrum Viaticum, extrema unctio, et impertitur Indulgentia in articulo mortis. S. C. 1841.

Potest haec indulgentia *pluries* impertiri permanente infirmitate etsi *diurna*.

Si in omnibus sacramentis recipiendis, ut, monet Cardinalis Paleotus, magna preparatio et diligentia adhibienda est, in hoc sane, quod in extremo peregrinationis humanae curriculo administratur, eo magis necesse est a sacerdotibus omnia pietatis officia exercere, ut fideles e hac mortali vita migrantes, ex illo momento unde pendet eternitas, contra diaboli tunc presertim querentis quem devoret, insidias roborentur. -

Quare cum clementissimus Dominus et Redemptor noster in ex, unctionis sacramento vim et gratiam quamdam medicinalem et confortativam in fidelium morentium subsidium et solatium relinquerit, nil officii studii ac diligentiae, a pastoribus et eorum delegatis praetermitti debet.

An semper curas ut morte vel periculo imminente facile admoneri, et adesse, possis? Tunc namque, " descendit diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet." (Apocal. xii.)

Sicut igitur lupus iste infernalis tunc temporis magis satagit ut praedat, sic bonus pastor magis debet vigilare ut defendat.

Non satis est infirmo sacramenta administrare. Quid enim prodest gratiam sacramentatem accipisse, si eam iterum perdat, et damnetur sed et summopere necesse est, ut infirmum sepius visites, et in gratia conservare coneris, et maxime si vel levis sit suspicio relapsus.

Una omissio visitationis potest esse causa damnationis, presentim apud rudes?

1. An aegros ad *fructuose* hoc sacramentum suscipiendum, quantum opus est, instruis ac disponis?

Ubi ad egrotum pervenerit, premissa suavi ac pia salutatione; rem, et effectus hujus sacramenti breviter exponat; cumque consoletur, et a curis atque amore hujus saeculi, ad spem, et desiderium vitae aeternae erigat.

An aegratos, ultimis etiam sacramentis rite munitos frequenter visitas? ut eos contra insidias inimici robores; in gratia Dei confirmes; in doloribus juves; in anxietatibus consoleris, eosque iteratis etiam vicibus a peccatis absolvas? Quoties infirmum, toties Jesum Christum sub forma infirmi visitas; " infirmus fui, et visitastis me." Matt. xxv.

XX.

DE PREDICATIONE VERBI.

"Vade," inquit Jesus preconi suo, "doce quaecumque mandavi; qui te audit, me audit." "Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos." 2 Cor. "Predicate omni creaturae." Matt. et Mar. xvi.

Ens predicationis materia et objectum. "Christum crucifixum," adeo ut quaecumque dicit pastor animarum eo semper tendere debeant, ut salutaris illa evangelica veritas mentibus pateat, et cordibus et voluptatibus insinuetur. Finis et scopus predicationis non nisi ut animae salventur; ut a faucibus inferni eruantur; ut liberentur a peccato, atque in gratia sanctificante vivant, et proficiant, i.e., "ut vitam eternam habeant, et abundantius habeant." Joan. x. Incumbat serio te interrogare quomodo exerceas hoc grande, solemne, et celeste munus? Item, an "denegiastis in opere quod videris, profiteri in verbo?" S. Jo. Chry.

An (Con. Trid.) "plebes tibi commissas pro eorum capacitate, pascatis eas salutaribus verbis," "Sapientibus et insipientibus debitor sum." Rom. i.

Predicatione et oratione SS. Apostoli mundum evangelizaverint; et hodie non sunt alia media ad hunc finem? Num, "Disces priusquam doceas, alloquin eris nubes sine aqua, et ubera arentia porriges." Memorial.

An, "predicas ut audiaris et intelligaris, non ut sonum inanem edas: devita ergo profanas vocum novitates." Ibid. "Nil vales sine gratia mea, omnem ergo successum mihi tribue, omnem defectum cum humilitate tibi imputa, ne vane tibi complaceas si sermo currat, ne nimium confundaris, si non currat." Ibid.

"Vae tibi, fili, si non evangelizaveris, clama, ne cesses; voca eos ad penitentiam. Per te, quasi per aquaeductum verbum suum Deus emittit, gratias suas et merita distribuit. Memorl. S. Thomas Aquin vocat hoc munus *principalissimum animarum pastoris.*

De frequentia et forma predicationis tuae quomodo respondes conscientiae tuae?

Haec est norma vera juxta Apostolum (Epis. Cor.), "*in Christo loquimur,*" vel predicamus: "Non in sapientia carnali, seu eloquentia seculari, non verbis turgidis, non tempestive vel vehementer, sed lente, graviter, materia bene selecta, et cum sententiis bene expressis, i.e. verbis sapientiae." Memorl. S. Franc.

Salesius solebat *pauca sed maxime opportuna dicere*, tum in tribunali tum in populari concione.

De modo et forma concionis; attende ad quid scriptum est, apud Tullium: "Optimus orator est qui dicendo animos audientium edocet, et delectat, et praemovet:" intellectum convincendo, et affectum promovendo. Annon uteris locutione triviali, rustica aut scurrili, quae contemptibilem facat oratorem, devotionem exsiccant et fidem labefactant.

An ideo, ut hortatur Gregorius, P.P. XVI. (*litter apost*), *assumis gladium spiritus, quod est verbum Dei, totisque animorum viribus gliscentem errorem, impium, et indifferentissimum, reformare, vel eradicare contendis?*

Multum haeccine cordi habeat concionatur.

Primo, se Dei legatum, a Deo missum, et in nomine Dei loqui, verbum Dei predicat sicut a Deo processit, Dei voluntatem sincere annuntiet, pure reddat et integre.

Secundo, se coram Deo vivente loqui: Deo spectante, auscultante, sub ejus oculis et auribus. Vereatur ergo oculos Dei, nil dicat quod non possit subire examen Dei.

Tertio, se in Christo loqui, in ejus spiritu, in ipso confidat, in ejus gratia innitatur.

Quo spiritu predicas?

"Caveat minister evangelicus ab amore temporalium, exteriorum, et corporalium; amet et aspiret ad spiritualia, interna, et eterna." Trip. Expos.

Ad hoc, frequenter ad Dominum converte, rogans: Cor *mundum crea in me, Deus, et illumina vultum tuum super me.*

An populum non fatigas, et a verbo Dei avertis longiore sermone?—Evitare debet in concionibus nimiam didacitatem ac prolixitatem.

An, in tuis concionibus et catechismo serio omne semper inculcas quod ad sinceram fidem pertinet, et veris et vivis rationibus doctrinam Catholicam explicando?

An populum in fide Catholica, et in refutandis quibusdam popularibus objectionibus ita instruis; et adversus impietatem, ut si aliqui ovium in distantibus terris transeant (America, Oceanica), firmi sistant, omnemque errorem, et in primis indifferentissimum, exhorrescant?

"Parochus tenetur (dicit Liguorio) ad concionandum diebus dominicis et festis principalioribus; et ex defectu graviter peccare, si exceptis duobis mensibus, in quibus permittit Con. Tred., parochis, ex justa causa ab Episcopo approbanda, posse licite abesse."

Ex responso S. Cong. "non est opus ut concio sit extensa

et elaborata, sed satis ut "Parochi, saltem Dominicis et festis diebus, plebes sibi commissas, *pro sua et earum capacitate* pascant, salutaribus verbis." D. Craisson. Man. Jur. Can., Ita Bend. XIV.

An totis viribus allaboras ut eradicetur blasphemia et turpiloquia? Ad hunc finem maxime juvat oratio publica, et pactum spirituale.

Confraternitas SS. Nominis Jesu, ditata Greg. XVI. multis indulgentiis, instituta est cum maximo fructu in variis locis contra blasphemiam.

An diligenter inquiris quae peccata, qui abusus in parochia potissimum dominentur; et illios abusus prudenter et fortiter a medio tollere satagis?

An invigilas de sparsione, vel de lectione librorum, et foliorum pravorum. "*Libros malos arma diaboli, et eversionem Ecclesiae,*" vocat S. Chrys.

XXI.

STUDIUM.

Ad vos mandatum hoc, O sacerdotes . . .

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Mal. ii.

"Ignorantia in sacerdotibus mater est omnium errorum, qui in ecclesia Dei oriunter." Conc. Tol.

Quia tu scientiam repulisti," ait Dominus, "et ego repellam te, ne sacerdoti fungaris mihi." Os. iv.

Sicut vita ita doctrina debet clarere sacerdos, nam sicut doctrina sine vita arrogantem reddit, ita vita sine doctrina inutilem reddit. Communiter SS., PP. An quotidie, juxta praescriptum vitae ordinem, aliquod temporis spatium tibi seponis pro studio Scripturae sacrae et Theologiae moralis?

"Scripturam S. de die, noctuque sic mente revolvas, ut tenenti codicem somnus obrēpat, et candentem faciem pagina sancta suscipiat." S. Hier.

Identidem repetenda est Theologia moralis, ne tractu temporis, et continuis occupationibus, ipsa theologiae principia excidant memoria.

Quo ordine, quo conatu, quo fine studiis incumbis?

An studes primum necessariis, dien utilibus, reservans curiosa, licet honesta in recreationis tempus?

Non a peccato excusari potest is, qui tempus terit in legendis inutilibus, et saepe periculosis libellis, foliisve publicis? Qua conscientia

potest sacerdos subscribere diariis ejusmodi, quae directe vel indirecte auctoritatem Ecclesiae vel morum puritatem non raro labefactant?

Cum officiis divinis obeundis et frequentandis scholis debitum tempus (clericus) impenderit, quod reliquum est, non in vanis et inutilibus colloquiis, profanisque actionibus, sed in divinarum litterarum studiis et coelestium rerum meditationibus et sanctis piisque officiis traducat, sciens ex Bened. XIV., *tota vita studendum esse?*

Ut autem ad studendum exciteris, non vero in terra talentum abscondas, an mente pervolvis quid dixit. Conc. Prov. Mechl. "Magna oportet instructum esse scientia, qui de rebus maximis extempore judicare debet. Ideo confessarii quibus non hominis, sed Dei judicium exercendum est, et quidem de animabus pretiose Jesu Christi sanquine redemptis, lectioni eorum librorum unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissime vacare merito debent."

Omnes enim tentur scire ea, quae ad eorum statum vel officium pertinent. Manifestum est autum quod quicumque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere peccato peccat omissionis; unde propter negligentiam, ignorantia eorum quae aliquis scire tenetur, est peccatum. S. Thom. Ne scientia inflet, an eam sincera humilitate et charitate condis?

Quanto major est, quanto doctior humilias te in omnibus, et invenies gratiam. Imit. Ch.

Indoctus sacerdos, praeterquam quod seipsum et ecclesiam dedecoret; impar omnino est erudiendis, et exhortandis, ut necesse foret, populis; quos propterea, in vitia et in interitum ire oportet. Unde Deus olim aiebat ad veteres sacerdotes. Lev. x. "Preceptum sempiternum est, ut habeatis scientiam discernedi inter sanctum et profanum," similiter dicit apud Mal. ii.: "Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.

Ut valeas scientiam necessariam et convenientem seu congruam adipisci imprimis observandae sunt.

Primo, *Oratio*, cujus ope plus profecerunt sancti quam ex multis libris; teste sancta Thoma.

Secundo, *Studium assiduum; i.e.*, labor bene ordinatus; tempus bene distributus, et determinatus; "Omnia juxta ordinem."

Tertio, Usus librorum paucorum, et in illis seligendis semper petens consilium sacerdotum peritorum.

Quarto, *Fregens cum peritis collatio.* Maxime adjuvat

in promonendo zelo post scientiam, menstruata collatio theologica habenda inter vicinos sacerdotes. Talis intercommunicatio promovet charitatem mutuam, unionem spiritus, hospitalitatem et alia juxta id, "quam jucundum fratres habitare (consociare) in unum."

XXII.

DE TEMPORIS USU, ORDINE DIURNO ET NEGOTIIS.

Primo: Tempore nihil pretiosius, ex cujus usu, bono vel malo, pendet felix aut infelix aeternitas.

(1.) Nihil tamen labitur celerius, nihil teritur facilius, nihil difficilius recuperatur.

(2.) Constat autem tempus minimis particulis sibi succedentibus, quarum solum instans praesens est in nostra potestate, quod ipsum labitur et nobis elabitur.

(3.) Quanti ergo refert bene illud collocare! ad quod necesse est illud praevie distribuere, et singulas ejus particulas suis usibus destinare, ne vacuae frustra effluant.

(4.) Cogita quanta pars vitae tuae defectu praevisionis et praeviae destinationis inaniter effluxerit.

Secundo: Constat aeternam quam speramus beatitudinem, ad quam tendimus, ex vitae praesentis sanctitate pendere: hanc autem sanctitatem ex ordine vitae nostrae, quae sanctior erit quo fuerit melius ordinata: ordinem autem totius vitiae pendere ex ordine diurno, et horarum ex quibus constat distributione. Maximi ergo momenti est, totum diem et singulas ejus horas recte ordinare; juxta illud: Non defrauderis a die bono, et particula doni boni non te praetereat. Eccli. xiv.

Tertio: Circa actiones nostras diurnas, quae tempus occupare debent, tria ordinanda sunt: (1) natura singularum, nempe quid agere aut vitare debeamus; (2) tempus, seu quando et quamdiu singulis vacandum; (3) modus, nempe qua methodo et quo spiritu fieri debeant, ut bonae sint et Deo placitae.

Rursus tria sunt genera actionum facienda: (1) religionis et pietatis exercitia; (2) negotia et officia cujusque pro suo statu; (3) necessaria vitae adjumenta. Prima sunt necessario, indispensabiliter et integre facienda; secunda ex ratione prudenter et moderate agenda; tertia ex sola ne-

cessitate assumenda. Singulis certum tempus assignandum.

Quarto: Exercitiis spiritualibus, et naturae adjumentis, ut cibo, somno, recreationi, occupationibus autem cuique propriis, particularibus regulis, suum cuique tempus est assignatum, et singulae ordinatae. Si quae autem non sunt, ea ordinandae sunt.

Quinto: Ordo semel praescriptus constanter est sequendus et servandus, nec dimittendus ex levitate vel taedio humanove respectu: nec tamen ei serviliter adhaerendum, si quando aliud postulat necessitas vel charitas.

Sexto: Modus autem singulas actiones recte faciendi requirit duo; nempe methodum qua formentur exterius, et spiritum quo interius animentur. Spiritus consistit, primo, in intentione recta et pura, finis cujusque actionis proprii relative ad gloriam Dei, quae initio operis diligenter efformanda est; et si longius fuerit in decursu se pius excitanda; secundo, in fervore quo agitur digne, Deo praesente et spectante, ad imitationem Christi et sanctorum. In omnibus autem operibus tuis praecellens esto (Eccli. xxxiii.), et ad hoc cura ut actiones tuae omnes fiant, (1) in Deo, hoc est in gratia et in charitate: (2) pro Deo, et ad gloriam ejus; (3) coram Deo, in illius praesentia; (4) cum Deo, ipsi cooperando, et Christum imitando.

Septimo: Circa debitas erga proximum functiones, haec adde: (1) in illis serva conscientiam, sobrietatem, diligentiam; (2) nosce tempus, et suo quodque tempore facito; (3) age quod agis, fuge alienas cogitationes, perturbationem, praecipitationem; (4) sic age quod agendum est, quasi nihil a Deo exspectes: et sic omnia a Deo exspecta, quasi nihil egeris; (5) de negotii sucessu divinae voluntati omnino conformare, et acquiesce.

Proba cor tuum, interroga opera tua?

XXIII.

DE SERVANDO CONCORDITER UNITATEM SPIRITUS.

"Diligite invicem," et sic mirabitur vos mundus et venerabitur, et imitabitur et cordialiter vos audiet et obediet.

"Dominus detestatur eum,

qui seminat discordias inter fratres." Prov. vi.

Charitas exigit ut *confratres* tanquam membra mutuo se foveant in Christo, mutuo amplectantur, sibique opitulentur, ut sit Ecclesiasticorum cor unum et anima una, sicut est sponsa omnium, una Christi Ecclesia. Com. SS. P.P.

"Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus." Rom. viii. 1.

Nunc quis est iste spiritus? Docet nos S. Apostolus hic verbis "*ambulate in delectione.*" Eph. v. Et Philip ii.: "Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam." Nobis qui "non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est" (Cor. ii.), haud dubio pertinet exhibere mundo hunc spiritum?

Sic sentis et agis? An in te vivit "vetus homo" homo superbus, cupidus, invidiosus, contentiosus, tractans modo despotico, a detractione linguae tuae nullum fratrem parcens, procax, et inconsideratus ad loquendum etiam coram saecularibus? Radix omnium contentionum est vel infelix invidia, vel amor proprius, et non raro defectiva educatio?

Quam maxime et sepe vulnerata est mater nostra, Ecclesia, propter rixas et discordias fratrum (sacerdotum). Bona sacerdotum fama et fiducia populi in illos sic diminuatur cum maximo animarum damno.

"Alter (Gal. vi.) alterius onera portate." Per onus dicit commentarius intelligitur quaelibet infirmitas.

"Sine charitate nihil es, sine charitate sacerdos dici potes—esse non potes." Peter Blossius, Tract, de Cha.

Quaenam praxis servanda est pro tuenda charitate?

Primo: Debemus ex charitate lapsos excusare, e.g. forte ignoret; forte abreptus est vi tentationis, vel humana infirmitate.

Secundo: Debemus lapsum erigere, sanare, et si munus urget, ut superior, instruere in spiritu lenitatis, cum affectu interno, et timore "hodie tibi; cras mihi." Omnes enim "*in carne ambulemus*"

Tertio: *Onus* infirmi misericorditer intuere debemus, sicut Christus languores nostros portavit, et expiavit; sic onera fratrum portemus per compassionem, per instructionem, per orationem, per penitentiam pro ipsis factam.

Quarto: Maxime cavendum ne, sicut Phariseus; ob aliorum opera mala externa; superbiamus.

De hoc plura, et exempla, vide apud Cornelium A'La pide.

PUNCTA UTILIA DE HAC RE.

Si honori tuo consultum vis, cum bonis ambula. Si id non potes, quia aut non nosti aut qua alia de causa, solum te esse atque ire, quam cum malis, est optatius.

Ne sis morosus et difficilis, sed comis et liberaliter officiosus, sermonem accipe et redde.

Ludum contentionibus aut inconditis clamoribus ne misce; neque rideas effuse, indecore, aut sine causa.

Si quando ulla de re duo contendunt, neutri, nisi quid coget, accedito. Quod sentis, ne pertinaciter defende. Alieno potius sta judicio, iis praesertim de rebus, quae sint ne, an non sint, haud magni interest.

Si quid narrare occoeperit aliquis, non obtundas narranti id jam te scire. Multo minus dici aequum est: Non sic se res habet, falleris, ita habet ut dico, &c.

Nulli vitia exprobres, ne naturae quidem; nec voluptati ducas verbis factisve quemquam pudore suffundere.

Neminem injuriose compella, neque joco neque extra jocum; neminem verbis perstringe, neminem ludifica, tametsi causa subsit.

Lacessitus verbo, vel injuriose compellatus, que respondeas, neque te defendas. Magis autem, quasi dictum joco, elude, aut tanquam ea te modice tangant, ita te ostende.

De nullo mali quidpiam loquere, de nullius rebus ulla ratione detrahe; si quem vero laudas, modum tene.

Praesertim vide graviter loquaris ac verecunde; SUSURRATIONES nec clam alteri in aurem, nec liberius quasi per jocum, effunde. "*Et pacem semper habete.*"

XXIV.

DE PRAXI MORTIFICATIONIS SENSUUM, PASSIONUM, PRAVORUM HABITUUM ET LINGUAE.

Primo, Hoc necessarium est: "Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum." Matt. xvi. 24. "Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo." Colos. iii. 3.

Secundo, Est opus nostrum: Hoc est opus nostrum

in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare; quotidie affligare, minuere, fraenare, interimere . . . Non qui secundum carnem suam vivunt, non qui secundum spiritum suum vivunt, sed, "quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei." S. Aug. Serm., Rom. viii. 14.

Tertio: Exemplum Domini: "Christus non sibi placuit. Rom. xv. 3. S. Greg. Magn. hortatur nos in his verbis. "Pleterique justi *cuncta etiam licita respuunt, licere sibi nolunt omne quodlibet, bona sibi amputant etiam concessa, contemnunt visibilia.*"

Quare statue, et dic cum Davide, persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant." Ps. xvii.

Circa sensus, omnes praesertim oculi, lingua, et aures, diligentissime custodiendi sunt ab omni inordinatione, nam "mors ascendit per fenestras;" id est per sensus, interprete S. Gregorio Magno. Denique eo enitere, ut sensibus necessaria tantum utaris, eisque superflua, quantum potes, deneges.

Circa passiones, recole illud Jeremiae: *Constitui te ut evellas et destruas.* Hae sunt radicitus evellendae, et destruendae per conculcationem ut herbae noxiae, quia omnium fere peccatorum sunt radices.

Circa pravos habitus quos contraximus passiones non refrenando, et tentationibus non resistendo; necessarium erit frequentur elicere affectum ad bonum illis contrarium, et exercere actus contrarios, et paulatim et per partes omnes pravos excessus minuere, donec perveniatur justam mensuram.

Circa linguam, frequens consideratio verborum Apostoli juvabit hanc mortificationem: "Si quis putat se religionem esse, non refrenans linguam suam, illius vana est religio."

Cave diligenter a vitiis linguae de quibus S. Jacobus sic loquitur, e.g., contentio, secreti revelatio, mendacium, loquacitas, scurrilitas, murmuratio, contemptus aliorum, detractio, intemperantia in novis exguirendis et evulgandis. Ex quibus maxime cavenda est *detractio*, seu alienae famae denigratio et defectuum alienorum revelatio. "Abominatio est hominum detractor." Prov. xxiv. Et Rom. i.: "detractores Deo odibiles."

Gravitas autem hujus culpae non tantum ex re quae dicitur, sed etiam ex dignitate personae et damnis illatis desumenda est.—Vid. Rev. P. Pelildidier.

SPECULUM VIRTUTUM FUNDAMENTALIUM.

I.

HUMILITAS.

Si cupis multum placere Jesu Christo, abundantissimas recipire gratias, utiliter laborare in populo; practice afficiaris erga sanctam humilitatem. Deus superbis resistet, humilibus autem dat gratiam. I Pet. v. Qui se humiliat, exaltabitur. Matt. xxiii.

An serio perpendis superbiam initium esse omnis peccati (Eccl. x.); Deo odibilem et hominibus. Ibid.

An sedulo evritas quae superbiam sapiunt, ejusmodi sunt: talenta velle ostendere; aliis nolle cedere; non petere consilla; non sapienter dubitare?

Contra conscientiam agere ex amore placendi et displicendi timore, praecipue erga divites. Blandiri divitibus et imperiose agere erga pauperes in confessionali, in visitationibus, &c.

Animum despondere, si res ex voto non fluant; rogare mutationem, nisi ob gravem, justam et sat diu ac serio perpensam coram Deo rationem.

Multum invigilet sacerdos ne ex consuetudine docendi, dirigendi, et imperandi, *contrahat arrogantiam aliquam et characteris duritiem, quae sacro ministerio plurimum obesset.* Ex ista inflexibilitate oriuntur saepe inter clerum et populum dissidia, quae per sanctam et apostolicam simplicitatem et charitatem vitari potuissent.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formentur Christus in vobis. Gal. iv. 19. Nihil est tam durum et arduum quod non amoris igne vincatur. S. Chrys.

Humilitas est vera sapientia quam nos Christus docuit factis et verbis.

"Discite a me quia humilis sum."

"Ideo Filius Dei factus est homo," dicebat humilis et seraphicus sanctus pater Franciscus, "ut homines docesset humilitatem."

Intus erga superbire est vera insipientia, et ut ait Ecclesiasticus, x. 15: "Initium omnis peccati." Haec duae sunt precipuae virtutes sacerdotis; humilitas cordis, et paupertas spiritus; ideo in sua conservatione sacerdos sit humilis, in usu rerum et in praxi sit pauper.

Nihil tam periculosum sacerdoti quam *elatio cordis.* Hinc praestat sepe ad proprias infirmitates attendere. "Attende tibi," et debet arquere sic "medice cura teipsum;" similiter ad tuum *nihilum* recurrere. Ps. vii. "Ego vermis et non homo." Ait optatus Milevitanus, citatus a Cor A Lapide. Luc. xii. 18. "Meliora sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia."

"Humilitas est virtus," ait S. Bernardus, "qua quis, verisima sui cognitione, sibi ipsi vilescit." Vilescit autem sibi homo considerando se in donis; naturalibus et supernaturalibus; nihil habere quod a Deo non acceperit (1 Cor. iv.); et quantum ad bona opera quae ad salutem spectant, se ea non nisi auxilio gratiae praestare potuisse, et saepe valde imperfecte praestitisse; ita ut, si appenderentur bona opera, et opera mala, non posset respondere unum pro mille. Job ix.

Apostolus Ephesios humilitatem strenue inculcat, quia ipsa mater et nutrix est concordiae; sicut superbia matrix, nutrix et fons est discordiae.

Pars practica humilitatis, et quae quasi praecipua est, consistit in patienter ferendo humiliationes, qualicumque ex parte nobis adveniant. "Si virtutem humilitatis appetes, ait S. Bern. viam humiliationis ne refugias."

II.

DE TEMPERANTIA IN CIBO ET POTU.

"Multi ambulant, flens dico, inimicos Christi quorum finis interitus, quorum Deus venter est." Philip. xi. "Sobrii estote." S. Pet. v.

Nonne habes rationem flere et dolere quia fecisti sepissime tibi idolum: "Deus venter est" et hoc dum cognoscis; "malum voluptas corporis, bonum vero afflictio." S. Bern. Serm. Dum descernit C. Trid.: "frugali victu contenti sint," sacerdotes: dum admonent Sancti, presertim St. Bern. Serm. Cantic.: "Te volo admonitum esse ut ita auctoritas Apostoli placet de bibendo vino:" "modico," quod ille adjunxit, nunquam pretermittas.

Quo fine uteris dona Dei? Si voluptas est causa finalis, erit peccatum saltem veniale. Scavini Theo. tom. ii.: "Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum. Haec propositio condemnata est."

In cibos et potus lautiores queris?

An excidis in quantitate mensuram moderatae refectionis? omnino oblitus quod, parcitas potus cibique, superbiam carnis terat, et ejusdem sanitatem et longitudinem dierum fovet, ut experientia quotidie et auctoritas eminentium medicorum fovet? Aliter, "concupiscentia carnis rationi contrarius est." S. Thomas.

"Dum carni parcimus, contra nos hostes nutrimus." S. Greg.

"Ad meliora natus sum, quam ut sim mancipium corporis mei." Ejusdem verba pagani, Seneca? et tu Christiane aliter edoces et agas? S. Jerome docet quod, "Anima ad celestia non surget, nisi in mortificatione membrorum." "Oh felix penitentia," exclamat S. Teresa, "quae tantam gloriam mihi promeruit."

Nunquam legistis (Memo. Vitae Sac.) haec verba "regnum meum non est esca et potus, neque introbit in illud qui secundum carnem vixerit."

"Cum excessa potationis, etiam in plebe Christiana nihil sit turpius, ac proinde in dispensatoribus mysteriorum Dei quorum vita, pietas que inservire debet fidelibus exemplo, sit scandalum, statuimus ut si quis sacerdos huic vitio indulserit, illudque quod absit, in habitum duxerit, tertio admonitus et corrigi nolens, ab exercitio ordinum suspendatur, et etiam modo parochus sit, et pertinax persistat, beneficio privatur." Decreta et Acta Provinciae Tuamensis, Hibernia.

Quid resolves: "te reprehende et corrige, sis judex tuiipsius."' S. Chrys.

"Vince teipsum." Aureola regula S. Ig. Loyola.

Non vane urget S. Liguorio (Praxis Conf. monita in genere pro perfectione), "collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis, mascula determinatio se vincendi, et vim sibi in occasionibus inferendi, ait S. Teresa, "Si defectus non procedit a nobis, ne timeamus quod Deus se abstineat ab impertendo nobis auxiliam ad nostram sanctificationem."—Cavere a quocumque minimo defectu deliberato, demon enim per opera minimarum rerum facit foramina per quae res magnae impediuntur.

Non tristari post admissos defectos, sed cito se humiliare, et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis et proposito, se in pace remittere, et ita semper gerere, etiamisi centies in die quis caderet. Alienare se ab omnibus propinquis rebus et voluptatibus, aliter, inquit S. Teresa, "Anima non recendendo a voluptatibus mundanis, non post multum denuo recedat a Dei."

Habe ante oculos semper invitatio Christi, "Veni, et

sequere Me." Quomodo Domine? "Esurivi, ego magister, et tu discipulus velles abundare, sitiva, et tu velles abundare. Sitivi, et tu velles suaviter inebriari." Fili, tu vis venire post me, "abnega temetipsum, et mortificationem meam in corpore tuo circumfer, convivia fuge, in illis peribis, quoniam ibi concupiscentia quasi ignis exardescit." Memoriale Vit. Sac.

"Ab omni specie intemperantiae et ebrietatis, omnium vitiorum fomitas ac nutrix prorsus abhorreant sacerdotes." Con. Plen. Epis. Hibern.

III.

CASTITAS.

"Qui carnalia pro Salvatore dimiserit spiritualia recipiet; quae comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur." S. Hier. Com. Evan: "Ecce nos relinquimus omnia." Pro conscientiae pace et serenitate, pro cordis independentia et vigore, pro intima cum Christo familiaritate, pro gloria sacerdotii, pro aedificatione populi," te ipsum castum custodi (1 Tim. v.), et sacerdotali gravitate, vel minimam incontinentiae suspicionem devita.

An Deum oras, et in tentatione mox ad ipsum fiducialiter recurris?

"Ut scivi quoniam aliter non possemesse continees nisi Deus det; et hoc ipsum erat summa sapientia scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum et dixi ex dotis praecordiis. . . ." Sap. viii.

Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Tuta requies in vulneribus Salvatoris. S. Aug.

An humilitatem colis? ut castitas detur, humilitas meretur. S. Bern.

An fugis occasiones tentationum et lapsuum? . . . Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. S. Aug.

An familiaritatem cum sexu et omnem levitatem ut pestem mortiferam abhorres? . . . Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; quo enim sanctiores fuerint eo magis alliciunt. S. Aug. in Ps. l.

An contra synodorum statuta et repetitas superiorum ordinationes, non habes ancillam juniorem, cultu elegantiorem, garrulam et dominatricem?

Periculose tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis. S. Hier.

An ita agis cum sorore, nepte, ancilla, &c., ut nunquam oriatur nimia facilitas, quae

contemptum et alia mala pariat? An nihil ipsis vel aliis communicas de parochiae administratione, ex quo saepe dissensio in clero, obloquia et scandala in populo oriuntur?

An visitationes non istituis periculosas et suspectas, ex praedilectione erga aliquas personas? . . . Saepe experti sumus tam in nobis quam in alias, quod frequens conversatio cum saeculo devotionem mentis extinguit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, orationes negligere. S. Bonav.

An otium vitas ut malorum omnium, et imprimis impuritatis seminarium? . . . Multam malitiam docuit otiositas. Eccl. xxxiii. Facito ut te semper diabolus inveniat occupatum. S. Hier.

Castimoniam nunquam assequeris, nisi te carnis maceratione afflctaveris, sensus omnes compresseris. S. Car. Borr.

Mortificationes, etiam minimae, mirifice fervorem nutriunt et ignem concupiscentiae extinguunt.

An temperantiae regulas observas, praesertim in potu, in quacumquae occasione?

An deditus es compotationibus, conviviis, lusui, et hoc cum dispendio studii et famae? . . . Quot saepe miseriae ex uno infelici excessu in potu!

Ebrietas et vinum auferunt cor. Os. iv. Et in vinos luxuria. Luxuria nutritur a ventris ingluvie. S. Bonav.

Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Is. v.

"Quidam vacant lusibus per sacros canones prohibitis. Comessationibuss quoque et ebrietatibus obruunt se et immergunt, ex quibus prodit quasi ex adipe iniquitas eorum, et transiit in affectum cordis." Conc. Trid.

An statuta circa ingressum in tabernas non negligis?

Prohibitum est omnibus clericis sub poena reservatae episcopo suspensionis, seu revocationis facultatem eis concessarum, ipso facto incurrenda, (in diose. Cassl. Hibern.) vinum bibere ante prandium.

An non de numero es circumcursantium, quibus illud propheticum applicatur: dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?

Castitas est precipuum sacerdotis, et evangelici ministri ornamentum, ait S. Bernardus, quod eum dilectum Deo et hominibus facit. E, contra, impuritas reddit illum contemptibilem. Virginitas et castitas est verae Ecclesiae nota ait; Cor A. Lapide, solis catholicis, Dei gratia possibilis, hereticis impossibilis, apud quos non inveniri virgines, nec ministros celibes.

IV.

PAUPERATIS SPIRITUS.

Ad paupertatis spiritum fovendum saepe revocemus in mentem J. C. qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut ejus inopia nos divites essemus. 2 Cor. viii.

Consideremus Apostolos, qui in paupertate sua mundum fide et virtutibus ditarunt; inspiciamus vitam virorum apostolicorum, qui quanto spiritu pauperiores fuerunt, tanto majores fructus in populo ediderunt.

Saepe illud David cum repetamus.

Dominus pars haereditatis meae et calicis mei; tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Ps. xv.

Ignominia sacerdotum est propriis studere divitiis. S. Hier.

"Cavendum summopere est sacerdotibus ut ab avaritiae peste, quae est idolorum servitus, a cupiditate, quae radix omnium malorum est, se compescant." Conc. Paris.

Vix dici potest quantum haec avaratia auctoritatem et dignitatem sacerdotalem, non sine magna animarum jactura, diminuat.

"Quamvis ex apostolica sententia nàturalis et divina jubet ut qui altari servit, de altari vivat; tamen quaestus et lucri causa ad altare accedere, maximum sacrilegium est." Catech. Rom., p. 2, 27.

An non exigis jura tua usque ad ultimum quadrantem, in quacumque circumstantia? . . . Cui autem thesaurizas?

An parochias ex nummis ponderas, et iteratis postulationibus, ex habendi desiderio, mutationem tuam petis, quod saepe superioribus onus est et dolor, externis autem et subditis scandalum.

An, si multum tibi fuerit, abundanter tribuis; et si exiguum, etiam exiguum libenter impertire studes. Job iv.

An sincere amas pauperes, et ita ministerium tuum commendas? "Pauperum et miserabilium personarum curam paternam gerant Pastores. Trid. Sess. 23, c. 1. de. ref.

An non deditus es prodigalitati?

An aeconomia est in re domestica? Id est, sibi parens; in pauperes magnificus?

Quomodo exemplum dedisti in hoc sacerdotali virtute?

An, "pro viribus et supra vires," juxta normam Ecclesiae Macedoniae, laudetur ab Apostolo.

Eleemosynam tuam considera quasi tributum, quo Deum tui et tuorum omnium Dominus protestaris, humiliter ergo et reverentur accipere dona decet.

Quid aliud?

"Scitis enim Jesus Christus propter vos egenus factus est. Cor. Unde caruit omnibus bonis temporalibus. . . .

Natus in stabulo. In presepio positus "quia non erat locus in diversorio."

Vivens non habuit ubi caput reclinaret.

Moriens nudus, sepultus in sepulchro alieno.

Et hoc, "exemplum dedi vobis."

Eleemosyna plus prodest in facientibus, quam in accipientibus. D. Jo. Chrys. addit. Nisi pauperes essent, salus nostra magna ex parte profligata ac eversa esset.

"Non quantitatem, sed mentis qualitatem respicit Deus," ait Theod.

S. Aug.: "Si potes dare da, si non potes affabilem te fac, coronat Deus voluntatem ubi non invenit facultatem."

An observas hoc: "Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude." Job iv. 9. An etiam pro viribus *tuam partem confers* ad pia opera, quibus salus animarum, divinaque gloria impense promovetur, e.g., ad extructionem templorum et scholarum, &c. Non? cuinam thesaurizas? Tuisne haeredibus? Tuisne cognatis? Sed memento S. Synod. Trid.: "*Omnino interdicit, ne ex reditibus ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant.*" *Et haec verba solemnia excogitanda maxime in condendis testamentis.*

"Facite vobis sacculos qui non viterascunt, thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropriat, neque tinea consumit, ubi enim thesaursus vester est, ibi et cor vestrum erit." Luc. xi.

An petis superfluitates, vel vestes, equites, libros, vel ad mensam?

Vexo cum qui me vexat, respondit, asceticus eis qui cum interrogaverant de ejus mortificationibus. Et quomodo. Habent quippe sancti veri hoc proprium ut semper ab illicitis longe sint a se plerumque etiam licita abscindunt, qui ad illicita noluerita licitis se custodiant, i.e., indifferenter tenent omnia. S. Ignat., Ex Spt.

"Naturam non accusa, si alia est quam optares, teipsum argue; cur non meliorem efformas. Non poterat fieri ut primam efficeres, potest nunc ut reficias. Nulla est tam

pervicax, quae correctionem recuset. Pompt. Morale. S. Ignt."

"Vince teipsum, si enim vinceris, splendidiorem in celo, quam alii qui mitiori sunt ingenio, coronam adipisceris. Ibid.

Irrationalis brutusque appetitus, quamdiu poenitus extinctus non est, semper adversus rationem et sanctiores affectus insurgit, et nativo pondere ad ima retrahit. Resolutione opus est, ut ex toto in spiritualem convertatur." Ibid.

S. Petri Alcantara: "Annum agens sexagesimum tertium, hora qua predixerat migravit ad Dominum, mirabili visione sanctorum presentia confitatus, eodem memento illum in coelo beata Teresea procul distans vidit. Cui postea apparens dixit: "O felix poenitentia quae tantum mihi promeruit gloriam, Quanto sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam!"

Mortificatio debet esse interna et externa, prima respicit passiones, amorem propium, superbiam, inordinata disideria reprimenda, defectus naturales, iram, invidiam, odium, &c.

Externa: incommoda sensuum, ac labores perferendos, specialiter, temperantiam et jejunium, ordinem diurnum, quotideanam, cruces, tentationum molestia, labores, sui et fratrum defectus sufferendis juxta dictum. Luc. ix. "Tollet crucem suam quotidie."

V.

CHARITAS ERGA FRATRES.*

An cum sacerdotibus saecularibus et regularibus sollicitus es servare unitatem spiritus in vinculo pacis? Eph. iv.

Ut sint consummati in unum. . . . Ut cognoscat mundus quia tu me misisti. Jo. xvii.

An tuo agendi vel loquendi modo parochia non scinditur in prates, ita ut audiatur illud; ego sum Pauli, ego vero Cephae? 1 Cor. i.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate . . . . non quae sua sunt singuli consi-

---

* Vid. p. 477.

derantes; sed quae aliorum. Phil. ii.

An te non immisces rebus alterius parochiae, aut criticam non exerces, quia alter multa ex vero zelo facit, quae tu ex ignavia non facis?

An in maximum bonum parochiae omnia tendas media ut concordia inter populum existat?

An non es inconsideratus ad loquendum praesertim coram saecularibus (Prov. xiii.) et ita bonam sacerdotum famam, et populi in illis fiduciam diminuis, cum maximo saepe animarum damno, et gravis proprii peccati periculo. In hanc materia facillime aliqui se decipiunt, principia theologiae circa detractionem famaeque restitutionem sibi parum applicantes. Monet spiritus sanctus: cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum; et ruinam utriusque (dicentis et audientis), quis novit? Prov. xxiv.

Vinculum pacis, unitatem spiritus, sub quocumque protextu numquam disrumpes. Debemus esse corpus compactum et connexum, alter alteri adherens, spiritu Christi debemus animari, moveri et agi.

Partiales affectus sunt periculosi, a natura non virtute nascuntur, a passione, non ratione nutriuntur. Quisque inter homines agere, versarique tutus desiderat, summi momenti id esse ducat, ut aequus sit omnibus, obnoxius nemini. S. Ignat.

VI.

OBEDIENTIA.

Obedite praepositis vestris et subjacete illis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris redditurí, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis. Heb. xiii.

Vir obediens loquetur victorias. Prov. xxi.

An debitam Summo Pontifici venerationem, et omnimodam obedientiam qua in re patria nostra obedintiam, semper excelluit; quaque inter maxima Hibernia fidem catholicam objurgantia meruit retinere; in te colis atque aliis sedulo inspiras?

Proin an debita judicii submissione non solum decisiones ejus accipis, sed etiam in praxim deducis ea, quae ipse,

vel ei auctoritatem habentes statuunt, v.g., congregatio Rituum circa Rubricas, &c.?

An subjectus es Episcopo (S. Ign. M.) et ipsum sequeris, ut Jesus Christus Patrem?

"Ego N. juro et promitto obedientiam et honorem Summo Pontifici Romano, reverendissimo Domino Episcopo N. eorumdemque successioribus. Item juro et promitto ecclesiae meae parochiali de N. fideliter deservire secundum oneris illi annexam exigentiam, &c." Vid. Juramentum, &c.

An subditus es pastori tuo?

Vicarii et alii pastoribus obedientiam praestare debent. Hic ordo in ecclesia constitutus, hic a saeculis synodi antiqui exigunt. Conc. prov. Paris, an. 1846. "Parochos monemus, ut vicarios honorent ut Christi sacerdotes, diligant ut fratres, sublevent ut cooperatores et praecipuam sollicitudinis, ac laboris partem libenti animo amplectantur."

An in spiritu fidei, et ex obedentia, munus quodcumque assumis pro salvandis animabus?.

An si, ex positis difficultatibus, res ex voto non fluat, omne murmur in corde comprescis, et jussa superiorum, debita submissione voluntatis et judicii, exsequeris?

Sicut scelus ariolo nolle acquiescere. 1 Reg. xv.

An superiorum dicta et facta, cum gravis peccati periculo, examinas, dijudicas, carpis et in malam partem interpretaris? Qui vos spernit, me spernit. Luc. x.

An non immices te rebus, quae minime te occupare debent?

Quid securius in vita, quid jucundius in morte, quam in simplicitate cordis sui, superioribus obedivisse, sicut Christo?

SYNOPSIS EORUM, QUAE IN STATU CLERICALI SERVANDA SUNT.

Monitum I. Sacerdotes "sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt." Lev. xxi. 6.

Quare statu clericali suscepto non ex levitate, avaritia, ambitione sed Deo vocante, perfectione status alliciente, zelo tuae proximique salutis impellente.

1. Incede in habitu gravi, modesto, mundo, canonico.

2. Episcopo tuo esto obe-

diens in praeceptis, decretis, monitis; obsequens corde, verbo, opere.

3. Fuge domus suspectas, consortium mulierum, ludos, choreas, theatra, venationes, contemptus, susurrationes et tumultus in Episcopum, superiorem, quemcumque; viles famulatus et turpem oeconomiam; avaritiam ex munerum acceptione, ex inopportunis exactionibus, ex rei alienae administrationibus.

Monitum II. Perfectus eris et absque macula (Deut. xviii. 12); et exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. 1 Tim. iv. 12:

1. In scientia divina, ecclesiastica, et in litteris humanioribus. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Os. iv. 4, 6.

2. In prudentia, in consiliis, judiciis et imperiis. Dux indigens prudentia multos opprimet. Prov. xxviii. 16.

3. In modestia et gravitate, in vestibus, sermonibus et moribus. Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo. Eccl. xix. 27.

4. In liberalitate erga pauperes, peregrinos et templum. Quomodo potueris ita esto misericors. Tob. iv. 8.

5. In temperantia quoad divitias, convivia, solatia.

6. In integritate coram Deo, hominibus, teipso.

7. In obedientia, obsequio et amore erga sanctam ecclesiam, summun Pontificem, Episcopum eorumque decreta.

Monitum III. Sacerdotes induantur justitiam. Ps. cxxxi. 9. Perpende igitur muneris tui dignitatem, angelicis humeris formidandam, regia celsitudine excelsiorem, omnibus venerabilem, admirabilem potestatem in Corpus et Sanguinem Filii Dei, in peccata, hominum remittenda, strictam obligationem tuam studendi angelicae puritati, seraphico fervori, incessanti progressioni in virtutibus. Factus es interpres et legatus Dei, aeterna decreta promulgens, sacerdos in aeternum, immolans et offerens Filium aeterni Patris in victimam; mediator inter Deum et homines per oblationem sacrificii pacis precumque fidelium. Cave itaque ne sis sacrorum contemptor, Summi Pontificis auctoritati parum obsequens, periculosae aut dubiae doctrinae sectator, rigidus et asper, aut remissus in poenitentes, avarus, immundus, impudicus, vinolentus, turpis lucri cupidus (1 Tim. iii.; Tit. i.); sed esto pius, sobrius, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis factus. Heb. vii. 26.

Monitum IV. Obsecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Eph. iv. En media efficacia:

1. Timor et amor Dei. 2. Custod a sensuum et cordis. 3. Sancta occupatio memoriae, intellectus et voluntatis. 4. Usus frequens meditationis et examinis conscientiae, Sacramenti Poenitentiae, visitationis Sanctissimi Sacramenti, collationis cum confessario vel patre spirituali, lectionis spiritualis. 5. Devotio erga SS. Cor Jesu, B. M. V., S. Angelum Custodem, et sanctos patronos. 6. Cautela et moderatio in negotiis, conversationibus, solatiis. 7. Fidelitas in servanda temporis oeconomia, sanctificandis diebus festis, obeundis quotidianis pietatis exercitiis

---

ORATIONES SACERDOTIS POENITENTIS.*

Oratio poenitentis ad Christum.

In unione acerbissimi doloris tui, Domine Jesu Christe, confiteor tibi omnia peccata mea, et dies perditos vitae meae, in quibus te offendi, et a te summo Bono cecidi, et proximum in casum traxi. Suscipe ergo, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum: pro his vero, quos male vivendo perdidi, cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias. Dies mei declinaverunt, et perierunt sine fructu. Impossibile est, ut eos revocem; sed placeat tibi, ut recogitem illos in amaritudine animae meae. Domine, abyssus profundissimae miseriae meae abyssum invocat altissimae misericordiae tuae. Ne contineas in ira miserationes tuas, et fontem inexhaustum misericordia tuae circa me exsiccari ne permittas, qui misereris omnium, et nihil odisti eorum, quae fecisti, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Tuum est, Domine, remittere peccata: miserere mei, dum tempus est gratiae et miserationis; et dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Rogo te propter temetipsum, et per amorem piissimae Matris tuae, gloriosae Virginis Mariae, et per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, ignosce omnibus peccatis, negligentiis et ignorantiis meis, et ne perdas me cum omnibus iniquitatibus meis. Recodare, Domine Jesu, quia tuum non est perdere quidquam eorum, quae Pater

---

* Ex quibus quisque sibi elegat convenientes.

tuus dedit tibi; quin tibi proprium est misereri semper et parcere. Ne permittas me deleri de libro vitae: sed conserva me, opus tuae pietatis, ne incassum circa ipsum laboraveris, neve infructuosa sit in me immaculati cruoris tui effusio. Tu, qui es purificationem faciens peccatorum, praesta, ut, emundatis per te peccatorum sordibus, illustrataque mentis facie, cognoscam te, teque agnoscens in dilectione jugiter ad te tendam, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, Jesu Christe, Deus meus et Dominus, meus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis, &c.

Oratio S. Augustini.

Deus justitiae, te deprecor, Deus misericordiae, Deus invisibilis, Deus incomprehensibilis, Deus inenarrabilis, Deus aeterne, Deus perpetue, Deus benedicte, Deus cujus omnia, Deus in quo omnia, Deus sub quo omnia, Deus per quem omnia sunt. Parce animae meae, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Visita infirmum, cura aegrum, sana languidum. Da cor, quod te timeat, sensum, qui te intelligat, aures, quae vocem tuam audiant, oculos cordis, qui te videant. Da scintillam sapientiae tuae, quae mihi justificationum tuarum iter ostendat, et a faucibus inimici declinare me doceat. Miserere mei, Deus; parce, quia peccavi tibi; indulge, quia peccavi tibi, et propter duritiam cordis mei in ipsa peccatorum meorum morte percurro. Ego ore, ego corde, ego opere, ego in omnibus vitiis inquinatus, et omnibus sceleribus coopertus sum; veniam peto quia crimina cognosco, scelera mea fateor, quae etsi non confiterer, te tamen latere non poterant. Tu enim scrutator es cordis et renium: tibi abscondita revelantur, et scelera patefiunt. Miserere mei, Deus; Domine, ne me perire patiaris, ne me sinas aeternis tenebris et perpetua morte consumi. Aufer a corde meo alienatum sensum. Cura in me stuporem mentis, exstirpa de visceribus meis consilia iniquitatis, erade a lingua mea detrahendi consuetudinem, mentiendi fallacitatem, scurrilitatem, et omnes actus vanitatis meae arte medicinae tuae sana, et circumcide in me vitia cordis et corporis. Miserere mei, Deus, quia tu nosti facta mea, tu transgressiones meas, qui si in judicio persequi ac punire voluisses, olim me vivum terra absorbuisset: sed quia tanta est clementia tua, ut nullum tibi perire patiaris, sed omnes exspectas ad poenitentiae locum reverti. Qui ergo das spatium poenitendi, da et possibilitatem operandi, ut non sit hoc vacuum indulgentiae tuae tempus, quod nobis largiri pro tua pietate

digneris. Miserere mei, Deus; Domine, ne me despicias, neque avertas faciem tuam a me, qui non pro justitia mea peto misericordiam tuam; sed propter magnam clementiam tuam respice in me, Domine, de sancta sede majestatis tuae, et tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina. Protege me, Domine, scuto veritatis fidei tuae, ut me diaboli jacula ignita non penetrent: quicquid enim illud est, quod infelicitas mea de te petere aut non accipit, aut non praesumit, aut non sapit, hoc tu per virtutem tuam tribue, et per majestatem et pietatem tuam largire, quod animam salvet a morte; et exeundi mihi de hoc chao tenebrarum manum porrigas et lumen ostendas. Miserere mei, Deus; Domine, reintegra confractum, sana corruptum, emunda vitiatum, et indulge quod feci, et hoc praesta ut amplius non faciam, Salvator mundi, qui cum Patre et cum Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Alia Oratio S. Augustini.

Domine, Deus meus, ne despicias me indignum famulum tuum, sed in numero fidelium servorum tuorum me reputans, ante conspectum gloria tuae fac gaudere. Tu enim dixisti: Non veni vocare justos, sed peccatores. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Ego te, Domine, in- inspirante volo converti, imple desiderium meum in bonum, ot da praeteritorum veniam delictorum, futuorum custodiam vitiorum, praesentium emendationem criminum, ut vivam. Gradiens ad te pium et immensae pietatis dulcedinem Dominumque preveniam, qui propter genus hominum ad terras descendere dignatus es, et tuum pretiosum sanguinem fundendo, gentes ad baptismi gratiam vocasti, et de errore gentili liberasti. Ego infelix quod in baptismo pollicitus sum, numquam servavi, poenitet me ergo, egisse quod nequiter gessi. Suscipe poenitentis lacrymas. miserere misericors et indulge quod feci, et hoc praesta, ne faciam amplius. Tu conspice, Domine, pericula mea, in quae subsisto, et quibus malis circumdatus sum, quantisque per meum meritum adversitatibus quatiar. Libera me, salva, protege et defende me, ut non rideant de me inimici mei, quia tu es Deus meus. Sola spes mea, in te solum confido, de nullius hominis solatio spero. Guberna me ut pius pater, ut post tantas, talesque procellas seculi undique saevientes ad portum salutis aeternae, te duce, merear pervenire et cum aliis, quos eripuisti laudare te, Dominum meum, per infinita secula seculorum. Amen.

Oratio S. Isidori.

Misericordiam tuam, Domine, deprecor, misericordiam tuam imploro, tuam imploro miserationem, tuam clementiam quaero. Dele peccata mea, ablue facinora mea, peccatorum meorum maculas munda, labem criminum meorum purga, sordes delictorum meorum absterge, sordes iniquitatum mearum ablue, non differas mundationem meam; Deus, totum me tibi sanandum offero. Recipiat salutem anima mea; da vulneri meo salutem. Deus, languoribus meis medelam tribue, per plagas vulnerum redde incolumen. Vulneratus sum medicum quaero. Languidus sum, medelam posco. Consumpta est caro mea, contabuit species mea, ossa mea exaruerunt, membra mea contabuerunt. Appropinquavi corruptioni, umbra mortis comprehendit me, tenebrae operuerunt me, caligo inferni involvit me, oppressit me tenebrarum horror, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Tibi honor et gloria, virtus et potestas in secula seculorum. Amen.

Oratio S. Ambrosii.

Miserator et misericors, patiens et multum misericors, magne et terribilis Deus, tibi confiteor peccata mea, crimina mea, facinora mea, delicta mea tibi patefacio, vulnera mea, scelera mea. Tu propter ineffabilem bonitatem tuam confer mihi misero medicinam. Tu enim mitissime dignatus es dicere: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Confiteor, inique egi, perversa est in conspectu tuo via mea. Extincta est iniquitatibus meis anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, invidia gula, mendacium, scurrilitas, scultiloquium, ignorantia, negligentia, seu ceterae pestes occiderunt animam meam. Pollutum est cor meum et labia mea, et visus meus et auditus, gustus, odoratus, et tactus; et omnimodis cogitatione, locutione sive actione perditus sum. Quaeso, Domine Deus, cujus miseratio nullum habet finem, attrahe me post te sicut attraxisti mulierem peccatricem, dona mihi compunctionem mentis et corporis, et uberrimos lacrymarum fontes, sicut donasti illi non cessare osculari pedes tuos, rigari lacrymis, et extergere capillis, concede mihi, ut secundum magnitudinem iniquitatem mearum sit magna dilectio mea in te, ut propter immensitatem pietatis tuae omnia dimittas mihi peccata. Largire mihi de praeteritis veniam, de praesentibus malis continentiam, de futuris cautelam. Fac me priusquam moriar consequi plenissime misericordiam tu-

am et ne dies meos ante finiri sinas, quam peccata dimittas, sed sicut vis et scis miserere mei.

Confessio et Oratio S. Augustini.
(Ex libris confessionum ejus.)

O Domine Jesu, qui omnibus te puro corde quaerentibus misereris, quantum spatiatus sum in mea memoria quaerens te; et quia nemo alicubi te invenit, nisi miseratione tua demonstrante in memoria sua. Nam ex quo de puro corde didici, non sum oblitus tui. Ubi enim inveni veritatem, ibi te inveni Dominum meum. Itaque ex quo te didici, manes in memoria mea, et illic te invenio cum reminiscor tui, et delector in te. Hae sunt enim sanctae deliciae meae, quas dedisti in misericordia tua, respiciens paupertatem meam. Tu enim dedisti hanc dignationem in memoriam meam, ut maneas in ea. Ubi ergo te inveni, ut discerem te, nisi in te etiam supra me, quia es ubique plenus atque perfectus Deus meus. Et quisquis te puro corde quaesierit, misericordia tua inseres te in memoriam quaerentis te, ut ibi inveniat te. Tu enim solus es veritas, et ubique praesides, omnibusque consulentibus te simul respondes omnibus, etiam diversa consulentibus liquide tu respondes; sed non liquide omnes tuam responsionem audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc a te audire quod ipse carnaliter voluerit: sed potius hoc velle quod a te audierit. Heu mihi misero, quod tam sero amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova. Tu enim sancta gratia tuae me vocasti, et rupisti surditatem meam, illuminasti cor meum, et fugasti caecitatem meam. Dedisti enim mihi sensum purum, ut cognoscerem te; dedisti et amorem, ut diligerem te, dedisti et voluntatem, ut exardescerem in sanctam pacem tuam. Cum enim sancta tibi inhaesero voluntate, nullus mihi nocebit dolor et labor; sed viva erit vita mea tota plena gratia tua, quoniam quem tu imples, sublevas eum; cum enim tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt laetitiae meae flendae cum laetandis moeroribus, et ex qua parte stet victoria nescio. Contendunt moerores mei mali cum gaudiis bonis, et ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi, Domine, miserere mei! Hei mihi, ecce vulnera mea non abscondo: medicus enim tu es, ego aeger sum; tu misericors es, ego vero miser. Nam quid nisi tentatio est vita humana super terram? Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua? Da, Domine, nobis et velle et posse perficere, quod jubes, et jube, quod vis. Imperas nobis con-

tinentiam, sed nemo potest esse continens nisi tuo dono. Et hoc ipsum est sapientia scire, cujus hoc donum est. Per continentiam quippe colligimur in membra corporis tui, et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat quam debeat, qui tecum aliquid amat. O amor, qui semper ardes, et nunquam exstingueris! Tu es caritas pura. Deus meus, exstingue in me omnem concupiscentiam malam, et accende in me suavissimam caritatem. Continentiam jubes, tu misericors Deus, da quod jubes. Jubes certe, ut contineam a concupiscentia oculorum, et ambitione seculi istius: sed adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit, et occursantur mihi. Numquid non potest manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animae meae atque, abundantiore gratia tua lascivos motus etiam mei operis exstinguere? Auge in me, Domine, auge magis magisque in me munera tua, ut anima mea in me sequatur te, qui cum Patre et Spiritu sancto unus es Dominus, vivens et dominans per omnia et super omnia in secula seculorum. Amen.

Alia Oratio.

O Fili Dei vivi, Rex gloriae Jesu Christe, miserere mei vilissimi peccatoris. Ego enim etiam vita ipsa indignus sum, qui tibi hactenus tam ingratus fui, et non timui, pro momentanea delectatione explenda, ea committere, quae tu expiare sanguine tuo, ac luere morte tua deberes. Et ad quem, O dulcissime Jesu, ad quem ego innumeris onustus peccatis refugere possum, nisi ad te, misericordia plenum? Itaque omnia mala mea, omnem ingratitudinem, inobedientiam et immortificationem meam in abyssum divinae clementiae tuae cruentaque vulnera tua projicio. Ita, queaso, haec pretioso sanguine tuo diluere, et meritis acerbissimae passionis tuae expiare digneris, ut nulla eorum apud te memoria perseveret. O amabilis Jesu, et unicum solatium meum! en accedo ad te plenus desiderio te ferventer diligendi, et cuncta, quae me a tuo possint amore abstrahere, evitandi. O quantum me amasti et amas! Ut me redimeres, naturam meam sumsisti, et factus est frater meus; ut ego exhilarer, tristatus es; ut ego sanarer, vulneratus es; ut ego mundarer, purissimum sanguinem tuum fudisti; ut ego viverem, mori non recusasti. Et quomodo, Deus meus, tam corde caecus esse potui, ut aversus a te, a quo mihi salus omnis et bona cuncta procedunt. ad terrena caducaque me converterem, ex quibus nonnisi perditio et omnis

miseria ad me redit? Mirum valde est, quod mihi jam aliud cogitare libeat, quam immensa, quae mihi praestitisti, beneficia; aut in aliqua alia re solatium et animi recreationem quaerere, quam in sacratissima vita ac passione tua, dulcissimisque et vere mellifluis vulneribus tuis. O piissime Jesu! adjuva et conforta me, fragile figmentum tuum. Tu es omnis spes mea. Quantum me perturbant et dejiciunt peccata mea, tantum me exhilarat et erigit immensa bonitas sanctissimaque passio tua. Quidquid enim ego deliqui, morte tua acerbissima abolitum est. Quidquid mihi deest, merita sacratissimae passionis tuae abunde adimplent. Et licet magna atque innumera sint peccata mea, parva tamen sunt, tuae immensae collata misericordiae. Unde et confido de infinita pietate tua, quod me nunquam perire sines, quem ad imaginem et similitudinem tuam creasti, tantoque labore ac tam charo redemisti pretio. Ah, bone Jesu! vulnera, obsecro, cor meum jaculo amoris tui, ut tam ardenter te diligam, quam ardenter ipse a me vis amari. Exure et liquefacito me totum, ut totus in me deficiam, totusque per amorem in te transformer, ac tecum unus spiritus efficiar. Ecce resigno et relinquo me totum tuo beneplacito. Fiat, Domine, fiat in me et de me gratissima voluntas tua nunc et in perpetuum. Amen.

Orationes ad B. M. V. Mariam.

O felix Maria! tu Mater Dei, tu Mater rei; tu Mater Judicis, tu Mater exulis: cum sis Mater utriusque filii; ne sinas filium reum damnari per Filium Deum, sed per filium Judicem recipe filium exulem in patriam; O felix Maria!

Memorare, O piissima Virg, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, a te esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te, Virgo virginum, mater curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto; noli mater Verbi verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Monstra te esse matrem; sumat per te preces; qui pro nobis natus; tulit esse tuus.

Virgo singularis; inter omnes mitis; nos culpis solutos; mites fac et castos.

Gemitus et preces sacerdotis, qui vocem Domini audivit in corde suo, et sincere vult frangere vincula, quibus irretitus tenetur.

Vides, Domine Jesu, quantae in corde meo commovean-

tur tempestates; vides, quam multa contra me cupiditates ineant certamina; vides, rubens et horrens dico, quam saepe defecerim et victoriam hostibus dimiserim; vulneraverunt me inimici mei et ad nihilum redegerunt; fecerunt de me, quaecumque voluerunt; percusserunt, nudaverunt, occiderunt me peccato mortifero, quo elongamur a te, Via, Veritas, et Vita. O Jesu! miserere mei et vivifica me. Pie Samaritane, infunde oleum et vinum in vulneribus meis, et sanabor.

Forsan sicut Apostolus (Rom. vii. 18) dicere possum: "velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ego. . . . Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis," et quae, heu invasit cor meum, et conscientiam meam maculavit.

Ex pluribus annis experior, quod de se ipso fatebatur divus Augustinus, dicens (Confess. lib. viii. cap. 5): "Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me; quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas," necessitas, inquam voluntaria et peccaminosa.

Quis ergo me liberabit de corpore mortis hujus? . . . Respondit Apostolus et sibi ipsi et Augustino et mihi: "Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum." Laetus igitur et firma spe nixus ad te venio, Redemptor meus, gratiam tuam suppliciter postulans. Intona desuper, quaeso, voce grandi in interiorem aurem cordis mei. Prome vocem illam, quae confringit cedros Libani, quae commovet desertum, quae revelat condensa, quae talia operatur, ut omnes in templo dicant gloriam.

Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis . . . converte nos et tunc solum vere convertemur. . . . Peccavi quidem peccatum grande nimis, et multorem mihi conscius sum delictorum. . . . Operibus blasphemus fui et persecutor et contumeliosus. . . . Abominationem desolationis introduxi in locum sanctum. . . . Non sum dignus vocari Apostelus. . . . Supra modum persequebar Ecclesiam Dei et expugnabam illam pravis exemplis. . . . Eja, dulcissime Jesu, coram te expando iniquitates meas, quibus laqueatur et afficitur anima mea. Vides, quam turpis

sim, quam distortus, inquiebat Augustinus, et sordidus, et maculosus et ulcerosus.

Sed tu, Domine Jesu, cur de coelo venisti? Quid in mundo isto fecisti? Ad quid te morti dedisti? Nonne ut peccatores salvos faceres, et caecos illuminares, ut captivos redimeres, ut leprosos sanares, ut mortuos suscitares? Ergo, Jesu, fac mihi secundum nomen tuum. Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Propter temetipsum miserere mei; esto mihi Jesus et Salvator; miserere peccatricis animae meae, solve vincula ejus, sana vulnera; libera eam, Domine, a jugo servitutis; exonera illam mole peccatorum. Dic mihi sicut leproso: volo mundare; et confestim mundabor. . . . Dic mihi sicut Lazaro sepulto: Veni foras; etsi putrescam, ad vitam revocabor. . . . Dic mihi sicut paralytico: Surge et ambula; et surgam et ambulabo et tollam grabatum meum. At mihi pauperi et pauperrimo porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua. . . . Erige jacentem, sustine et robora nutantem, ne deficiat in via.

Audivi, fateor, vocem tuam, Domine, et nolo obdurare cor meum. Non dicam amplius: ...s, cras, ne cras mihi desit. ...i et dioc: Nunc coepi; ...ut ista mutatio Excelsi sit ...a et permanens. . . . Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam et discam mandata tua. Cor meum indura et corrobora contra inimici jacula. Fac ut a facie colubri fugiam peccatam et occasionem peccati, quaecumque sit. . . . Providebo te in conspectu meo semper, sed tu sis a dextris meis, ne commovear. Impedit infausta experientia, ne dicam: in abundantia mea non movebor in aeternum; dicam potius: Non avertas faciem tuam a me, ne illico sim conturbatus. . . . Usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me. . . . Manda virtuti tuae, ut me corroboret, et confirma quod operatus es in nobis. Fiat, fiat.

Oratio sacerdotis renovantis vota clericalia.

O amantissime et amabilissime Deus, quam magna multitudo dulcedinis tuae! Caritate etenim perpetua dilexisti me et attraxisti me ad te miserans mei; nam propter nimiam caritatem, qua dilexisti me, suscitasti a terra inopem et de stercore erexisti me pauperem, ut collocares cum principibus, cum principibus populi tui.

Non ego quidem, sed tu prior elegisti me de mundo, nolens me conformari huic seculo, ne princeps hujus mundi in me haberet quid-

quam, et non cum hoc mundo, qui totus in maligno positus est, damnarer; at potius posuisti me in clero tuo, ut irem de virtute in virtutem, ut fructum dignum bonorum operum afferrem, qui in aeternum maneret, quo teipsum mercedem magnam nimis mihi acquirerem ac partem haereditatis meae perditam mihi recuperarem. Quapropter ego quoque elegi te, ut sis Dominus meus et Deus meus, et pars mea in aeternum.

Sed heu! haereditatem meam non satis attendi, substantiam meam dissipavi; retrorsum abii, mundum dilexi, vanitates et insanias falsas non exhorrui, inimicis tuis animam dedi, tunicam innocentiae commaculavi, superflua aut dilexi aut quaesivi aut retinui, lucernam boni exempli exstinxi, fidelem cultum tibi et ecclesiae tuae non exhibui, perfectionis studium et media acquirendi non quesivi, non satis admisi, jugum tuum dulce et onus leve excussi, Spiritui sancto multoties restiti, Spiritum Dei contristavi eumque exstinxi; sed tu, Domine, miserere mei et resuscita me.

Tibi ergo Domino, Deo nostro, justitia, nobis autem confusio faciei nostrae; et hoc solum mihi nunc superest idque unice in votis, ut spiritu principali confirmes me et spiritum rectum innoves in visceribus meis, iterumque vota priora admittas et sic me deinceps vivere concedas, ut qui pars Domini sum et Dominum partem meam iterum eligo, talem me exhibeam, ut ipsum possideam Dominum et a Domino ipse possidear, nec quidquam contra ut extra te Dominum meum cupiam.

Eligant itaque sibi alii partes, quibus fruantur, terrenas et temporales; portio mea Dominus est. Bibant alii mortiferas voluptates; pars calicis mei Dominus est. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Quid quippe ultra quaret, cui omnia suus Conditor est? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?

Te solo igitur contentus, Deus meus et omnia, agnosco iterum coram coelo et terra, quoniam funes mei ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi; quaestus magnus mihi est pietas cum sufficientia; abjicio itaque denuo omnes mundi pompas, superfluas vanitates et insanias falsas, et eligo abjectus esse in domo tua magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, de hoc multum sollicitus, ut tunicam sanctitatis, quam dimisi aut defoedavi, iterum resumam in Sanguine dealbatam nec unquam dimittam.

Haec sunt vota, quae aliquando distinxerunt labia

mea; haec sunt sincera cordis mei desideria, quae supplico tibi esse accepta, et per Spiritum sanctum in visceribus meis dignanter innovata, in mundi contemptum et fidelioris ac constantioris cultus tui testimonia denuo reiterata, ut ita suscipias me secundum eloquium tuum et vivam, et nou confundus me ab exspectatione mea. Itaque profiteor, quia tu Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. Amen.

PRECES AD MENTEM SUMMI PONTIFICIS PRO LUCRANDIS INDULGENTIIS.

Oremus pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus ac Dominus noster pacificare, adunare et custodire dignetur toto orbe terrarum; subjiciens ei principatus et potestates: detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus glorificare Deum Patrem omnipotentem.

V. Deus virtutum converte; respice de coelo et vide et visita vineam istam.

R. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti: custodi opera misericordiae tuae, ut Ecclesia tua toto orbe terrarum diffusa; stabili fide in confessione tui nominis perseveret.

Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

V. Fiat pax in virtute tua,

R. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Oremus pro haereticis et schismaticis, ut Deus et Dominus noster eruat eos ab erroribus universis et ad sanctam Matrem Ecclesiam catholicam revocare dignetur.

V. Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

R. Adduc eos, ut vocem tuam audiant, et fiat unum ovile et unus pastor.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes et neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per Dominum nostrum, Amen.

INDEX

RERUM QUAE IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

PAG.

BOOKS PUBLISHED

BY

MESSRS. BURNS AND OATES.

THE TWO-SHILLING UNIVERSAL PRAYER-BOOK.

THE PATH TO HEAVEN;

The Cheapest and most Complete Book of Devotions for Public or Private use ever issued. (41st Thousand.)

UPWARDS OF ONE THOUSAND PAGES FOR TWO SHILLINGS.

It contains:

1. All the usual Devotions for Morning and Evening, Prayers at Mass, for Confession, Communion, the Sacraments, the Sick, &c.

2. Litanies, Novenas, Devotions, and Hymns, in regular order, *for every month in the year* (including Indulgenced Prayers), intended for use in Evening Services in Churches, as well as in private. This is an *entirely novel feature*, and will, it is presumed, make the Volume a *sine quâ non* in every Mission.

3. Offices: besides Vespers, Compline, Office of Immaculate Conception, &c., it comprises the "Bona Mors," Novena of St. Francis Xavier, and Sacred-Heart Devotions, used by the Jesuit Fathers; the Holy-Family Devotions; the Devotions for the Precious Blood; also Meditations, and the EPISTLES AND GOSPELS for the Year.

4. The most copious and varied collection of *Hymns and Sacred Songs* hitherto published (293). Music, 1*s*.

Price:

Cloth lettered, Two Shillings.		Morocco, gilt	7*s*. 0*d*.
Neatly bound, red edges	2*s*. 6*d*.	Morocco, gilt extra	8 0
Roan, lettered	3 0	Morocco, gilt, rim and clasp	14 0
Cloth, rims & bar, red edges	4 0	Velvet, rim and clasp	10 6
Roan, richly gilt and clasp	4 6	Best Turkey morocco	8 6
French morocco, gilt edges	4 0	Best Turkey morocco, gilt	10 0
Calf, red edges	5 0	Ivory	12 0
Best calf	7 6	Ditto, best ornamented	42 0
Morocco	6 0	Best Velvet, rim and clasp	30 0

The Imitation of the Sacred Heart. By the Rev. Fr. ARNOLD, S.J. Translated by a Father of the same Company. 12mo, 4*s*. 6*d*.; or in handsome cloth, red edges, 5*s*. Also, calf, 8*s*. 6*d*.; morocco, 9*s*. 6*d*.; ditto, lappets, &c., 12*s*.; antique morocco, illustrated, 25*s*.

Approved (in a letter to the Author) by Father ROOTHAN, General of the Society of Jesus, and by four Theological Censors.

"Of all the books which we have seen on this Devotion, it is at once the most solidly practical and the most fervently devotional."—*Dublin Review*.

The New Month of Mary; or the Second Eve. By the Right Rev. Bishop DECHAMPS, of Namur. Translated by the Author of the "Life of St. Theresa," &c. &c. Cloth, 3*s*.

The See of St. Peter. With reference to Dr. Pusey's "Eirenicon." By T. W. ALLIES, M.A., author of "The Formation of Christendom," &c. New edition, 4*s*. 6*d*.

The Popular Choir Manual. A Cheap Collection of easy and attractive Catholic Music for Morning and Evening Services during the whole course of the Ecclesiastical Year. Morning, 3*s*. 6*d*.; Evening, 5*s*. 6*d*.; or in one vol. 10*s*. 6*d*.

This work carries on and completes the plan of "Webbe's Motetts" and other works of the kind, which are found inadequate to modern requirements.

Hymns for the Year, containing also Benediction and other Latin Pieces in general use. This is *the cheapest and most complete Hymn-Book ever issued.* It contains not only the favourite Hymns from the Oratory and other Catholic Hymnals, but also many new and beautiful Hymns and Sacred Songs by St. Alphonsus, &c. Price 3*d*. Also, very strong cloth, 5*d*.

HYMNS FOR THE YEAR, with PUBLIC DEVOTIONS for every Evening. 6*d*.

HYMNS FOR THE YEAR, bound with the VESPER-BOOK, 6*d*.; or in strong cloth, 1*s*. The most complete and cheap book of the kind.

THE MUSIC-BOOK of 244 Melodies for "Hymns for the Year," the Oratory, and all other Hymn-Books, &c. 1*s*.

Vocal Parts and Accompaniments to the above in

THE POPULAR HYMN AND TUNE BOOK

For one, two, three, and four Voices, with Accompaniment; containing a large variety of Hymns and Sacred Songs for general use, and for every occasion throughout the year; together with a number of Easy Melodies suited for Schools and elementary use. Edited by FREDERICK WESTLAKE, Associate of the Royal Academy of Music. One handsome volume, cloth, 10*s*. 6*d*., or in Three Parts at 3*s*. each.

*** *The style and arrangement of this Collection render it especially useful not only for public use, but also in Convent and other Schools, now that vocal music is generally made an essential part of the educational course.*

Life of the Curé d'Ars. From the French. With Preface by His Eminence Cardinal MANNING. New edition, enlarged. 4*s*.

The New School and College History of England. One volume, large post 8vo, 820 pp., cloth, 6*s*.

True Devotion to the Blessed Virgin. By the Ven. GRIGNON DE MONTFORT. Translated, with a Preface, by the Very Rev. Dr. FABER. Blue cloth, neat, 2*s*. 6*d*.

Hymns and Sacred Verses, from the Italian of St. ALPHONSUS. Neat pocket size, cloth, 1*s*.

N.B.—Music for these Hymns contained in the "Hymns and Melodies for the Year," 1*s*.

The Prayers of St. Gertrude and St. Mechtilde. Now first translated from the original Latin. Beautifully printed in a Pocket size. Neat cloth, lettered, 1*s*. 6*d*.; French morocco, red edges, 2*s*.; best calf, red edges, 4*s*. 6*d*.; best morocco, plain, 5*s*.; gilt, 6*s*. On thin *vellum paper* at the same prices. *Common paper* edition at 1*s*.

Also,

The Exercises of St. Gertrude. A companion volume, at same prices.

Fioretti; or the Flowers of St. Francis of Assisi. Translated from the Italian. Fcp. 8vo, 3*s*.

Sister Emmerich's Meditations on the Passion. Full edition, fcp. 8vo, cloth, 3*s*. 6*d*.

Flowers of Mary. A Book of Devotion and Meditation for the course of the Year, with Hymns. By a FRANCISCAN. Fcp. 8vo, neat cloth, 3*s*.

St. Liguori's Preparation for Death. Correct Translation by the REDEMPTORIST FATHERS. New People's Edition. 2*s.*

BOOKS FOR CATHOLIC SCHOOLS.

Primer, with woodcuts. 1½*d.*
Book I. (woodcuts), 2*d.*; Primer and Book I. together, 4*d.*
Book II. (woodcuts). 5*d.*
Supplement to Book I. (woodcuts). 4*d.*
Supplement to Book II. (woodcuts). 6*d.*
[These Two Books supply the want of additional reading which is often felt in the junior classes. They also comprise elementary lessons in writing and arithmetic.]
Book III., containing more advanced lessons. 8*d.*
Book IV., containing lessons for the higher classes. 1*s.*
The Child's Spelling and Reading Book, 6*d.*; or, the Two Parts separately, 4*d.* each.
[By means of this Book, with its simple musical notes, and other appliances, children acquire spelling very rapidly and accurately.]
Tablet Lessons, including Alphabet and Figures, in very large type, 1*s.* 6*d.*; Alphabet and Figure Sheet by itself, 2*d.*
The Pictorial Reading-Book; many cuts. 1*s.* 4*d.*
The Catechetical Reading-Book for Schools. In Two Parts. Part I. Outlines of Sacred History and Scripture Geography. Part II. Lessons on Doctrinal and Practical Subjects, following the arrangement of the Catechism used in Schools. By the Very Rev. Canon GRIFFIN, Nottingham. Cloth, 1*s.* 4*d.*

A New Historical Catechism. Price 4*d.*
——————— Chart. 2*s.* 6*d.*; rollers, 5*s.* 6*d.*

Lessons on Christian Doctrine, on a Sheet. 2*d.*
Full Catechism of the Catholic Religion. By the Rev. J. FANDER. Limp, 1*s.* 6*d.*; cloth, 2*s.*
Introduction to the History of England. 1*s.* 8*d.*
History of England for Children; Plates. 3*s.*
History of England for Colleges and Families. 6*s.*
Catechism of the History of England. 6*d.*
Manual of Christian Doctrine. 3*s.*
Manual of Church History. 2*s.*
Reeve and Challoner's Bible History. 2*s.*
Prints for ditto, coloured. 16*s.* and 12*s.*
Children's Mass-Book for Singing, &c. 1½*d.*
Old-Testament Stories. 1*s.* 4*d.*
Gospel Stories. 1*s.*
Manual of Confirmation. 2*d.*
Robinson Crusoe (revised for Catholic Schools). 2*s.* 6*d.*
A First Book of Poetry. 1*s.*
A Second ditto. 2*s.*
A Third ditto (Selections by De Vere). 3*s.* 6*d.*
Sacred Poetry for Schools. Pocket size. 1*s.*
A Popular History of France. Illustrated. 3*s.* 6*d.*
Pocket French Grammar. Cloth, 1*s.*
Vade Mecum of French Conversation. 1*s.*
Catechism of English Grammar. Wrapper, 2*d.*; cloth, 3*d.*

Burns' Series of New Standard Lesson-Books adapted to the Revised Code of 1871.

BOOK I. adapted to STANDARD 1, 6*d.*
,, II. ,, ,, 2, 7*d.*
,, III. ,, ,, 3, 10*d.*
,, IV. ,, ,, 4, 1*s.*
,, V. ,, ,, 5 & 6, 1*s.* 4*d.*

Primer, separately (being Part I. of Book I.), 1*s.* 2*d.* per doz.
Lesson Sheets of the same, large type, for Schools, 1*s.* 6*d.*

Daily Exercise. New edition, with new and superior engravings. Cloth, 6*d.*; bound and gilt, 1*s.*

Devotions for the "Quarant' Ore;" or New Visits to the Blessed Sacrament. Edited by Cardinal WISEMAN. 1*s.* 6*d.*, or in cloth, gilt edges, 2*s.*; morocco, 5*s.*

Devotions for Country Missions, with full Collection of Hymns. 6*d.*

Family Prayers, from Catholic Sources, old and new. 2*s.*

The Spirit of St. Teresa. 2*s.*; red edges, with Portrait, 2*s.* 6*d.*; calf, 5*s.*; morocco, 5*s.* 6*d.*

Spirit of the Curé d'Ars. 2*s.* Also in various bindings, as "St. Teresa."

Manna of the New Covenant; Devotions for Communion. Cloth, 2*s.* 6*d.*

Manual of the Sacred Heart. New Edition, 2*s.*; red edges, 2*s.* 6*d.*; calf, 5*s.* 6*d.*; morocco, 6*s.* 6*d.*

A'Kempis. THE FOLLOWING OF CHRIST, in Four Books; a new Translation, beautifully printed in royal 16mo, with borders round each page, and illustrative engravings after designs by the best German artists. Cloth, 3*s.* 6*d.*; calf, 7*s.*; morocco, 8*s.* 6*d.*; gilt, 11*s.*

The same, Pocket Edition. Cloth, 1*s.*; bound, roan, 1*s.* 6*d.*; Fr. morocco, 2*s.* 6*d.*; calf, 4*s.* 6*d.*; morocco, 5*s.*; gilt, 6*s.*

Spiritual Combat; a new and careful Translation. 18mo, cloth, 3*s.*; calf, 6*s.* 6*d.*; morocco, 7*s.* 6*d.*; gilt, 8*s.* 6*d.*

The same, Pocket size. Cloth, 1*s.*; Fr. morocco, 2*s.* 6*d.*; calf, neat, 4*s.* 6*d.*; morocco, 5*s.*; gilt, 6*s.*

Manual of our Lady of the Sacred Heart. 2*s.* 6*d.*

New Testament. New Pocket Edition, in beautiful type, neat cloth, 1*s.*; embossed roan, 1*s.* 6*d.*; Fr. morocco, 3*s.*; gilt, 3*s.* 6*d.*; calf, 4*s.* 6*d.*; best morocco, 5*s.*; gilt, 6*s.*

Office of the B.V.M., Latin and English. 6*d.*; roan, 1*s.*; calf, 3*s.* 6*d.*; morocco, 4*s.*

The Psalter in Latin. 1*s.* 6*d.*

Ditto in English. New edition, 2*s.*

Select Offices from the Ritual, Pontifical, and Breviary. Uniformly printed, English and Latin.

The Office of Baptism. 2*d.*
The Office of Burial. 3*d.*
The Order of Laying the Foundation-stone of a Church. 2*d.*
The Rite of Blessing a Bell. 2*d.*
The Offices of Prime and Compline. 8*d.*
The Offices of Tierce, Sext, and None. 3*d.*

The New Testament Narrative, in the Words of the Sacred Writers. With Notes, Chronological Tables, and Maps. Neat cloth, 2*s.*

"The compilers deserve great praise for the manner in which they have performed their task. We commend this little volume as well and carefully printed, and as furnishing its readers, moreover, with a great amount of useful information in the tables inserted at the end."—*Month.*

"It is at once clear, complete, and beautiful."—*Catholic Opinion.*
